J 42

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE


F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS SEXTUS

DE IURE NAT. ET GENT. &c.

Adverſus Pufend. Barbeyr. Thomaſ. alioſque Novatores.



ROMAE, MDCCL.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI.

Digitized by Google

PRAEFATIO,

IN QUA

Nonnullæ animadverſiones in Librum XXVI. Operis inſcripti DE L'ESPRIT DES LOIS *&c. ideſt* de legum ſpiritu, *præmittuntur*.

I. E Prælo iam emerſerat Tomus iſte VI. & cum publicam ſubire lucem deberet, ab amicis intellexi, laudatum opus, nuperrime ultra Alpes editum, tanta aviditate & plauſu ſuſceptum fuiſſe, ut intra breve temporis intervallum repetitis typis prodierit, atque Italiam noſtram, non ſine religionis detrimento, penetraverit. Quemadmodum enim illos Caſuiſtarum libros in quibus ſeveræ Moralis chriſtianæ leges exquiſitioribus fucis, & blandioribus lenociniis attemperari humanis appetitionibus ſolent, facilius diſtrahi conſpicimus; ita quoque libri illi tranſalpini qui per cuniculos religionis principia impetunt, eaque verſutis commentis ad hominum libertatem inflectunt, accommodantque, avidius excipi, & ad ſidera uſque extolli a non paucis ſciolis conſueſcunt. *Spiritus legum* Cenſor proteſtatur, ſe obſequio ſummo religionem colere, eiuſque inconcuſſa fundamenta ſarta tecta cuſtodire velle. Omnes qui aperte profiteri impietatem reformidant, iactare ſimilia ſolent, & tanto validius imponunt, quanto & maiorem præferunt religionis ſpeciem, & acutiore præditi ingenio ſunt. Auctor noſter pro tribunali iudex ſedens leges ſub examen inducit, & in ipſa divina iura iudicium pronuntiat, eaque cerebri ſui decempeda metitur, inflectit, reſtringit, amplificat, & ad ea quæ ſibi adlubeſcunt, detorquet.

II. Priuſquam illius verbis hoc quod propoſui, evinco, præmittam oportet, quam immane perpetrent ſcelus qui iudicandæ divinæ legis facultatem ſibi uſurpare incredibili audacia, & fatuitate non verentur. S. Iacobus *cap.* IV. inquit: *Si autem*

iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex. Quiſque divina perfuſus fide perhorreſcit, dum audit mortalium aliquem eo ſtultitiæ impetu abreptum, ut iudicare Dei legem audeat, atque adeo ſupremo Numini divinitatem & ſapientiam auferre, ſibique ſubiicere; quod longe ſceleſtius eſt quam ſupremorum Senatuum ſententias pagorum iudicibus ſubmittere. Nemo adeo inſanit, ut ſub hac nuda facie velit *iudicare legem Dei*, a Deo tollere ultimi, ſupremique finis rationem, Filium Dei rurſus crucifigere, & alia iſtiuſmodi ſcelera patrare; at hæc omnia incruſtata & fucis delibuta, non ſecus ac ægroti pillulas ſuas, & piſces latentem hamum, facillime plures deglutiunt.

III. Porro ut quis intelligat quid cognoſcere legem ſit, & quid iudicare legem, audiat S. Auguſtinum, qui *Lib. de ver. relig. cap.*XXXI. hæc duo præclare diſtinguit. *Sicut in iſtis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas inſtituunt; tamen cum fuerint inſtitutæ, atque firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas. Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt, ut ſecundum eius incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum, vetandumque diſcernat. Æternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere, iudicare non fas eſt. Hoc autem intereſt, quod ad cognoſcendum ſatis eſt ut videamus ita eſſe aliquid, vel non ita. Ad iudicandum vero addimus aliquid, quod ſignificemus poſſe eſſe, & aliter, velut cum dicimus, Ita eſſe debet, aut ita eſſe non debuit, aut ita eſſe debebit, ut in ſuis operibus artifices faciunt.*

IV. Non poterat Doctor ſanctus vividioribus depingere coloribus ea quæ mox ſum ex indicato Cenſore reſcripturus. Illi itaque divinas leges iudicant qui eaſdem ad ſuas præiudicatas ſententias, & præcogitata ſyſtemata detorquent. Et in hunc ſcopulum omnes illi impingunt qui divinis Scripturis, Sanctorum, & Eccleſiæ auctoritatibus neglectis, ad propriæ rationis, undique tenebris circumfuſæ, iudicium, Dei leges revocant. Superbam iſtorum temeritatem reprimit *hom.* XX. *in cap.*VII. *Matth.* S. Ioannes Chryſoſtomus eodem ac Auguſtinus principio. *Erat enim*, inquit, *docens eos ſicut poteſtatem habens. Omnis Rector ſervus eſt legis: quia neque ſupra legem addere poteſt aliquid de ſuo ſenſu, neque ſubtrahere aliquid ſecundum proprium in-*

tel-

tellectum; ſed hoc tantummodo prædicat quod habetur in lege . Neque enim poteſt mens humana directare, ideſt extra rectum facere, ſcilicet perverſum, vel malum oſtendere quod ſcientia divina dictavit . Sic enim ait Moyſes, & Salomon : Non addas verbis Dei, neque detrahes inde . Qui autem hoc auſus fuerit, ſe ſapientiorem putat eſſe quam Deum : & incipit eſſe falſus teſtis, quia illud dicit quod neque auris audivit, nec oculus vidit.

V. Hæc pauca præfari oportuit, ut lector intelligat cui periculo ſe committat quicumque in Dei leges ferre iudicium audet. Porro ut evidenter palam faciam, Auctorem noſtrum ſe divinarum legum iudicem conſtituiſſe, & prima religionis fundamenta corrodere, eam tenebo methodum cui adhæreo, dum morum præcepta a novis commentis aſſerere pro modulo meo ſtudeo. Quoties quorumdam Caſuiſtarum paradoxa refellenda mihi occurrunt, prius ex eorumdem libris opiniones propriis verbis conceptas in apricum traduco, ſinceritate ſumma, quidquid in oppoſitum fabulentur rabulæ nonnulli : deinceps illarum falſitatem breviſſime pando. Hanc nunc inſiſtam viam. Pauca dumtaxat ex citati operis *Lib.XXVI.* refellenda tranſcribam: quod Italorum noſtrorum vir eruditione, doctrina, & morum probitate clariſſimus per litteras ſuaſit, ut hunc ſcilicet librum legerem. Parui, & continuo in eodem deprehendi venefica impietatis ſemina argutis ſententiis, eleganti ſtilo, & exquiſita eruditione involuta, atque eo ingenii acumine præparata, & diſpoſita, ut ab imperitis deglutiri facillime valeant.

ANIMADVERSIO PRIMA

in cap. 11. *Lib.XXVI. pag.* 18.

VI.„ La force de la religion vient de ce qu'on la croit ; „ la force des loix humaines vient de ce qu'on la craint. L'antiquitè convient à la religion, parce que ſouvent nous croyons plus les choſes à miſure qu'elles ſont „ plus reculees : car nous n'avons pas dans la tete des idees „ acceſſoires tirees de ces tems-la qui puiſſent les contredire. „ Les loix humaines au-contraire tirent avantage de leur nouveautè &c. Quæ ſic latine reddo. *Religio inde ſuam vim arceſ-*

ſit quod quis illam credat . Legum humanarum vis inde proficiſcitur quod quis eam timeat . Religioni antiquitas convenit , quoniam frequenter quæ vetuſtiora ſunt , facilius credimus , quod menti noſtræ obvia non ſint illa quæ potuerunt contra opponi , dum prodierunt in lucem . E contrario leges humanæ emolumentum ex novitate comparant &c.

VII. Vides hic leges divinas inter & humanas inſtitutam comparationem . Divina religio , non a Deo , ſed ab hominum perſuaſione ſuum robur arceſſit ? Commentum ergo humanæ mentis religio eſt ; ſi inde eius conſtat firmitas quod tu illam credas . Utique religio ſuam in eos qui illam non credunt , neque vim , neque imperium exercet . Quid inde ? Ideo ne ab iſtorum credendi exercitio ſuam capit vim , ſtabilitatem , veritatemque ? Hæc manifeſtam olent impietatem , & ex Hobeſiano fonte derivata ſunt . Vide infra *diſſert.* I. *&* IV.

ANIMADVERSIO SECUNDA

in cap. VII. *Lib. XXVI. pag.* 36.

VIII. „ Qu'il ne faut point decider par les preceptes de „ la religion lors qu'il s'agit de ceux de la loi naturelle . “ *Dum de legis naturalis mandatis definiendum eſt , haudquaquam in ſubſidium vocare religionis præcepta oportet .* Nullum ne fœdus , commercium nullum iuris naturæ cum divinæ religionis iure ? Pugnant ne hæc duo ſimul ? A duobus ergo diſparatis principiis , religionis , & naturæ mandata proficiſcuntur ? Quidni ? reponit ibidem . „ Qui ne voit que la defenſe naturelle eſt „ d'un ordre ſuperieur à tous le preceptes ? *Quis non videt , deſenſionem naturalem ordinis ſuperioris eſſe omnibus præceptis ?* Si omnibus mandatis præire defenſio naturalis debet ; ergo etiam præceptis obediendi tum Deo , tum ſupremis terræ poteſtatibus . Suffodit itaque hæc abſoluta & nullo termino circumſcripta regula vel ipſius terreni principatus fundamenta.

ANIMADVERSIO TERTIA
in cap. VIII. *Lib. XXVI. pag.* 37.

IX. „ Qu'il ne faut pas regler par les principes du Droit „ qu'on appelle canonique les choſes reglees par les princi- „ pes du Droit civil. “ *Quæ iuris civilis principiis reguntur, pendere haud debent a principiis iuris quod nuncupatur canonicum.* Quod frequenter iuris civilis controverſiæ dirimi, inconſultis iuris canonici principiis, valeant, nemo eſt qui inficietur. Quoniam frequenter nihil de rebus quæ penes civile forum in controverſiam vocantur, ius canonicum ſtatuit. Verum Cenſor ſpiritus legum omnium ultra pergit, contenditque reſpectu eiuſdem rei iure canonico definitæ præferendas eſſe iuris iſtiuſmodi definitionibus, iuris civilis deciſiones. Hæc enim ibidem ſubiicit. „ Comme le mari peut demander la ſeparation „ à cauſe de l'infidelitè de la femme, la femme la deman- „ doit autrefois à cauſe de l'infidelitè du mari. Cet uſage „ contraire a la diſpoſition des loix Romaines s'etoit intro- „ duit dans les cours d'Egliſe, où l'on ne voyoit que les „ maximes du Droit canonique; & effectivement, à ne re- „ darger le mariage que dans des idees purement ſpirituel- „ les, *& dans le rapport aux choſes de l'autre vie*, la violation eſt la „ meme. Ma les loix politiques, & civiles de preſque tous „ les peuples *ont avec raiſon* diſtinguè ces deux choſes. “

X. Hæc omnia latine non reddo, ſed paucis perſtringo. Alterius æternæ vitæ ratione habita, matrimonii violatio eadem in viro ac in muliere eſt. Mos iſte Romanorum legibus adverſus invectus in Eccleſiam, in qua iuris canonici præſcripta vigent, fuit. Verum omnium populorum leges cum politicæ, tum civiles, *iure & merito* hæc duo diſtinxere, & regulam alterius æternæ vitæ legi contrariam confirmarunt. Chriſtianus ne eſt qui iſta eructat? Sed quia mox hæc eadem clarius repetiturus eſt Cenſor noſter, ad alia propero.

ANIMADVERSIO QUARTA

in cap. IX. *Lib. XXVI. pag* 38.

XI. „ Que les choſes qui doivent etre reglees par les prin„ cipes du Droit civil, peuvent RAREMENT l'etre par les „ principes des loix de la religion. “ *Quæ moderari principiis iuris civilis debent, RARO dirigi legum religionis principiis queunt*. In impium Petri Belii effatum, quod nempe religio, & ſtatus civilis haud bene una ſocientur, prolapſus Cenſor eſt, qui tamen alibi Belio talia effutienti interceſſit. Quid? Deus legum religionis inſtitutor, & Princeps terrenus iuris civilis conditor, ita duo ſunt ſupremi legiſlatores, ut Princeps terrenus *raro* a Deo in ſui principatus regimine pendeat? Quem prodit ſenſum oraculum iſtud? *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*: Prov. VIII. Sed iterum audiamus legum Cenſorem, qui *ibidem pag.* 39. hæc adiicit.

XII. „ Ainſi quelques reſpectables que ſoient les idees qui „ naiſſent immediatement de la religion, elles ne doivent pas „ toujours ſervir de principe aux loix civiles, parce que cel„ les-ci en ont un autre, qui eſt le bien general de la ſocie„ tè. “ *Igitur quamtumvis veneratione digna ſint dictata quæ immediate a religione prodeunt, non propterea ſemper legum civilium norma eſſe debent, cum hæ alio nitantur principio, quod eſt bonum univerſale ſocietatis.* Expedit itaque contra religionis edicta frequenter agere? Leges civiles principiis religionis normæ adverſis nituntur? Hoc univerſale ſocietatis bonum pugnat ne, aut convenit cum religionis bono? Pugnat, inquit Cenſor, & *raro* mutuum hæc duo inire fœdus valent. Idcirco religionis bonum negligendum, ut ſocietatis civilis bonum promoveatur? Hæc ſunt iſtius Politici, ſi ſuperis placet, Chriſtiani venuſta commenta. Non ergo ſapientiſſimus Moderator Deus ita imperia ſacra, & civilia diſpoſuit, ut neceſſario ſervato ſubiectionis ordine mutuas ſibi manus darent? Lege infra *diſſ.* IV. Piget enim tam irreligioſa paradoxa ſæpius refellere.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO QUINTA

in cap. x. *Lib. XXVI. pag.* 41.

XIII. „ Dans quel cas il faut ſuivre la loi civile qui per-
„ met , & non pas la loi de la religion qui defend . “
„ Lorſqu' une religion, qui defend la polygamie, s'introduit
„ dans un pais, où elle eſt permiſe; on ne croit, a ne parler
„ que politiquement , que la loi du pais doive ſouffrir qu'un
„ homme qui a pluſieurs femmes , embraſſe cette religion ,a-
„ moins que le magiſtrat, ou le mari ne les dedomagent en
„ leur rendant de quelque maniere leur etat civil . Sans ce-
„ la leur condition feroit deplorable ; elles n'auroient fait qu'
„ obeir aux loix, & elle ſe trouveroient privees des plus grands
„ vantages de la ſocietè . “

XIV. *Quo in caſu legi civili permittenti, ſecus religionis legi prohibenti obediendum eſt. Quotieſcumque religio quæ polygamiam vetat, in aliquam introducitur regionem, in qua illa permiſſa eſt, non videtur, ſi politice dumtaxat loqui velimus, quod nationis lex permittere debeat ut homo qui plures uxores habet, ampleċtatur hanc religionem, niſi ſaltem magiſtratus, aut maritus eaſdem compenſent, & ſtatui civili reddant. Hac conditione ſublata, earum ſors deplorabilis eſſet. Ipſæ nihil niſi obedientiam legi præſtitiſſent; & ipſæ magnis ſocietatis emolumentis deſtitutæ forent.*

XV. Leges civiles ea probare valent quæ iure naturæ & religionis vetita ſunt? Quoties religio chriſtiana, quæ uxorum pluralitatem vetat, invehitur in aliquod regnum, in quo lex contraria habendi plures uxores obtinet, lex iſta & naturali, & divinæ prævalere legi debet? Dubio procul, ſaltem politici regiminis ratione habita, clamat noviſſimus legum Cenſor. Unde, quæſo, & ex quo fonte, an Machiavellico, an Hobeſiano hæc politica ratio manat? An Deus naturæ humanæ conditor eiuſdem propagationem communitati generis humani non præcipit? Deum ne naturæ auċtorem latet num unitas, an pluralitas uxorum ad hanc ſocietatis amplificationem conferat? Poterat ne ſuperciliosus Cenſor inſolentius, atque audacius in religionem debacchari? Alterutrum fateatur neceſſum eſt: aut Deum ſecum pugnare, dum propagationem humani generis præ-

præcipit, & polygamiam vetat; aut hanc humanæ propagationi non obeſſe. Vide infra *pag.* 293.

ANIMADVERSIO SEXTA

in cap. XI. *Lib. XXVI. pag.* 41. *& ſeq.*

XVI. „ Qu' il ne faut point regler les tribunaux humains „ par les maximes des tribunaux QUI REGARDENT L' „ AUTRE VIE. “
„ Le tribunal de l'Inquiſition formè par les Moines Chretiens „ ſur l'idee du tribunal de la Penitence, eſt contraire à toute „ bonne Police. “ *Fas minime eſt ut tribunalia humana regantur tribunalium legibus quæ futuram vitam ſpectant. Tribunal Inquiſitionis ad exemplar TRIBUNALIS POENITENTIAE a Monachis Chriſtianis inſtitutum, omni politico regimini contrarium eſt.*

XVII. Quo ultra pergimus, eo patentius ſuam prodit impietatem Cenſor maledicus. Quis vel novatorum eo dementiæ abreptus fuit, ut effutierit humana tribunalia regi haudquaquam debere ſacrorum tribunalium legibus, quæ homines ad æternam vitam inſtituunt? Tribunal Inquiſitionis ad formam *tribunalis Pœnitentiæ* formatum cuicumque politico regimini adverſatur? Tribunal ergo Pœnitentiæ perniciosum eſt cuique Reipublicæ civili. Enimvero, ſi utrumque tribunal ſimilem inſtitutionis formam habet, ſimilem quoque oppoſitionem cum politico regimine utrumque præferat oportet. Perſequitur Cenſor ibid. *pag.* 42.

XVIII. „ Ce tribunal eſt inſupportable dans tous les governemens. Dans la Monarchie il ne peut faire que des delateurs, & des traitres; dans les Republiques il ne peut former que des malhonnetes-gens; dans l'etat deſpotique il eſt deſtructeur comme lui. “

XIX. *Tribunal iſtud cuicumque regimini intolerabile eſt. In Monarchia exploratores, & proditores; in Republica inhoneſtos; in diſpotico regimine deſtructores homines efficit, non ſecus ac ipſum.*

XX. Machiavelliſmus iſte non minus politico-civili, quam ſacro regimini pernicioſiſſimus eſt. An non fatetur vel ipſe peracutus Cenſor ſacræ religionis fundamenta, & leges immobiles eſſe, conſtantes, ac perpetuas; & contra omnia humana flu-

fluxa, atque caduca? Porro quid Reges, Principes, & Reſpublicæ omnes magis exoptant quam principatum firmum, immobilem, & perpetuum? Ergo quo arctiore vinculo civilia tribunalia coniuncta cum religione ſunt, eo feliciora ſplendent, & conſtantiori fruuntur perpetuitate. Quid ſi exemplis illorum regnorum quæ hocce ſacro tribunali deſtituta, crebrioribus atque funeſtioribus obnoxia fuere ſeditionibus, atque viciſſitudinibus, hanc confirmare rem vellem? Sed quæ ſeipſis luculenta ſunt, haud mea egent oratione.

ANIMADVERSIO ULTIMA.

XXI. Innumera hocce in Opere ſevera cenſura digna leguntur, quæ in præſens ſilentio prætereo. Hæc pauca curſim adnotaſſe ſufficiat, ut heinc colligere, ceu ex ungue leonem, minus periti lectores valeant, quanti ſit faciendum opus iſtud, in quo paſſim, dum res fert, impietatis effata modo aperta, modo tecta occurrunt. Non minus Dei religionem quam cuiuſque Reguli ſanctiones proprio ſubiicit cerebello noviſſimus iſte Cenſor. Per omnes vagatur leges cum ſacras, tum profanas, & plurimarum nationum regimina ſacro-politica ut ſupremus iudex diſcutit, probat, improbat, & pro arbitrio definit. Suas cogitatiunculas, & lepidula commenta modo eruditionis floſculis ornata, modo fucis delibuta, confidentia ſane mirifica, tamquam principia extra diſputationis aleam conſtituta evulgat. Si eorum quæ narrat, quæ definit, quæ reiicit rationum momenta, ſi auctoritatis documenta expetas, magnopere falleris. Quemadmodum Machiavellus, ſic iſte ſua effata obtrudit, quin confirmare illa aliquo ſolido ratiocinio ſtudeat; ſed continuis diverticulis, narratiunculis, & axiomatis, quæ continenter ſpuit, lectores ſuos pro eo quo valet ingenio excantat. Qui enim mentis acumen, eruditionem, ſtili elegantiam, circumveniendi lectorem dexteritatem Auctori huic denegaret, ipſe ſe plumbeum, ſtupidumque perhiberet. Ceterum ad Operis iſtius utilitatem quod attinet, ſi quod ſentio, fari libere expedit, nihil inde, ſive pro regiminis adminiſtratione, ſive pro legum ſpiritu penetrando percipies. Hæc dumtaxat perdiſces: religionis iura contemnere, & propriis ratiunculis ſubiicere: audacter de re omni argutari, & arbitraria commenta, ceu ora-

cula

cula cælo delapſa, divendere: quæ omnia innumeris ſciolis mirum in modum placent. Nec eſt quod opponas axiomata, quæ tamquam impietatis lue inquinata reſcripſi ex hoc legum Cenſore, aliqua in circumſtantia, & aliquo in caſu ſenſum habere verum poſſe: quoniam hoc etiamſi admitterem, quid inde? Ut liber perniciosſus, & improbandus iudicetur, ſat eſt illum ſcatere ſententiis quæ iuxta obvium & nativum quem præferunt ſenſum, aures offendant, impietatem redoleant, errorem contineant, & imperitis laqueos incredibili verſutia præparent. Quid, ſi omnia, occaſione data, ad impietatem, ad religionis perniciem vergant? Quid, ſi nullibi pietatis officia cieantur, nullibi religionis iura ſincere propugnentur, quoties politico-civiles leges cum ſacris belligerant? Unum ab iſtis hominibus ſcire averem: quantum nempe temporis impenderint in inveſtigandis ſacrarum legum codicibus: quot preces fuderint, quot ieiunia præmiſerint, quot Patrum volumina pervolverint ad ſublimem earumdem ſenſum comparandum. Riſu forſitan, & cachinis excepturi hæc erunt cæci homines, qui tanta tenebrarum obſidentur caligine, ut vel ipſa media ad divinarum legum, in quas ferre cenſuras non dubitant, ſpiritum aſſequendum neceſſaria penitus ignorent. Cedo. An manifeſta inſania non laboraret ille qui in leges Sinenſes, Turcicas, Romanas, Hiſpanicas, Gallicas iudicium ferret, quin prius illas perſcrutari curioſitate ſumma ſtuduiſſet? Et homunciones acuti ad vana, hebetes ad divina, ſedere iudices non erubeſcunt, religionis controverſias dirimere audent, quin prius vel a limine Scripturas ſanctas ſalutaverint, nedum ſeveriori ſtudio meditati fuerint? Verum de hoc fuſius, & ex inſtituto infra ſermo recurret.

MO-

MONITUM

AD LECTOREM.

SAEpius adpromiſi me ea omnia retractaturum foré quæ calamo meo excidiſſe contra veritatem, æqui rerum æſtimatores iudicaverint. Tempus advenit ut oppignoratam fidem liberem, ERROREMQUE *Tom. I. in Decal. diſſ.* 11. *cap.* XI. *quæſt.* 11. *num.* 8. *pag.* 225. deprehenſum RETRACTEM. Ibi documentum, quo P. Magiſtro Generali O. P. aſſeritur facultas concedendi licentiam pro libris imprimendis, tranſcripſi, ut habetur in P. Fontana. Verum documentum illud in noſtris Conſtitutionibus *diſt.* 11. *cap.* XIV. *ad textum* XI. *lit.* *U.* his aliis verbis legitur. *DECLARAMUS quod in Capitulo Metis* 1313. *ord.* 9. *ſic fuit DECLARATUM. Inhibemus Fratribus ſtrictiſſime ne tractatus, compilationes, ſeu commentarios editos, vel edendos, quovis modo extra Ordinem publicent, quouſque ab eis quibus Magiſter Ordinis id commiſerit, diligenter examinata fuerint, & correcta. Qui autem contrarium fecerint, debita pœna plectantur, iuxta id quod etiam apud Treverim fuit ordinatum* 1266. *ordin.* 6.

Quare te monitum lector velim, hanc repetitam Generalis Capituli declarationem germanum citatæ a me ibi conſtitutionis ſenſum prodere, videlicet Magiſtro Generali prædictæ licentiæ impertiendæ ius competere. Erravi quoque, dum ibidem ſcripſi, Capitulum Generale Romanum celebratum eſſe anno 1688. cum celebratum fuerit anno 1618. in quo confirmatione 5. hæc habentur. *Confirmamus ordinationem quintam Capituli præcedentis Valliſoletani, qua ſtatuitur ut nullus deinceps Liber typis mandetur, quin prius examinatus, & approbatus fuerit a duobus, vel tribus Patribus in unaquaque Provincia, a Provinciali, & Definitoribus Capituli Provincialis nominandis. Quibus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ mandamus ut totum Librum diligenter videant, & examinent, quo ſtilo, gravi, an humili conſtet, de qua materia, ſeu argumento, magni an parvi momenti, nec ſufficiat ut nihil contra fidem, aut bonos mores contineat; ſed talis ſit qui honori, & decori Religioni eſſe poſſit. Libros autem ſic examinatos & approbatos nolumus excuſioni mandari in Italia, antequam Romam ad Magiſtrum Ordinis, vel eius Vicarium mittantur approbandi. Præcipientes ſub eodem formali præcepto ne poſtquam, ut dictum eſt, Liber examinatus & correctus, approbatuſque fuerit, poſſit ei quidquam addi, vel detrahi, niſi id iterum examinatoribus, & Superiori, ab eis approbandum, vel reprobandum, oſtendatur.*

Hæc omnia tranſcribere volui prout extant in Actibus eiuſdem Generalis Capituli, veritus ne ſi legantur qualia reſcripta a P. Fontana ſunt *tit. de libr. imprimendis num.* 5. alio in ſenſu a Capitulo intento a lectore minus perito intelligantur. Tandem altius cuiuſque lectoris animo hæreat velim quod ibidem *pag.* 228. ſcripſi; videlicet, *ne umquam, invitis ſuis Superioribus* *quiſ-*

quiſquam Librum edat. Ad hoc effatum, quod nunc altius inculco, revocari omnia quæ ibi ſcripſi, volo. Siquidem nihil tutius in hac materia præſcribi valet. Addo in legibus interpretandis potiſſimum ſpectandum eſſe Superiorum, qui ſunt illarum cuſtodes, ſenſum, probatamque conſuetudinem. Qua ſinceritate hoc, eadem cetera errata omnia quorum fuerim ab honeſtis candidiſque viris admonitus, retractabo, ut videant & confundantur qui blaterare, me minus ſincerum eſſe in reſcribendis quorumdam Caſuiſtarum opiniunculis, iniuria ſumma & manifeſta pergunt.

In hoc Tumo *pag.* 221. *num.* 10. ſcripſi: „ Sed fallitur P. Viva id non „ exprimi in damnata theſi &c." Ne quis vitilitigare ſuper hoc verbo *exprimi* valeat, declaro, id utique *materialiter*, ut aiunt, non haberi in damnata theſi, in qua tamen reipſa & formaliter ſignificatur. Similiter quamvis aliquid diſcriminis ſit inter voluptatem perceptam ex proſpectu campi, auditu muſicæ, olfactu roſæ; & voluptatem captam ex cibo, potu, & actu coniugali, de quibus ibi *pag.* 222. diſputatur, non inde tamen conſequitur præfatum Auctorem ambigue non interpretari dictas duas theſes. Quæ ideo adverto, ut cavillationes, quæ obtrudi inepte poſſent, præveniam. Vale.

I N-

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum quæ in hoc Tomo continentur.

IN LIBROS TRES DE IURE NATURAE, ET GENTIUM &c.

DISSERTATIO PROLEGOMENA.

PRAELOQUIUM. Pag. 1.

CAPUT I.

Iuris naturæ finitio. 4.

CAPUT II.

Synopſis hiſtoriæ iuris naturalis. 6.

CAPUT III.

Sancti Patres in exponendis iuris naturæ mandatis ab Ioannis Barbeyraci, Chriſtiani Thomaſii, *aliorumque aquilonarium hæreticorum impoſturis aſſeruntur.* 10.

CAPUT IV.

Thomaſius, Budæus, Barbeyracus, *& communiter Lutherani Scriptores iuris naturæ ſcientiam denegant omnibus qui ante Lutherum vixerunt. Illorum lepida commenta, & feſtivæ calumniæ refelluntur.* 29.

CAPUT V.

Grotii, Seldeni, Hobbeſii, Cumberlandi, Pufendorfii, Thomaſii, Budæi, Heinneccii *in ius naturæ, & gentium conatus, & ſtudia.* 39.

CAPUT VI.

Iudicium in methodum quo Chriſtianus VVolfius *ius naturæ exponit. Paralellus iſtius methodi cum methodo illa quam Scholaſtici ſervant.* 51.

§. I.

Cenſus nonnullarum propoſitionum VVolfianarum. 55.

§. II.

Nonnullæ animadverſiones in recenſitas propoſitiones. 59.

CAPUT VII.

Tres Scholaſticorum claſſes. Poſtrema ius naturæ, & gentium, omnibus penſatis, felicius præ omnibus novatoribus exponit. 62.

CAPUT VIII.

Hobbeſius, Cumberlandus, Pufendorfius, Thomaſius, Barbeyracus, Heinnecius VVolfius, *ceterique tranſalpini hæretici ſolo naturæ lumine, ſublata auctoritate omni*

tum divinarum Scripturarum, tum antiquorum Scriptorum, interpretantur iuris naturalis mandata. Ipſas divinas Scripturas, nedum naturæ decreta, humano ſubiiciunt ratiocinio. 66.

CAPUT IX.

Hobbeſii, Cumberlandi, Puſendorſii, Thomaſii, Heinnecii, Barbeyraci, VVolſii, *& aliorum, abſtrahentium a doctrina revelata in exponendo naturæ iure, aberrationes pateſiunt.* 69.

CAPUT X.

Corrupti humanæ naturæ mores ex S. Auguſtino deſcribuntur. Myſterium formidandum vita hominis. Sapientes Ethnicorum, hominum mala viderunt, cauſſam ignorarunt. Quam ſint cæci heterodoxi Hobbeſius, Cumberlandus, Puſendorſius, Thomaſius, Barbeyracus, VVolſius, Heinnecius, *ceterique, qui ſolo naturæ lumine moderari hominum ſocietatem inſipienter ſe iactant.* 72.

CAPUT XI.

Uſus rectæ rationis in iure naturali explicando. Duo extrema vitanda. Humana natura fundus eſt in quo ſuas agit radices naturæ ius. Qui veneficas iſtius ſoli qualitates ignorant, inepti ſunt ad explicanda iuris naturalis dictata. Heterodoxi Hobbeſius, Puſendorſius, Thomaſius, VVolſius, Heinnecius, *a revelata doctrina abſtrahentes, ſoli rectæ rationi innixi, cæciores Ethnicis ſunt, quod medicinam unicam morbo opportunam negligant. Iſtorum methodus Pelagianiſmum, & Naturaliſmum fovet. Errores ab iſtis evulgati contra ius naturale.* 76.

CAPUT XII.

Adverſariorum ſophiſmata profligantur. 82.

CAPUT XIII.

ARCANI ſuſpicio, cur novi heterodoxi Scriptores Scripturarum uſum in iuris naturalis explicatione reiiciant, manifeſtatur. Illorum contra ius naturæ errores graviſſimi. Ineptiſſime exprobrant Caſuiſtis noſtris laxas opiniones, cum ipſi craſſiſſimos errores doceant. Illorum calumnia, quod apud nos Catholicos lumen rationis ſupprimatur, denuo exploditur. Monitum ad ſaperdas quoſdam Italos, Grotianos, Puſendorſianos, VVolſianoſque. 87.

LIBER PRIMUS.

DE IURE NATURAE, ET GENTIUM.

DISSERTATIO I.

De hominis officiis, ſeu de actionibus humanis.

CAPUT I.

De DEO, & HOMINE, quatenus ſunt iuris naturæ principia. S. Thomæ doctrina; qua exacta hominis idea refertur, & fundamenta moralitatis præiaciuntur. Eorum quæ de origine entium moralium ſcribit Samuel Puſendorſius, examen. 94.

CA-

CAPUT II.

Ricardus Cumberlandus *ad benevolentiam ſingulorum hominum erga alios homines, ad propenſionem propagandæ ſtirpis, ad cerebri humani magnitudinem, ad eiuſdem inclinationem ad venerem non limitatam tempori, ad ampliora vaſa ſpermatica omnes revocat naturales leges. Hi, & alii errores profligantur.* 101.

CAPUT III.

Doctrina S. Thomæ *de homine propter finem operante. Finis; qui principium extrinſecum eſt humanarum actionum, notio, & partitio. Plures hoc de argumento quæſtiunculæ. Admonitio ad Puſendorfianos, VVolfianos, Heinnecianos.* 110.

Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit finis; & an homini agere propter finem conveniat?* ibid.

Quæſt. II. *Solius ne hominis eſt propter finem agere?* 111.

Quæſt. III. *Officia humana recipiunt ne a fine ſpeciem, ſeu bonitatem; ac malitiam?* 112.

Quæſt. IV. *Sit ne aliquis finis ultimus humanæ vitæ?* 113.

Quæſt. V. *Unius hominis valent ne eſſe plures ultimi fines?* 114.

Quæſt. VI. *Vult ne homo, quæ appetit, omnia propter ultimum finem?* 115.

Quæſt. VII. *Sit ne omnium hominum unus ultimus finis?* ibid.

Quæſt. VIII. *Utrum in hoc ultimo fine aliæ creaturæ conveniant?* 116.

CAPUT IV.

De beatitudine, quæ eſt verus ultimus finis hominum. In nullo bono creato, ſed in ſolo Deo ſita eſt. Chriſtiani VVolfii *de ſummo bono propoſitiones.* ibid.

CAPUT V.

De officiis voluntariis. Quam præclare hæc S. Thomas, ceterique Theologi catholici exponunt. Quam ieiune, imperite, & obſcure de his ſcribant Puſendorfius, & Thomaſius, ceterique earumdem ſectarum. 120.

Quæſt. I. *Quid ſit officium voluntarium?* ibid.

Quæſt. II. *Sublato omni voluntatis actu, eſt ne voluntaria omiſſio, advertente ratione, urgenteque præcepto?* 122.

Quæſt. III. *Poteſt ne omiſſio eſſe voluntaria, quin urgeat præceptum?* 124.

Quæſt. IV. *Quæ ſint voluntarii cauſſæ?* ibid.

Quæſt. V. *Vim ne voluntas pati poſſit in actibus tum imperatis, tum elicitis?* 125.

Quæſt. VI. *An quæ ſiunt ex metu, ſint involuntaria?* 126.

Quæſt. VII. *Qui contractus ex metu initi ſunt irriti?* 129.

Quæſt. VIII. *Quæ ſiunt ex concupiſcentia, ſunt ne involuntaria?* ibid.

Quæſt. IX. *Utrum ignorantia inferat involuntarium?* 130.

CAPUT VI.

De humana libertate. Hac homo in ſui creatione præditus fuit, nec eam per originalem culpam amiſit, Lutheri, Calvini, Puſendorfii, Chriſtiani Thomaſii, aliorumque Proteſtantium errores. 132.

§. I.

Hæreticum Lutheri, Calvini, & Ianſenii ſyſtema de libero arbitrio in æternæ ſalutis negotio. 135.

§. II.

Chriſtiani Thomaſii, Budæi, Puſendorfii, & *aliorum Lutheranorum de libertate opinationes.* 150.

§. III.

Hæreſis Ianſeniana de libertate, in tertia propoſitione contenta: Ad merendum, & de-

demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione : *paucis perſtringitur*. 152.

§. IV.

Non niſi ex Lutheranæ, Calvinianæ, & Ianſenianæ doctrinæ ignorantia, Thomiſtarum de libero arbitrio, & divinis auxiliis ſyſtema comparari cum Lutheri, Calvini, & Ianſenii ſyſtemate poteſt. 164.

§. V.

Vindicatur P. Antoninus Maſſoulie *ab impoſtura labis Ianſenianæ, quam iniuria ſumma illi impingit Doctor Sorbonicus* D. Honoratus Turnely. 168.

§. VI.

Fallitur, & fallit D. Honoratus Turnely, *dum aſſerit P. Maſſoulie ad figmentum, ac merum phantaſma revocare ſyſtema Ianſenianum. In hoc abſurdum lapſum eſſe Doctorem Sorbonicum evincitur*. 175.

§. VII.

Breves vindiciæ P. Ioannis Baptiſtæ GONET *ab iniuſtis cenſuris D. Honorati TURNELY*. 182.

§. VIII.

Refellitur tertia propoſitio Ianſenii : & libertas indifferentiæ ad merendum, vel demerendum, oppoſita neceſſitati, ſeu determinationi ad unum, auctoritate tum ſacræ Scripturæ, tum S. Auguſtini, cui maxime fidunt Calvinus, & Ianſenius, evincitur. 186.

§. IX.

Ex doctrina S. Thomæ *vera libertatis idea. Calvini, & Ianſenii ſophiſmata in anteceſſum præfocata*. 190.

§. X.

Sola indifferentia contradictionis ad eſſentiam libertatis pertinet. Niſi auferatur iudicii indifferentia, voluntas amittere libertatem nequit. 194.

§. XI.

Ex parte ſolius obiecti neceſſitas proficiſcitur voluntatis. Si Deus imprimere neceſſitatem voluntati velit, iudicii indifferentiam auferat oportet. Motio, quamvis efficaciſſima, perficit, non minuit libertatem. 197.

CAPUT VII.

Mirabilis actuum humanorum harmonia, & ordo. Quam inepte de humanis officiis diſputent Pufendorfius, Thomaſius, Cumberlandus, Heinnecius, VVolfius, *ceterique Proteſtantes*. 202

CAPUT VIII.

De actuum humanorum moralitate. Vera iſtius moralitatis notio. Error Samuelis Pufendorfii, *moralitatem conſtituentis in imputativitate, caſtigatur*. 207.

Quæſt. I. *Sita ne eſt in libertate, aut denominatione aliqua extrinſeca actuum humanorum moralitas?* ibid.

Quæſt. II. *Moralitatis notio ſita ne eſt in ordine, & conformitate ad regulas morum?* ibid.

Quæſt. III. *Quænam ſint morum regulæ?* 208.

Quæſt. IV. *An moralitas actionum conſiſtat in imputativitate?* ibid.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Unde actus morales ſpeciem capiant. 209.

CAPUT X.

Qua fieri ratione poteſt ut ſæpe ſint bona mixta malis, & mala mixta bonis? 212.

CAPUT XI.

Actiones humanæ, tametſi ex obiecto indifferentes, reipſa tamen, ſeu in individuo; aut bonæ ſemper ſunt, aut malæ. Plurium Recentiorum commenta refelluntur. 217.

Quæſt. I. *Sufficit ne habitualis directio operum in Deum; ſive in honeſtum finem?* 230.

Quæſt. II. *In duabus propoſitionibus ab Eccleſia damnatis, & ſupra relatis, comprehenditur ne opinio de actuum indifferentia in individuo?* 231.

DISSERTATIO II.

De legibus.

PRAELOQUIUM. 232.

CAPUT I.

Variæ iuris acceptiones. Pro lege hic accipitur. 233.

CAPUT II.

De lege in communi. Unde ſuam repetat originem. Eiuſdem notio, & diviſio. Cur præter naturalem & humanam, divinam poſitivam Deus indixerit. Puſendorfii, Cumberlandi, Thomaſii, *aliorumque gregalium ſyſtema vanum.* 235.

CAPUT III.

Sit ne lex propter communitatem, & bonum commune. De eius neceſſitate, iuſtitia; & duratione. 239.

CAPUT IV.

De legis promulgatione. Qualitas promulgationis legis humanæ civilis, & eccleſiaſticæ. Utrum ſufficiat quod lex ſive civilis, ſive eccleſiaſtica promulgetur in Curia? 243.

Quæſt. unic. *Aliquod ne temporis ſpatium interfluere debet a die promulgationis, antequam lex obliget?* 248.

CAPUT V.

Sit ne populi acceptatio ad legis ſive eccleſiaſticæ, ſive civilis valorem neceſſaria. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur, profligatis Caramuelis, aliorumque Caſuiſtarum laxis opinationibus. 250.

Quæſt. I. *Valet ne Princeps ſupremus ſua lege iuſta, & legitime promulgata invitos ſubditos cogere ad eam acceptandam?* ibid.

Quæſt. II. *An ſummus Pontifex, & Epiſcopi poſſint, non expectato ſubditorum conſenſu, leges ferre?* 251.

Quæſt. III. *Peccant ne ſubditi legem iuſtam non acceptando?* 252.

Quæſt. IV. *An lex reiecta a populo invalida fiat?* ibid.

Quæſt. V. *Licite ne ſubditi poſſunt ad legiſlatorem appellare, ut legem a ſe iuſte latam abroget?* ibid.

Quæſt. VI. *Tempore interpoſitæ ſupplicationis tenentur ne ſubditi legem ſervare?* 253.

Quæſt. VII. *Quid, ſi Princeps non inſtet, nec reproducat legem a ſubditis reiectam?* ibid.

C A P U T VI.

De lege æterna Dei. ibid.

Quæſt. unic. *An ſit in Deo: & quid ſit æterna lex?* ibid.

C A P U T VII.

De lege naturali promiſcua, a lege naturali rationis diſtincta. Corriguntur aberrationes Grotii, Puſendorfii, *& aliorum.* 255.

C A P U T VIII.

De naturali lege rationis homini propria. Lutheranorum Thomaſii, Puſendorfii, aliorumque abſurda commenta. 257.

C A P U T IX.

Homo exlex natura ſua repugnat. Bonitas, & turpitudo ante omnem legem inſunt actionibus. Errores Hobbeſii, Hoſiandri, Seldeni, Puſendorfii, *aliorumque Lutheranorum, auctoritate M. Tullii Ciceronis refelluntur.* 261.

C A P U T X.

S. Thomas *in anteceſſum errores Hobbeſii, Puſendorfii, aliorumque labefactavit. Invictis argumentis evincit honeſtatem, & turpitudinem actionibus ineſſe ante omnem legem.* 267.

C A P U T XI.

Fundamentalis ne, an formalis dicenda eſt honeſtas, vel malitia quæ antecedenter ad legem actionibus hæret? 270.

C A P U T XII.

Legis naturalis pictura. In quo ſita vera illius notio ſit, ex doctrina S. Thomæ explicatur. 273.

C A P U T XIII.

Quæ præcepta contineantur in lege naturali. Num omnia Decalogi mandata includantur in eadem? 278.

C A P U T XIV.

De iuris naturæ immutabilitate, abrogatione, & diſpenſatione. Variæ quæſtiunculæ dirimuntur. 283.

Quæſt. I. *Lex naturalis quantum ad principia univerſalia eſt ne ſeipſa immutabilis omnino & invariabilis tam in communi, quam in particulari?* 285.

Quæſt. II. *Lex naturalis quantum ad præcepta ſecundaria eſt ne ſimiliter in ſe ipſa immutabilis?* ibid.

Quæſt. III. *Eſt ne poteſtas aliqua humana, ſive civilis, ſive eccleſiaſtica, quæ ab obſervatione legis naturalis diſpenſare, ſeu ſolvere homines queat?* 287.

Quæſt. IV. *Poteſt ne Deus ſua abſoluta poteſtate diſpenſare in aliquibus iuris naturæ præceptis?* 288.

Quæſt. V. *Locum ne in lege naturali habeat epiikia?* 294.

C A P U T XV.

De iure gentium diſtincto a iure naturali. Errores Hobbeſii, Puſendorfii, Heineccii, *aliorumque exploduntur.* 295.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De lege poſitiva divina vetere, & nova.

PRAELOQUIUM. 298.

CAPUT I.

Lex Moſaica bona, a Deo lata ſoli populo Iudæo. Eius finis, præcepta; & abrogatio. ibid.

CAPUT II.

De lege nova a Chriſto inſtituta. Eiuſdem præcepta, a Moſaica diſcrimen, & diuturnitas. Errores Lutheri, Calvini, & Hobbeſii. 313.

DISSERTATIO IV.

De iure poſitivo humano publico, & privato, ſeu de lege voluntaria humana.

PRAELOQUIUM. 319.

CAPUT I.

Legum humanarum fundamentum hominum ſocietas. Obiter de ſocietate coniugali, paterna, herili, domeſtica, & civica. Inſtitutio civitatum legum neceſſitatem infert. Samuelis Puſendorfii, *&* Chriſtiani Thomaſii *commenta refelluntur.* 320.

CAPUT II.

De maieſtate, ſeu ſumma poteſtate civili. Eiuſdem origo, & prærogativæ. Errores Vitriarii, Thomaſii, Puſendorfii, *ceterorumque Proteſtantium obiter refelluntur.* 324.

CAPUT III.

De iure civili publico, & privato. Iurispubliciſtæ Proteſtantes turpiter confundunt ius civile ſupremum cum ſacro. In examen præcipue vocatur doctrina quam tradit Samuel Puſendorfius *in libello inſcripto*, De habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem. 329.

§. I.

Origo iuris civilis, eiuſdemque acceptiones variæ. Diſcrimen ius publicum inter & privatum. Inepte iactabundi gloriantur Scriptores Lutherici, ſe e tenebris in lucem eduxiſſe ius publicum. 330.

§. II.

Iurispubliciſtæ Proteſtantes, Grotius, Goldaſtus, Puſendorfius, Coringius, *ceterique eiuſdem ſectæ, ius ſacrum cum civili permiſcentes, Rerumpublicarum regimina perturbarunt. Nonnulla effata ex libello* Puſendorfii de habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem *delibantur.* 332.

§. III.

Poteſtatis in ſacra diſtincta notio. Turpiter errant Doctores Luthericì, qui iure & naturali, & divino convenire Principibus hanc poteſtatem effutiunt. Nonnulla præmittuntur adverſus Hugonem Grotium. 338.

§. IV.

Turpiter errat Pufendorfius *cum ſuis, ex divino antiqui fœderis iure inferens ſupremis poteſtatibus convenire ius in ſacra.* 342.

§. V.

Craſſius errat Pufendorfius *cum ceteris Luthericis, dum vi novi teſtamenti ſummas poteſtates iure potiri in ſacra contendit.* 346.

§. VI.

Errores Pufendorfii, *tribuentis ſummis poteſtatibus ius in ſacra, ex ipſo iure civili, canonico, & Catholicorum conſenſu refelluntur.* 354.

§. VII.

Iuriſpubliciſtæ Pufendorfii *inſanæ Politica. Illius, quibus illudit Principibus, fraudes. Monita ad imperitos, ut iſtius Auctoris, aliorumque ſimilium lectionem ſeducentem devitent.* 357.

CAPUT IV.

De iure civili privato. Eiuſdem notio, & partitio. 361.

CAPUT V.

De iure canonico, ſeu eccleſiaſtico. 366.

CAPUT VI.

De poteſtate legis condendæ. 371.

Quæſt. unic. *Quid de declarationibus ſacræ Congregationis Cardinalium? Habent ne vim legis?* 376.

CAPUT VII.

De perſonis quæ legum humanarum obſervationi ſubditæ ſunt. 377.

Quæſt. I. *Principes ſupremi aſtringuntur ne leges a ſe latas ſervare?* ibid.

Quæſt. II. *Sint ne pueri ſeptennes legibus ſubiecti?* 379.

Quæſt. III. *Quomodo infideles, amentes, ebrii a legum obſervatione excuſantur?* ibid.

Quæſt. IV. *Tenentur ne Clerici parere legibus civilibus?* 380.

Quæſt. V. *Peregrini, & advenæ ſubiecti ne ſunt legibus ſuæ patriæ, & locorum per quæ tranſeunt?* ibid.

Quæſt. VI. *Peregrini, advenæ, & forenſes aſtringuntur ne ſervare leges loci per quem tranſeunt ſine animo ibidem commorandi, ſi maneant unum aut alterum diem?* ibid.

Quæſt. VII. *Peregrini, & advenæ tenentur ne leges patriæ, a qua abſunt, ſervare?* 382.

Quæſt. VIII. *Peccant ne qui deliberato animo diſcedunt a proprio territorio, ubi lex ieiunii, aut feſti viget, ut alio ſe tranſferant, ubi eiuſmodi leges non ſunt?* ibid.

Quæſt. IX. *Qui diſcedit die feſto a proprio loco, tenetur ne ante diſceſſum Sacrum audire?* 384.

Quæſt. X. *Qui diſcedit a proprio loco, in quo obtinet præceptum ieiunii, ad locum in quo nullum eſt ieiunii mandatum, poteſt ne ientaculum ſumere?* ibid.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. XI. *Quid dicendum ſit in caſu quo eſt ſpeciale præceptum & in loco unde diſcedis, & in loco ad quem accedis?* 385.
Quæſt. XII. *Diœceſanus valet ne confinia diœceſis egredi eo animo ut a peccatis reſervatis quæ proprio Parocho confiteri recuſat, abſolvatur?* 386.
Quæſt. XIII. *Si peregrinus committit delictum extra locum ſui domicilii, puniri ne a proprio ſuperiore valet ob hoc delictum?* 387.

DISSERTATIO V.

De legum humanarum effectibus, & vi obligandi.

PRAELOQUIUM. 389.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ Caſuiſtarum. ibid.

CAPUT II.

Qui ſint legis effectus, & quænam materia. 392.
Quæſt. I. *Quænam ſit legis humanæ materia?* 393.
Quæſt. II. *Poſſunt ne legiſlatores humani præcipere, aut vetare actus indifferentes?* 394.
Quæſt. III. *Valent ne legiſlatores humani, ſive eccleſiaſtici, ſive civiles, actus mere internos directe, & abſolute præcipere?* ibid.
Quæſt. IV. *Poteſt ne Eccleſia præcipere ſaltem indirecte actus internos cum externis connexos?* 399.
Quæſt. V. *Præcipere ne Eccleſia valet actus externos occultos?* 400.

CAPUT III.

De legis humanæ obligatione. Unde eiuſdem colligenda obligatio. Iuſta ne ſit oportet, ut obſtringat. Quid de legibus iniuſtis? Plures hac de re quæſtiunculæ. ibid.
Quæſt. I. *Leges iniuſtæ pariunt ne obligationem?* 402.
Quæſt. II. *Leges iuſtæ tyrannorum ſervandæ ne ſunt?* 403.
Quæſt. III. *Unde colligenda ſit gravis obligatio legis?* ibid.
Quæſt. IV. *Unde colligendum ſit, legem ſub mortali, aut ſub veniali obligare?* 404.
Quæſt. V. *Valet ne legiſlator præcipere materiam levem ſub gravi culpa?* ibid.
Quæſt. VI. *Materia reipſa gravis poteſt ne a legiſlatore ſub levi obligatione imperari, aut prohiberi?* 405.
Quæſt. VII. *Quænam ſunt regulæ unde colligi materiæ gravitas debeat?* ibid.
Quæſt. VIII. *Quandonam materia levis per continuationem fiat gravis?* 407.
Quæſt. IX. *Quando interruptæ reputari materiæ parvitates debent.* ibid.
Quæſt. X. *Quandonam violatio legis in materia parva ex contemptu mortalis evadit?* 409.

CAPUT IV.

De legis pœnalis obligatione ante, & poſt ſententiam iudicis. 410.
Quæſt. I. *Undenam argui poteſt, legem pœnalem mixtam obligare ſub gravi culpa?* ibid.
Quæſt. II. *Pœnæ temporales, inflictæ a lege pœnali, ſunt ne ſufficiens ſignum obligationis ſub culpa gravi?* 411.

Quæſt.

Quæſt. III. *Violatores legum pœnalium tenentur ne taxatas pœnas luere ante iudicis ſententiam?* 414.
Quæſt. IV. *Qui a contractu inito reſiliunt, ſubire ne pœnam conventionalem debent latam in eiuſmodi reſilientes, ante ſententiam iudicis?* 416.
Quæſt. V. *Legum pœnalium violatores tenentur ne, prolata iudicis ſententia, ſeipſis pœnam exequi, an debent expectare iuſtitiæ executionem?* 417.
Quæſt. VI. *Tenetur ne iudex pœnas a lege taxatas reo applicare?* ibid.
Quæſt. VII. *Si iudex abſque cauſſa pœnam a lege præſcriptam remittat, tenetur ne ad reſtitutionem?* ibid.
Quæſt. VIII. *Lex in præſumptione fundata contra legem divinam, veritate deficiente, obligat ne in conſcientia?* 418.

CAPUT V.

De lege tributorum. 420.
Quæſt. unic. *Lex quæ tributum imponit, obligat ne in conſcientia?* ibid.

CAPUT VI.

De Lege irritante. 424.
Quæſt. I. *Lex irritans obligat ne in conſcientia?* 425.
Quæſt. II. *Unde colligendum ſit, conditiones præſcriptas a lege pertinere ad ipſam contractus ſubſtantiam, vel ad accidentia?* ibid.

CAPUT VII.

De lege dubia. Laxiores Probabiliſtarum opinationes profligantur. 426.
Quæſt. I. *Qui dubitat, exiſtat ne lex, an ſecus, liber ne a lege eſt?* ibid.
Quæſt. II. *Qui certus de lege, dubitat vero, an hoc in particulari ſubiectus ſit legis obſervantiæ, exemptus ne a lege eſt?* 427.

CAPUT VIII.

An ſubeundæ mortis, aut gravis damni periculum ab obſervanda lege eximat? 431.

CAPUT IX.

De voluntate, ſeu intentione neceſſaria ad implendam legem. 433.
Quæſt. I. *Neceſſaria ne eſt aliqua intentio, vel expreſſa, aut virtualis, adimplendi præceptum; vel ſufficit intentio ponendi rem præceptam?* 434.
Quæſt. II. *Ut quis ſatisfaciat legi, debet ne finem legis intendere?* 435.
Quæſt. III. *Impleri ne præceptum valet actu vitioſo?* 436.

CAPUT X.

De pluribus præceptis eodem actu implendis; & de impedimentis quæ aut apponuntur, aut non removentur, ne lex impleatur. 437.
Quæſt. I. *Impleri ne uno actu plura præcepta valent?* ibid.
Quæſt. II. *Satisfieri ne poteſt eodem tempore diverſis præceptis?* ibid.
Quæſt. III. *Peccat ne qui impedimentum apponit, ut a lege implenda liber ſit?* 438.
Quæſt. IV. *Peccant ne contra præceptum qui impedimenta non removent, dum ſine gravi damno poſſunt?* 439.
Quæſt. V. *Qui non poteſt totum implere opus præceptum, aſtringitur ne partem quam poteſt, exequi?* 368.
Quæſt. VI. *Quando duo occurrunt præcepta quæ ſimul ſervari nequeunt, quid agendum?* ibid.

DISSERTATIO VI.

De legis ceſſatione, interpretatione, diſpenſatione, & conſuetudine.

PRAELOQUIUM. 441.

CAPUT I.

Improbabilis, & laxa eſt plurium Probabiliſtarum opinio, qua defenditur, non obligare legem, ſublato eiuſdem fine in particulari. ibid.
Quæſt. I. *Expectanda ne eſt Principis declaratio, qua definiatur legem ceſſaſſe?* 442.
Quæſt. II. *Ceſſante negative fine adæquato legis in particulari, ceſſat ne legis obligatio?* 443.

CAPUT II.

De legis abrogatione. 447.
Quæſt. I. *Quandonam lex antiqua abrogata cenſeatur, nova ſuperveniente?* 449.
Quæſt. II. *Quis abrogare legem valet?* ibid.
Quæſt. III. *Poteſt ne inferior legem a ſe latam, confirmatam a ſuperiore, abrogare, & mutare, eidemque derogare?* ibid.

CAPUT III.

De legis interpretatione, & epiikia. Opiniones P. Viva, *falſo pro ſe citantis* P. Suarez, *& aliorum Probabiliſtarum refelluntur.* 450.
Quæſt. I. *Quando legislator prohibet legis interpretationem, licitum ne eſt Doctoribus ex inſtituto, nedum obiter, eamdem interpretari?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ regulæ in interpretatione ſervandæ?* ibid.
Quæſt. III. *Extendenda ne lex ad caſum in ea non comprehenſum, ob ſimilitudinis, vel identitatis rationem?* 452.
Quæſt. IV. *Quando legislator decidit aliquem caſum, extenditur ne deciſio ad alium ſimilem caſum?* ibid.
Quæſt. V. *Quibus in caſibus licitum ſit uti epiikia, ſeu epikeia?* 454.
Quæſt. VI. *Requiritur ne certitudo, an ſatis eſt probabilitas, ut uſus epikeiæ licitus ſit?* ibid.

CAPUT IV.

De æquo & bono. 458.

§. I.

AEquitatis regulæ e iure canonico hauſtæ. 462.

§. II.

Regulæ e iure civili ſelectæ. 465.

§. III.

Sententiæ ex diverſis Marci Tullii libris collectæ. 467.

CAPUT V.

De diſpenſatione a lege. 471.

§. I.

§. I.

Diſpenſationis notio, eiuſdemque partitio. ibid.

Quæſt. I. *Ut ſubditus liber ſit a lege, ſat ne eſt ut præſumat ſuperiorem fore diſpenſaturum?* 472.

Quæſt. II. *Unde colligi poſſit, velle reipſa Prælatum diſpenſare?* 473.

Quæſt. III. *Sola taciturnitas Prælati eſt ne ſufficiens ſignum colligendi eumdem velle diſpenſare?* ibid.

§. II.

De iis qui diſpenſare in lege divina, & humana, & reſpectu quorum, valeant. 476.

Quæſt. I. *Conceſſit ne Deus Romanis Pontificibus privilegium diſpenſandi in iis quæ ſunt divini iuris?* ibid.

Quæſt. II. *Quibus competit diſpenſatio a legibus humanis?* 477.

Quæſt. III. *Inferior in legibus ſuperioris diſpenſare ne valet?* 478.

Quæſt. IV. *Legislator ſupremus valet ne cum diſpenſatione commutationem coniungere?* 479.

Quæſt. V. *An poteſtas delegata diſpenſandi ſit ample interpretanda?* ibid.

Quæſt. VI. *Reſpectu quorum dari legum diſpenſatio poſſit?* 480.

Quæſt. VII. *Poteſt ne legislator ſecum, quemadmodum cum aliis, diſpenſare?* ibid.

§. III.

Utrum licita ſit diſpenſatio abſque iuſta cauſſa data? Peccant interdum ſuperiores, quia non diſpenſant. Peccant frequentius, quia diſpenſant. Laxæ Probabiliſtarum opiniones reiiciuntur. 481.

§. IV.

Utrum diſpenſatio ſine iuſta cauſſa conceſſa, invalida, & nulla ſit. 485.

§. V.

Diſpenſationes a ſacris canonibus, in quibus aliquid iuris divini, aut naturalis includitur, ut diſpenſationes recipiendi plures præbendas, non reſidendi, ſimileſque, omnium Theologorum, etiam iuniorum, conſenſu nullæ ſunt. 491.

§. VI.

De cauſſis quæ ad licitam validamque diſpenſationem requiruntur. 496.

Quæſt. I. *Quid, ſi de cauſſæ ſufficientia dubitetur?* 497.

Quæſt. II. *Valida ne eſt diſpenſatio, quando reipſa datur cauſſa ſufficiens pro eadem, ſi diſpenſator illam ignoret, & nihilominus diſpenſationem impertiatur?* ibid.

Quæſt. III. *Tenetur ne diſpenſator, cauſſa legitima occurrente, diſpenſationem impertiri illam petenti?* 498.

Quæſt. IV. *Utrum impoſitio mulctæ pecuniariæ ſufficiens cauſſa ſit diſpenſationis concedendæ?* ibid.

§. VII.

De diſpenſatione ſubreptitia, obreptitia, & per metum extorta. 499.

§. VIII.

Quibus de cauſſis obtenta diſpenſatio ceſſet. 501.

Quæſt. I. *Ceſſante cauſſa finali, ob quam conceſſa diſpenſatio eſt, ceſſat ne diſpenſatio?* ibid.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. II. *Ceſſat ne diſpenſatio ob mortem diſpenſatoris?* 502.
Quæſt. III. *Poteſt ne diſpenſator ſuam revocare diſpenſationem?* 503.
Quæſt. IV. *Quandonam ceſſet diſpenſatio per renuntiationem?* ibid.

CAPUT VI.

De lege non ſcripta, ſeu de conſuetudine. 504.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit conſuetudo? 505.

§. II.

Quinam conſuetudinem invehere poſſint, & quæ conditiones ad veram conſuetudinem requirantur. 506.
Quæſt. I. *Quot ſunt conditiones ad veram conſuetudinem neceſſariæ?* 507.
Quæſt. II. *Quodnam tempus requiritur ad introducendam conſuetudinem?* 508.
Quæſt. III. *Quinam actus, & quæ eorumdem frequentia requiratur ad veram conſuetudinem?* 509.

CAPUT VII.

De triplici conſuetudinis effectu: & de modis quibus conſuetudo ceſſat. 512.

FINIS.

Errata			*corrige ſic.*
Pag. 85.	lin. 2.	Doctos, re	Doctores,
203.	16.	attenito	attentio
302.	18.	præcepta oral ia	præcepta moralia
320.	22.	traſtatu	tractatu
344.	13.	Obiiciunt enim	Obiiciunt etiam
416.	13.	intras	intra
499.	ult.	alſum	falſum
503.	18.	egibus	legibus.

Digitized by Google

IN LIBROS TRES

DE NATURAE, ET GENTIUM IURE, DEQUE POSITIVO, DIVINO, ET HUMANO

DISSERTATIO PROLEGOMENA.

PRAELOQUIUM.

PRovinciam omni ex parte celeberrimam, ſive eiuſdem dignitatem, amplitudinem, & commodum, ſive uberrimam diſputandi copiam, explicandarumque veritatum profunditatem, ſive tandem diligentiam, ſtudium, eruditoſque conatus Cl. Virorum, qui eidem exornandæ ſedulam navarunt operam, ſpectes, illuſtrandam ſuſcipio. Priuſquam vero rem ipſam ingredior, te, lector benevole, paucis alloqui intereſt. Et primum omnium ſcias velim, me hoc delegiſſe argumentum diſpiciendum, non modo quod ſit Theologiæ nobilis pars, ſed alia quoque ratio magnopere ſponte currenti calcaria addidit. Ea porro eſt, quod plurimi Italiæ noſtræ ſaperdæ, atque barbatuli, quemadmodum veſtitus formam, ita etiam loquendi, ratiocinandi, atque philoſophandi, ne dicam ſpuendi, regulas ab ipſis Tranſalpinis, & quidem frequenter hæreticis, Lutheranis, Calvinianis, ceteriſque id genus, mutuari minime erubeſcant. Dum erudituli noſtri prima iuris naturæ & gentium elementa deguſtare incipiunt, continuo crepant *Grotios*, *Puſendorfios*, *Seldenos*, *Heinecios*, *Cumberlandios*, *Thomaſios*, *VVolfios*, eorumque gregales. Dicteria, ſcommata, impoſturas, quas hæretici iſti in Theologos, quos vocant Scholaſticos, in Patres ſanctos, in Pontifices ſummos, in Romanam Eccleſiam impotenti temeritate eructant, ſcituli noſtri Itali adoptant, &, ut eruditionis fumum penes vulgus captent, eadem in tempore promunt. Uſque dum *Cumberlandii*, & *Puſendorfii* opera de *I. N. & G.* latine dumtaxat evulgata fuerunt, vix Septentrionis confinia tranſiliere, paucorumque ma-

Digitized by Google

manibus terebantur. Verum ſimulatque cincinnis, & fucis Gallicæ linguæ Barbeyraci pennicillo delibuta, & veluti transformata viſa ſunt, tum in Italiæ civitatibus reſonare, & ſemidoctorum hominum ore ad ſidera uſque extolli cœperunt. Inſitus a natura amor in patriam, in nationem olim orbis dominam, & ſanctiſſimæ religionis, quam profitentur, defendendæ onus a ſimilium librorum lectione coercere illos deberent. Nec eo mea ſpectat oratio, ut improbare velim vel ipſorum hæreticorum eruditionem, vel profectum quem quis ex eorumdem percipere lectione valeat. Illud deteſtor quod plus iuſto Italorum non pauci, propriæ indolis, & dignitatis obliti, veluti vilia mancipia, magnifaciant Proteſtantium iſtorum opera, in quibus, ſi quid veræ doctrinæ eſt, a noſtris acceptum fuit. Et, quod ſatis mirari nequeo, laudibus efferunt *Puſendorſios*, *Thomaſios*, *Barbeyracos*, alioſque ſimiles, qui adeo ſunt in Catholicos Romanos efferati, ut tigres, non homines ſeſe exhibeant. *Puſendorſius* controverſias de iure naturæ & gentium ita verſare contendit, ut ſolius naturalis luminis uſum, nullo ad religionem divinitus revelatam habito reſpectu, abhibere velit. Nihil Scripturarum, nihil quod intra religionis naturalis confinia non includatur, immiſcere ſuo operi voluit. In qua methodo, quam turpiter aberraverit, infra oſtendam. Nulla ergo adverſus Catholicos garriendi, & obganniendi occaſio erat; & tamen paſſim videas hominem furentem, atque ubique clamitantem: *Arcana Papatus*: *Papiſtas*, *Idololatras Romanenſes* &c. Theologos catholicos tunicati popelli loco habet. In ipſa præfatione ad opus I. N. & G. eoſdem excipit his verbis. „ Imprimis autem, quare illos hinc excluſerim Scriptores qui inter ſectæ Romanæ addictos, mores ſibi, atque conſcientias hominum regendas ſumpſere, quos ipſe *Grotius*, & alii magno agmine in partes vocare gaudent; eius rei ratio mihi apud cordatos ſatis puto conſtabit: ſcilicet iſtis hominibus ſuorum traditorum nullum certum fundamentum, aut hypotheſim ſubſternere ſolemne eſt . . . Omnes magno conatu *magnas nugas agunt* . . . Cuius inſtituti hæc eſt arcana ratio, ut, poſtquam inter fundamenta ſacræ iſtorum Reipublicæ, eſt hominum conſcientias, non ratione, ſed auctoritate Sacerdotum regi, ubique in promptu ſit Auctorum nubes, quæ qualemcumque ſententiam ſtabilire idonea ſit, prout quemque perſuaderi ipſorum intereſt &c." Et in ipſa præfatione ad opuſculum *de Officio hominis & civis* ſummum Pontificem deridendum propinat, inquiens, ſe paucis velle ſuam exponere ſententiam, non quidem pro *auctoritate papali*, ac ſi aliquo illi privilegio cautum foret, ne in errorem incideret.

II. Hæc tamen mitiſſima ſunt, ſi cum iis conferantur quæ infra adducturus ſum ex eodem Puſendorſio, ex Thomaſio, ex Heinecio, aliiſque. Solus hic impotens diffamandi Catholicos furor, ab iſtorum legendis libris abſterrere Italos noſtros deberet, vel ſaltem efficere ne eiuſmodi Scriptores ut magiſtros ſuſciperent.

Sed

Sed illud maiori ſuffundere iſtos pudore debet, quod Doctores noſtri & methodo magis opportuna, & doctrina ſolidiore quam præfati hæretici, controverſias de iure naturæ & gentium explanaverint, ut infra oſtendam. Nec propterea partium ſtudium ita mentem meam obnubilat, ut negare, præcipue Pufendorfio; eruditionem, acumen, & diſputandi rationem velim. Verum magnopere mihi arridet ſancti Auguſtini doctrina *Lib. de patient. cap.* XXVIII. ubi hæreticos, & ſchiſmaticos omnes ut filios reputat concubinarum, extra ſalutis arcam ab hereditate, catholicæ matris Eccleſiæ filiis reſervata, excluſos. Filios quippe uxoris a filiis ancillæ ſegregavit Deus. Verum, ne iſti eſſent omnino ſteriles & vacui, aliqua & iiſdem donavit. *Intelligendum eſt alia eſſe Dei dona filiorum illius Hieruſalem quæ ſurſum libera eſt mater noſtra. Hæc ſunt enim quodammodo hereditaria, in quibus ſumus heredes Dei, coheredes autem Chriſti. Alia vero quæ poſſunt accipere filii concubinarum, quibus Iudæi carnales, & ſchiſmatici, vel hæretici comparantur. Quamvis enim ſcriptum ſit:* Eiice ancillam, & filium eius: neque enim heres erit filius concubinæ cum filio Iſaac ...... *tamen etiam filios concubinarum, quando a filio ſuo Iſaac diviſit Abraham, nonnulla eis largitus eſt munera, ne relinquerentur omnino inanes, non ut tenerentur heredes.* Quam Auguſtini doctrinam mirum in modum confirmatam in hæreticis noſtris tranſalpinis video. Occurrunt quandoque, non inficior, in iſtorum operibus improbus labor, eruditio, ingenii acumen, & cetera eiuſmodi; at hæc omnia tot ſunt fœdata erroribus, dicteriis, impoſturis, ut continuo appareat dona eſſe ex iis quæ filiis concubinarum largitus Deus eſt.

III. Si quid ergo eruditionis, ſi quid doctrinæ, ſi quid veritatis in his deprehendis, ſcias oportet, hæc omnia dona eſſe filicrum concubinarum. Quid heinc? Contemnenda? Abſit. Laudanda, ſuſcipienda, non quia hæreticorum fructus, ſed quod dona Dei ſint. *Si ergo* (pergit Auguſtinus) *filii ſumus liberæ Hieruſalem, alia dona exheredatorum, alia intelligamus heredum.* Pudeat itaque, graviterque pudeat ſciolos Italiæ noſtræ ab exheredatis Tranſalpinis ſiliquas mutuari, cum domi ſuæ frugibus abundent. Exerant ingeniorum ſuorum vires, Italorum ſpiritus ſuſcitent, vetuſtamque dignitatem recordentur. Idem nunc, ac olim circumfuſus aer, idem ſanguis, indoles eadem, eadem ſoli ubertas, atque amœnitas, quæ, ſicuti dulciores præ aquilonari terra edit fructus, ita nobiliora parit ingenia. Otio, ignavia, mollitie, torpore, luxurie, ceteriſque letalibus ſcientiarum morbis depulſis, priſtinæ inſtaurentur artes, labores, vigiliæ, virtutum cultus, ac veri honoris ſtudium: & tum Italia omnibus Europæ populis præſtabit.

IV. Nec eſt quod mireris, dum videas me tranſalpinos hæreticos duriore interdum excipere ſermone. Utinam blandius tractare eoſdem licuiſſet. Sed ea eſt illorum maledicendi rabies, & calumniandi libido, ut nos vel repugnantes ur-

 geant,

geant, cogantque tantam coercere inſolentiam. Cum vel ipſas res philoſophicas, & hiſtoricas verſant, ut Bruckerus, Thomaſius, Budæus, Moshemius & alii, ſuſdeque eiſdem immiſcent papiſmum, Romanenſium ſuperſtitionem, idololatriam, & alia calumniarum portenta. Theologis noſtris ignorantiam, barbariem, ipſamque ſtupiditatem ruſtica ſcurrilitate exprobrant dicaciſſimi thraſones. Ubique Lutherum ſuum, Catholicorum ſpoliis onuſtum, & ovantem, tamquam omnium ſcientiarum, potiſſimum Theologiæ, & ipſius iuris naturæ & gentium inſtauratorem ſplendidiſſimum, deprædicant. Contra nonnulli Italiæ erudituli vix abſque laudis præfatione hæreticos iſtos Scriptores nominant. Verſa hodie alea eſt. Olim Catholicorum Theologi Lutheranos pro meritis exagitabant, & interdum aliqui redundanti ſeveritate. Nunc Lutherani Italorum modeſtia, & nimia humanitate abutentes, elato ſupercilio, & incredibili ſuperbia tumentes, recta & oblique Catholicis detrahendi, improperandi, illudendi anſam arripiunt. Nec aliunde hoc proficiſci exiſtimo, quam ex invidia illa, odioque quo omnes exheredati, filiique concubinarum, ut, Auguſtino teſte, ſunt omnes hæretici, ardent, cruciantur que adverſus legitimos heredes, filioſque matris Hieruſalem. Sed diſrumpant tandem aliquando cæcitatis velum, redeantque in paternam, unde deſcivere, domum, in quam apertis ulnis clementiſſima mater redeuntes complexura expectat. Neque te, lector amice, ſuſpicio ſubeat, eo ſermonem meum tendere, ut maledicta maledictis retundenda eſſe velim. Abſit. Blande exulcerati filii ancillarum tractandi ſunt. At, dum noſtra modeſta ratione ſcribendi inſoleſcunt, & pene inſaniunt, tum illorum ſinciput emolliendum aliquantiſper eſt, audaciaque deprimenda, Salomone Auctore: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*: Prov. XXVI.

CAPUT I.

Iuris naturæ finitio.

I. QUoniam, ut inquit Marcus Tullius *Lib. I. Offic.* Omnis quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur; præmittam neceſſe eſt iuris naturæ, quod eſt diſputationis noſtræ argumentum, finitionem. Variæ ſunt iſtius vocis *iuris* acceptiones, atque adeo finitiones diverſæ, de quibus infra alio in loco dicturi ſumus. In præſens, ut terminos aliquos diſputationi meæ circumdem, finitionem quam iuris naturalis tradit Ulpianus, quamque Imperator inſeruit *Lib. I. Inſtit. tit.* 2. in medium promo. *Ius naturale eſt quod natura omnia animalia docuit: nam ius iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium quæ in cælo, quæ in terra*;

ra, quæ in mari naſcuntur. Acriter ICti diſputant, exacta ne ſit finitio iſthæc. Negant plures, quod bruta iure dirigi nequeant, cum ſint ratione deſtituta. Aiunt alii, rationem genericam, in qua homines, & bruta conveniunt, ſpectantes. Bruta plura operantur iuri naturali conformia, neceſſitate impellente; homines id agunt arbitrii electione. Exemplum ſubiicit Ulpianus. Liberorum educatio ad parentes ſpectat, iure naturæ imperante: quod officium & bruta peragunt. Nam, ubi femina ex promiſcuo concubitu concipit, ſola educationi dat operam. Quoties ſola editos fetus educare nequit, marem ſibi ſocium aſciſcit, ut in avibus contingit. Si fetus in lucem editi ſibimetipſis ſatis ſunt, tum femellæ, facta ex concubitu reciproco conceptione, ova in loco opportuno deponunt, ubi ſolis calore foveri, & partus inde excuſſi congruum pabulum reperire facile queant. Eadem ergo animalium, & hominum educatio, hoc ſolo diſcrimine, quod in illis ex inſtinctu, in his ex rationis electione procedit. Brutorum actiones a ſuprema ratione determinatæ ſunt propter finem in quem bruta feruntur; licet nec eum intelligant, nec intendant. Homo vero, quia rationis uſu pollet, & finem hunc intelligit, & propter eumdem operatur.

II. Obvium occurrit exemplum aliud. Bruta appetunt propriæ vitæ conſervationem. Cibum ſumunt, quo eam reipſa conſervent. Appone cani famelico cibum. Is ita eum devorat, ut alterum advenientem canem, qui eiuſdem cibi particeps eſſe velit, mordeat. Ipſa natura duce, bruta ſe defendunt adverſus eos qui illorum vitæ inſidias ſtruunt. Plura alia adducere exempla ſolent iſtius ſententiæ patroni; eaque fuſo calamo explicat Chriſtianus VVolfius in opere inſcripto *Horæ ſubſecivæ Marburgenſes de habit. Philoſoph. ſ. 2.* ubi brutorum cauſam agit, dum iiſdem iuris definitionem convenire propugnat.

III. Controverſia hæc de voce, ſecus de re eſt. Nam, ſi preſſe ius accipiatur in brutis non reperiri, explorata res eſt. Ius quippe iubet, & vetat illis qui libertate inſtructi, agere, vel omittere iuſſa valent. Hac autem facultate ſoli homines potiuntur. Si iuris capacia bruta eſſent, iniuria quoque afficerentur, atque adverſus hominem contendere iure poſſent. Abſurda hæc ſunt. Ergo ius vero in ſenſu acceptum brutis minime competit. In definitione Ulpiani bruta includuntur, quod in iiſdem quædam iuris ſimilitudo eluceat. Siquidem naturæ inſtinctu plura peragunt bruta quæ ipſis, & hominibus communia ſunt, ut maris & feminæ coniunctio, prolis generatio, alimentum, educatio. Cognitione quadam, ſeu inſtinctu aſſequuntur finem; & quæ fini obtinendo conducunt, demandare executioni ſolent. Umbra ergo quædam iuris in brutis elucet, ſed in homine ſolo eiuſdem vera reſplendet imago. Quare peroptime inquit Cicero Lib. II. de nat. deor. *Soli ratione utentes iure, & lege vivunt.*

IV. Verum iuris naturalis imaginem fuſius infra delineabo. Satis mihi nunc ſit

indicare, ius naturale regulam eſſe actuum humanorum. Ius iſtud lumen eſt rationis omni humano generi commune. Si obiective illud conſideres, ordo eſt creaturarum cum divina æterna eſſentia, omnium rerum fonte, & exemplari. Ordo iſte immutabilis eſt, & perpetuus, ut fuſius explicabo infra.

CAPUT II.

Synopſis hiſtoriæ iuris naturalis.

I. HIſtoriam iuris naturæ ſcripſerunt ex hæreticis Chriſtianus Thomaſius, Barbeyracus, Budæus, aliique, ſeu errorum & impoſturarum centonem conflarunt adverſus Eccleſiæ Patres, & Theologos catholicos, quorum ignorantiam in iuris naturæ arcanis reſerandis continenter exprobrant ſeptentrionales Ariſtarchi. Franciſcus Budæus in brevi exercitatione hiſtorica hoc de argumento non adeo furenter ut Barbeyracus, & Thomaſius, debacchatur ſive in Patres, ſive in ſcholaſticos Theologos: & ipſe tamen Eccleſiæ Patribus vitio vertit, quod officia hominis, & Chriſtiani non ſecreverint, aliiſque aberrandi occaſio fuerint. Sed ipſe cum ſuis Lutheranis, Calvinianiſque Doctoribus turpiter errat, ſicuti opportuno loco explicaturus ſum, dum hæc duo officia ita ſeparat, ac ſi oppoſita eſſent, neque unum alterius ope indigeret. Hominem commentitium, & imaginarium formandum ſibi ſumunt Lutherani, non qui reipſa extet in rerum natura.

II. Iuris naturæ ſcientia cum primo parente Adamo nata, eiuſque filiorum omnium animis inſita eſt. Aliarum rerum peritiam ignorare abſque culpa homines poſſunt, ſecus morum Philoſophiam; quin, niſi rationis lumini, quo a brutis differunt, claudant oculos, calleant illam neceſſum eſt. Homo quippe natura ſua ſociale animal eſt, ut ante Puſendorſium, omneſque tranſalpinos heterodoxos ſanctus Thomas docuit *Lib. I. Ethic. lect. 1.* cuius verba infra dabimus: idcirco, quæ peragere officia in ſe, in Deum, in ſocios debet, ipſa ratione duce cognoſcit. Vitiorum, ſcelerumque tenebræ obnubilare hanc ſcientiam, ſecus extinguere valent. Quod quam verum habeat, Ethnicorum opera pateſaciunt, in quibus, quid abſque gratia natura valeat, compertum habemus, inquit S. Auguſtinus. Quare abludit a vero Franciſcus Budæus Lutheranus inquiens *ſ.* 7. *Hiſt. I. N.* in Gentilium operibus, *in ipſo quoque naturæ iure nihil ſanum, nihil integrum fuit, cuncta corrupta, depravata, tenebriſque pluſquam cimmeriis involuta.* Pluribus utique ſordent erroribus illorum ſcripta; at emicant ſimul luculentiſſimis morum doctrinis. Quid, ſi huc referrem quæ Socrates, qui primus e cælo ad formandos hominum mores devocavit Philoſophiam, quæ Plato, quæ Ariſtoteles, quæ Panætius, innumerique alii docuere? Nonne omnis ſapientum Græcorum induſtria eo conatus

ſuos

ſuos collineavit, ut iuris naturæ, ſeu morum Philoſophiam illuſtraret? Quid de Romanorum Philoſophis dicam? Pauca curſim indicabo eorumdem ſcita, quibus univerſum humanum genus ad altiorem iuris naturæ comparandam notitiam excitabant.

Hoc opus, hoc ſtudium, parvi properemus, & ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari:

inquit Horatius *Lib. I. epiſt.* III. Luculentius Seneca Lib. III. de benef. cap. XVIII. *Nulli præcluſa virtus eſt, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, ſervos, Reges, & exules: non eligit domum, nec cenſum, nudo homine contenta eſt.*

III. Verum, ne longius abeam, paucis Stoicorum de iure naturæ doctrinam adumbrabo. Cæleſte Numen rerum omnium effector, proviſorque ſapientiſſimus, non modo univerſum, ſed ſingulos homines regit, dirigitque. Rebus humanis præſto adeſt, ſuppetias fert, etiam ad vitæ commoda aſſequenda, nedum ad virtutes comparandas. Colendus ergo Deus iſte eſt ſuper omnia, invocandus, & in omnibus celebrandus, cogitanduſque. Eidem in omnibus obſequendum, ab eodem omnia prompto animo amplectenda, eiuſque voluntati, omni tergiverſatione ſublata, adhærendum. Subſellium, ſive altum, ſive infimum, quod cuique deſignavit, tranquillo tenendum animo, ſtatioque cuſtodienda: mors ipſa oppetenda potius quam illius violentur ſanctiones. Si homines ſinguli iuncti eidem ſunt, mutuo quoque amore ſemetipſos omnes complectantur neceſſe eſt. Illius meminerit homo, non ſibi ſoli, ſed in commune bonum genitum eſſe: hoc bonum ſpectandum, mutua fovenda ſocietas, ab iniuria abſtinendum, omnibus benefaciendum, non mercedis ſpe, ſed honeſtatis amore. Curæ, ſtudia, induſtriæ huc ſpectare debent, ut pacem, tranquillitatem, & benevolentiam promoveant, ut animos indiſſolubili fœdere coniungant. Honeſtatis cultus, animi integritas, æquitatis iuſtitiæque officia nulla vitæ, nedum rerum omnium, iactura deſerenda. Hæc ſunt Stoicorum ſcita, hæc effata in morum diſciplina. Quod ipſi hæc omnia ſuperbia, ambitione, faſtuque inquinaverint, non impedit quo minus iuris naturæ cognitione imbuti fuerint. Opus Marci Tullii de hominum officiis ſplendidum monumentum eſt moralis Philoſophiæ Ethnicorum. Ioannes Barbeyracus in præfatione ad opus *I. N. & G.* Pufendorfii, a *§.* 12. uſque ad finem, moralem ſcientiam recenſet Chaldæorum, AEgyptiorum, Perſarum, Indorum, Sinenſium, Græcorum, Romanorumque. Falſa veris de more permiſcet. At non eſt operæ pretium illa ad criticen exigere.

IV. Hebræorum natio, ex omnibus a ſapientiſſimo Numine electa, præ cunctis gentibus iuris naturæ leges, & mandata cognovit: quoniam præter illud rationis lumen, ſuper omnium hominum vultus ſignatum, ſplendidiore divinæ revelationis

luce perfuſa gens illa fuit. Hominum ſcelera multum obnubilaverant morum ſapientiam: idcirco clementiſſimus Deus, quemadmodum, elapſa prima mundi ætate, antiquata naturalia ſcita, Noe uſus induſtria, inſtauravit; ita in ſecunda ætate, Moyſis miniſterio, iuris naturalis fundamenta & capita prima, decem mandatis comprehenſa, in tabulis lapideis imprimi iuſſit, & in eorum cordibus veluti renovavit. Prophetæ, & Rex Salomon fuſius & luculentius cunctis univerſi mundi ſapientibus omnia iuris naturæ præſcripta explicarunt, ſcriptiſque conſignavere. Ab hoc divino Hebraicæ ſapientiæ volumine alias quoque nationes, non excepta Græca, plura didiciſſe cordato cuique evidens eſt. Deficientibus Prophetis, Doctores poſteriores legis ſpiritum circumvenire, atque temerare, exteriorum rituum ſeveram exaggerare obſervantiam, legis cortici, ſeu litterali ſenſui plus iuſto inhærere cœperunt. A Sacerdotibus, a Phariſæis, a Scribis populi calamitas initium duxit, & populi a Doctoribus decepti ſcelera in dies graſſantia funeſtam reprobationem, ultimumque excidium induxerunt: quæ tremenda formidandaque viciſſitudo timorem atque terrorem incutere omnibus debet. Siquidem iſtius ſanctiſſimæ legis Doctores eo cæcitatis pervenere, ut prima iuris naturæ elementa futilium ſubtilitatum circuitione de medio auferre tentaverint. Quæ excogitaverint, ut iuramenta, quæ cum divinæ, tum humanæ ſocietatis vincula ſunt, implicarent, tollerentque de medio, narrat nobis ipſe Chriſtus Servator noſter Matth. XXIII. *Quicumque* (inquiebant Phariſæi) *iuraverit per templum, nihil eſt; qui autem iuraverit in auro templi, debet*. Quibus exprobravit Chriſtus: *Stulti, & cæci. Quid enim maius eſt: aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?* Iterum cavillabantur Phariſæi: *Et quicumque iuraverit in altari, nihil eſt; quicumque autem iuraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet*. In quos Redemptor noſter divinus ſic invectus eſt: *Cæci, quid enim maius eſt: donum, an altare, quod ſanctificat donum?... Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem*. Quid quod ipſum altius a natura inſitum mandatum honorandi parentes, Theologi Iudæorum corrumpere non ſunt veriti? Propugnabant quippe conſiſtere votum offerendi Deo munera illa quibus patris, & matris egeſtatibus ſubveniendum erat; peccareque filios, ſi facto voto patri indigenti ſuccurrerent. Matth. XV. *Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*. Poſteriorum temporum Synagogæ Doctores, antecedentium Phariſæorum, Scribarum, Sadducæorum vanis opinationibus, altius aſſurgente populi reprobi iniquitate, peiora commenta, & ſuperſtitioſiora figmenta ſuperſtruxerunt, ut ex Rabbinorum libris, & impio *Talmudico volumine*, ſtultitiarum pleniſſimo, aperte conſtat.

V.

V. Effuſas ſuper univerſam terræ faciem errorum tenebras ſplendidiſſima IESU Chriſti lux diſpulit, & iuris naturæ iacentem, obſcuratamque notitiam ad priſtinum revocavit ſplendorem. Cum enim primus naturalis iuris fons ſit ipſa divina natura, ſolus Deus e caligine in lucem iſtius iuris exactam renovare cognitionem poterat. Altiſſima illa doctrina, & caſtiſſima vitæ ſanctimonia, quam in mundum divinitus invecturus advenit, cum naturali morum honeſtate, & iuſtitia non pugnat modo, verum etiam mirum in modum eam munit, roborat, atque confirmat. Quid quod ipſe Chriſtus, eiuſque Apoſtoli ad ipſum rectæ rationis tribunal repugnantes incredulos provocabant? Quid quod unum ex potiſſimis credibilitatis myſteriorum fidei chriſtianæ argumentis eſt mirabilis eiuſdem doctrinæ cum naturali iure congruentia, atque conſenſio? Poſt Chriſti, & Apoſtolorum in cælos abitum, Chriſtianorum Doctores tanta diligentia iuris naturæ ſtudium illuſtrarunt, ut Tertullianus animam *naturaliter chriſtianam* aſſeruerit. Tam proxime quippe accedit Theologia naturalis divinæ, & Philoſophia moralis Philoſophiæ chriſtianæ, ut anima, quæ eſt lumine naturali, pulſa ſcelerum caligine, circumfuſa, *naturaliter* ſit *chriſtiana*.

VI. Origenes, ſtudio propagandæ chriſtianæ religionis ſuccenſus, ethnicæ Philoſophiæ libros omnes revolvebat, & ut Gentiles propriis ipſorum armis conficeret, & ne in litterario certamine cum iiſdem aliquid ſibi novi, & inſolentis occurreret, cui explodendo minus reperiretur idoneus. Hoc idem ſtudium commendabat diſcipulis, ut teſtatur S. Gregorius Neocæſarienſis in *orat. panegyr. ad Origen.* Tom. III. Biblioth. PP. edit. Lugd. pag. 333. *Nobis ergo ne idipſum quod imperitæ multitudini eveniret, ad unicum nos philoſophicarum opinionum genus non admovebat, nec in eo conſiſtere ſinebat, ſed per omnia ducebat, nullius nos Græcanici dogmatis rudes, aut ignaros eſſe permittens. Ipſe autem ſimul incedens præibat, manuque ducens, tamquam in via . . . Ita quidquid apud ſingulos Philoſophos utile, ac verum erat deligens, nobiſque apponens; quæ vero falſa, ſecernens, tum alia, tum maxime quæ hominum propria ſunt ad pietatem: & horum quidem ut nihil attenderemus, ſuadens, ne ſi ut ſapientiſſimus quidem quiſpiam ab omnibus celebretur; ſed ut uni Deo operam daremus, eiuſque Prophetis*. Plurima ibidem habet S. Gregorius de hac methodo qua Origenes ſuos imbuebat diſcipulos. In Philoſophorum libris iuris naturæ ſcita, ſi quæ erant cognitione, & executione digna, expiſcari diſcipulos ſuos curabat; at, ne cum veritate errores epotarent, ad divinos Prophetas conſulendos remittebat. Hanc methodum improbant novi aquilonares magiſtri, Patribus de ſupercilio exprobrantes, quod doctrinam a Deo revelatam cum rationibus a naturæ iure arceſſitis confundant; quam turpiſſimam hallucinationem infra profligabo.

CAPUT III.

Sancti Patres in exponendis iuris naturæ mandatis ab Ioannis Barbeyraci, Chriſtiani Thomaſii, *aliorumque aquilonarium hæreticorum impoſturis aſſeruntur.*

I. Mirabar olim Lutheranorum, Calviniſtarum, aliorumque hæreticorum inſaniam in contemnenda ſanctorum Eccleſiæ Patrum doctrina. At, cum ſerio mecum conſilium iſtud reputarem, mirari deſtiti, eorumque vaſram agendi rationem tantum non laudavi. Viderunt homines non uſquequaque obcæcati propria ipſorum dogmata uno ore ab antiquis omniumque ſæculorum Patribus damnari. Alterutrum a ſemetipſis præſtandum, omni ad effugium occluſa via, proſpectabant: aut errores a Patribus confutatos damnandos; aut Patres damnantes errores reiiciendos. Non primum: ergo alterum. Quid? Patres laudant virginitatem, ſemperque illam profeſſi ſunt cucullati omnes. An doctrinam hanc a Patribus, & a tot cuiuſque ætatis probatiſſimis Monachis cultam, ſuſcipere Lutherani poſſunt, cum venerentur excucullatum Monachum ſuum Martinum, tamquam ſuæ ſectæ Patriarcham, qui vel ſenectuti proximus conſtupravit virginem ſanctimonialem, eamque ſibi deſponſavit? Docent Patres omnes, Scriptura ipſa ſancta clamante, ſervanda vota Deo facta. Lutheranorum vero Patriarcha Lutherus vota ſolemni ritu Deo oblata in conſpectu totius orbis terrarum infregit, fœdavit, excuſſit. Improbant Patres uſuram quamlibet; & Doctores aquilonares uſuram propugnant: quoniam concupiſcentia carnis, & cupiditas divitiarum reciproco ſemper fœdere iuncta fuere. Percurre cetera Proteſtantium, & Reformatorum dogmata falſa, & ſingula improbata a Patribus comperies. Quid itaque mirandum, ſi Lutherani, & Calviniani ſanctorum Patrum doctrinam execrentur, illoſque ignorantiæ, & errorum accuſent? Neque, ſemel admiſſo quod propriam tueri ſectam velint, reprehendendi; quin potius laudandi, quod noſtram cauſam agant. Dum enim Patres reiiciunt, a nobis ſtare illos, Romanamque doctrinam a Chriſto Ieſu perenni traditione ad nos perveniſſe reapſe confitentur. Ecquis umquam iudices propriæ cauſæ eos ſponte admiſit quos contrariam ſibi ſententiam laturos fore cognovit? Repudiatis itaque omnium præcedentium ſæculorum iudicibus, fateantur Proteſtantes noſtri neceſſum eſt, Patriarcham Lutherum ſuo matrimonio cum ſanctimoniali inito generaſſe doctrinam illam, ſeu errorum ſobolem, quam veluti ex aſſe heredes ſuſceperunt miſeri homines.

II. Quo in ſenſu, quibuſque definitis terminis Patrum auctoritas a nobis Catholicis admittatur, declaravit Melchior Cano *Lib. VII. de locis theolog.* tanta perſpicui-

cuitate; moderatione, & evidentia, ut nemo diſſentire rationis compos queat. Nos provinciam hanc exornabimus *Tom. I. Apparatus ad Theolog. Chriſtian.* In præſentia unum, & alterum Patrem ab impoſturis *Barbeyraci*, *Thomaſii*, aliorumque vindicabimus.

III. Ioannes Barbeyracus in ſua præfatione ad verſionem operis Samuelis Puſendorfii de *I. N. & G.* e Latino in Gallicum idioma *§. 9.* gravioribus Eccleſiæ Patribus iuris naturalis ignorantiam audaciſſime improperat. Auguſtinum, quem primo loco defendendum ſuſcipio, trium accuſat errorum cum iure naturæ pugnantium. I. Ait, S. Doctorem aſſerere, uxorem alteri mulieri cedere ius quod in proprium maritum habet, poſſe; & contra maritum viro alteri renuntiare ius in propriæ uxoris corpus. II. Fideles omnia bona iure poſſidere, ſecus infideles. III. Iuſtam eſſe hæreticorum punitionem. P. Cellier Benedictinus apologiam Pariſiis edidit anno 1718. pro SS. PP. morali Theologia adverſus præfatum *Barbeyracum*. Is, ut defenderet quæ in laudata ſua Præfatione docuit, contra P. Cellier edidit *Tractatum moralis Theologiæ Eccleſiæ Patrum*, ubi germanas interpretationes P. Cellier cavillari, & explodere ſtudet. Ego, ne actum agam, & ut prolixitatem devitem, ea omnia prætereo quæ primum inter utroſque diſputata ſunt; & textum S. Auguſtini, quem in hoc ultimo citato tractatu Barbeyracus opponit, explicandum ſuſcipio. Opinionem, qua dicebatur licitum eſſe adulterium, conſentiente marito, proſcripſit Eccleſia Romana ſub Pontifice INNOCENTIO XI. in hac propoſit. quæ eſt 50. *Copula cum coniugata conſentiente marito non eſt adulterium*; *adeoque ſufficit in confeſſione dicere*, *ſe eſſe fornicatum*. Laxi Caſuiſtæ iſtius propoſitionis Auctores a macula adulterii, ſecus a fornicationis malitia purgabant concubitum iſtum, quem ab omni culpa immunem aſſerere Auguſtinum, contendit *Barbeyracus*.

IV. Textus Auguſtini, quem ſuperciliosſus Patrum cenſor opponit, excerptus eſt ex *ſerm. Domini in monte cap.* XVI. & in utraque lingua, Latina, & Gallica, illum ob oculos refert, quaſi qui iugulum cauſſæ peteret. Ut tamen lectori fucum faciat, textum truncatum in partes producit. Integrum ego, & non reciſum in partes producam, ut uno oculorum ictu germanam Auguſtini mentem deprehendere lector valeat.

„ V. Rurſum quæritur, utrum, ſi uxoris permiſſu, ſive ſterilis, quæ concubi-
„ tum pati non vult, adhibuerit ſibi alteram vir, non alienam, neque a viro ſe-
„ iunctam, poſſit eſſe ſine crimine fornicationis? Et in hiſtoria veteris teſtamen-
„ ti reperitur exemplum; ſed nunc præcepta maiora ſunt, in quæ per illum gra-
„ dum generatio humana pervenit: tractanda illa ſunt ad diſtinguendas ætates
„ diſpenſationis divinæ providentiæ, quæ humano generi ordinatiſſime ſubvenit,
„ non autem ad vivendi regulas uſurpanda. Sed tamen utrum, quod ait Apo-

„ ſto-

Digitized by Google

„ ſtolus : *Mulier non habet poteſtatem ſui corporis , ſed vir : ſimiliter & vir non*
„ *habet poteſtatem ſui corporis , ſed mulier* : poſſit in tantum valere, ut permit-
„ tente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera ,
„ quæ nec aliena uxor ſit, nec a viro disiuncta , concumbere ? *Sed non ita eſt*
„ *exiſtimandum , ne hoc etiam femina , viro permittente , facere poſſe videatur :*
„ *QUOD OMNIUM SENSUS EXCLUDIT*.

„ Quamquam nonnullæ cauſſæ poſſint exiſtere , ubi & uxor mariti conſenſu
„ pro ipſo marito ſuo hoc facere debeat, ſicut *Antiochiæ* factum eſſe perhibetur
„ ante *quinquaginta ferme annos*, *Conſtantii temporibus*. Nam *Acyndinus*, tum Præ-
„ fectus, qui etiam Conſul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem fiſci exige-
„ ret, neſcio unde commotus , quod plerumque in iſtis Poteſtatibus periculoſum
„ eſt, quibus, quod libet, licet, aut potius putatur licere , comminatus eſt iu-
„ rans, & vehementer adfirmans, quod, ſi certo die, quem conſtituerat, memo-
„ ratum aurum non exſolveret, occideretur. Itaque, cum ille teneretur immani
„ cuſtodia, nec ſe poſſet debito illo expedire, dies metuendus imminere, & pro-
„ pinquare cœpit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, ſed nullius pecuniæ ,
„ qua ſubveniret viro: cuius mulieris pulchritudine cum quidam dives eſſet accen-
„ ſus, & cognoviſſet maritum eius in illo diſcrimine conſtitutum, miſit ad eam, pol-
„ licens pro una nocte, ſi ei miſceri vellet, ſe auri libram daturum. Tum illa ,
„ quæ ſe ſciret non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum,
„ dicens , paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis
„ dominus, cui tota illa caſtitas deberetur , tamquam de re ſua , pro vita ſua
„ vellet id fieri. Egit ille gratias, &, ut fieret , imperavit, nullo modo iudicans
„ adulterinum eſſe concubitum , quod & libido nulla, & magna mariti caritas ,
„ ſe iubente, & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis , fecit
„ quod voluit impudicus; ſed illa corpus nonniſi marito dedit , non concumbe-
„ re , ut ſolet, ſed vivere cupienti. Accepit aurum ; ſed ille qui dedit , fraude
„ ſubtraxit quod dederat, & ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terra . Quod ubi
„ mulier , iam domi ſuæ poſita , invenit , proſilivit in publicum , eadem mariti
„ caritate clamatura quod fecerat, qua facere coacta eſt : interpellat Præfectum ,
„ fatetur omnia , quam fraudem paſſa eſſet , oſtendit . Tum vero Præfectus pri-
„ mo ſe reum , quod ſuis minis ad id ventum eſſet , pronuntiat , tamquam in
„ alium ſententiam dicens, de *Acyndini* bonis libram fiſco inferendam : illam ve-
„ ro mulierem dominam in eam terram, ubi pro auro terram accepiſſet, induci .
„ Nihil hic in aliquam partem diſputo. Liceat cuique æſtimare quod velit. *Non*
„ *enim de divinis auctoritatibus deprompta HISTORIA* . Sed tamen , narrato fa-
„ cto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus , *quemadmodum antea* , *cum ſine ullo*
„ *exemplo res ipſa poneretur, horruimus*.

VI.

Digitized by Google

VI. Textum hunc non oppoſuere neque *Dalæus*, neque *Clericus*, ſeveriſſimi Auguſtini cenſores. Ex ſuis ergo laudatis magiſtris illum, quemadmodum cetera adverſus Patres, non tranſcripſit *Barbeyracus*; ſed ex noſtris inferioris ſubſellii Caſuiſtis, qui eumdem allegant, ut iuris naturæ ignorantiam ex Auguſtini mente invincibilem oſtendant. Alter ex iis eſt P. Dominicus Viva, qui in commentariis ad 2. *propoſit. Alex. VIII. num.* 2. falſo in ſenſu laudatum Auguſtini textum obtrudit, ut præfatam ignorantiam probet, ubi etiam truncatum D. Thomæ textum exhibet, ut ſuam roboret opinionem: alter vero P. Lecchi, qui in ſuo opere inſcripto *Avvertenze contrappoſte all' Iſtoria del Probabiliſmo* &c. hunc locum mihi obiecit, ut idipſum evinceret: quam vero irrito conatu, alias oſtendi in Libro cui titulus *Eſplicazione di quattro Paradoſſi &c. pag.* 112.

VII. Non eſt ergo quod ſibi plaudat *Barbeyracus*, quaſi quidquam novi nobis oppoſuerit. Triumphum ille canit *loc. cit. num. 6.* ac ſi luce meridiana clarius eviciſſet S. Auguſtini ignorantiam. Quid? clamat cenſor ſeverus. Auguſtinus veſter non legis Moſaycæ Patriarchas, ſed Chriſtianos alloquitur, Chriſtianorumque exempla perhibet. Si perſuaſus ille fuiſſet, vetitum eſſe maritis alteri homini ius cedere quod ipſi habent in uxoris corpus, an vel momento ſuſpenſus hærere potuiſſet? An non continuo definiiſſet: Circumſtantiæ minuunt quidem, non autem auferunt actionis pravitatem? Secus agit Auguſtinus. Cuique lectorum, quod illi placuerit, cogitandum relinquit. Ignoravit ergo actionem eſſe pravam.

VIII. Quæ olim adverſus Caſuiſtas laudatos dixi, nunc adverſus *Barbeyracum* repeto, hoc ſolo diſcrimine, quod illos animo bono, demiſſoque, erroneo in ſenſu interpretatos Auguſtinum dixerim; is contra ſuperbe, & arroganter æque ac imperite ſancto Doctori imponit, atque inſultat. Ut *Barbeyraci* ignorantiam, & malam fidem ſimul evincam, primum exponam ipſum Auguſtini, quem ille opponit, textum, qui adulterio, conſentiente viro, favere videtur: poſt alia Auguſtini loca tranſcribam.

IX. Et primum Auguſtinus quæſtionem proponit, valeat ne coniux, altero conſentiente coniuge, extraneo viro licite immiſceri? Hæc ſunt illius verba ſub initium diſputationis ſuæ propoſita. *Sed tamen utrum quod ait Apoſtolus:* Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: *poſſit in tantum valere, ut, permittente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec a viro diſiuncta, concumbere?* En quæſtionem. Audi deciſionem. *Sed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere poſſe videatur; QUOD OMNIUM SENSUS EXCLUDIT*. Hac ſua ſententia conſtituta, omniumque ſenſu confirmata, ſubdit apparere (hoc ſiquidem ſignificat verbum *exiſtere*) cauſ-

cauſſas poſſe, quæ ſenſui humano licitam repræſentent præfatam copulam. Inter eiuſmodi exempla illud quod ante 50. annos eveniſſe Antiochiæ perhibetur, narrat. Poſtea hoc pacto concludit. *Nihil hic in aliquam partem diſputo: liceat cuique exiſtimare quod velit. Non enim de divinis auctoritatibus deprompta HISTORIA eſt. Sed tamen, narrato hoc facto, non ita reſpuit humanus ſenſus quod in illa muliere, viro iubente, commiſſum eſt, QUEMADMODUM ANTEA, cum ſine ullo EXEMPLO res ipſa poneretur, horruimus.* De quo hic ambigit, amabo te, Auguſtinus? De doctrina? De malitia adulterii? Quis, niſi demens, dixerit? Quippe diſputationis initio conſtituit, ita eſſe pravam hanc coniunctionem, ut eam *OMNIUM SENSUS EXCLUDAT*. De facti ergo, de hiſtoriæ veritate ambigir, quæ cum ex divinis Scripturis excerpta non ſit, cuiuſque arbitrio prudentiſſime illam relinquit. Hoc ſolum adiicit, quod *humanus ſenſus* non ita perhorreſcit adulterium quod conſentiente viro ab illa muliere commiſſum eſt, ſicut *antea*, cum nondum ſimile exemplum apparuerat. Hæc eſt perſpicua, hæc germana Auguſtini doctrina. Quid in ea rationi diſſonum? Quid cum Evangelio pugnans?

X. Verum, ut oſcitantia, ne dicam fraus (lubet enim hominem ſuperbum, inſultantem, & ovantem humane tractare) Barbeyraci emicet evidentius, finge Auguſtini doctrinam non eſſe adeo, uti revera eſt, perviam, genuinam, manifeſtam, ſed ambiguam: nonne æqui cenſoris erat, alia Auguſtini loca conſulere, ubi, omni ambiguitate ſublata, quæſtionem hanc dirimit? Audiat ergo cenſor noſter Auguſtinum *Lib. de fide, & bon. oper. cap.* VII. ubi hæc habet: *Abſit ergo ut ſenſu non humano, ſed plane vano, ſic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur; maxime in civitate Domini, in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia, ubi nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam SACRAMENTUM ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non ſolum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. Neque hic diutius modo diſputare opus eſt, cum & illi quibus reſpondeo, NON AUDEANT AFFIRMARE, NULLUM HOC ESSE PECCATUM, NEQUE NEGENT ESSE ADULTERIUM, NE IPSI DOMINO, SANCTOQUE EVANGELIO APERTE CONVINCANTUR OBSISTERE.*

XI. Quid ad hæc Barbeyrace? Cur, ſi ambiguus tibi erat alter locus, hunc non conſuluiſti? Numquid, quia tantum tibi non erat otii? Eccur ergo virgam cenſoriam exercere in Auguſtinum auſus es? Alto fortaſſe ſilentio hunc textum præteriit, quod Auguſtinum audierit Lutheranorum, & Calviniſtarum hæreſim damnantem, cum matrimonium *Sacramentum* appellet? At fallor ipſe. Quid refert, Auguſtinum aſſerere, *Sacramentum* eſſe matrimonium? Aberravit ille, ſicut & ceteri

Digitized by Google

teri Patres. Sic ſeſe expediunt tranſalpini noſtri Novatores. Quid deferendum, inquiunt Puſendc-ſi, Thomaſii, Heinecii, VVolſii, Patribus iſtis, qui in exponendo naturæ iure divinas allegant Scripturas; ſicuti reipſa Auguſtinus in recitato textu ſanctum Evangelium, immo ipſum Chriſtum Dominum adduxit? Ediſſerite, quæſo, vos. Habetis ne in ſex illis voluminibus de I. N. nuper editis in lucem a VVolſio, aliquod *veriloquium*, quo demonſtratione geometrica, Evangelio ſublato, Catonem doceatis, & convincatis adulterium illud Antiochenum repugnare naturæ iuri? Nos aſſerimus cum Auguſtino, quodlibet adulterium cum iure naturæ pugnare; quin cum eodem Auguſtino addimus ſacramenti dignitatem, & ſanctitatem fœdare: at ſimul negamus, rationes a iure naturæ arceſſitas ſemper, & in omni circumſtantiarum apparatu eſſe ita evidentes, ut divinis litteris opus minime ſit; quemadmodum ſabulantur Puſendorſius, Thomaſius, Barbeyracus, ceterique eiuſdem ſectæ.

XII. Reponit Barbeyracus in ſuo opere inſcripto *Tractatus Moralis Patrum cap.* XVI. *§.* 7. inepte Auguſtinum aſſerere, hiſtoriam Antiochenam non reperiri in Scripturis: quoniam regulæ quæ in Scripturis reperiuntur, ſatis ſunt pro occurrentium caſuum deciſione. Barbeyracus nos cogit, ut congruis quandoque vocabulis ipſum vocitemus. At non quæ ille meretur, ſed quæ nos decent, adhibenda ſunt. Iterum ergo audiat turgidus Cenſor. Auguſtinus dubium relinquit factum Antiochenum, quod non ſit a divinis Scriptoribus enarratum: intra hæc confinia totus concluditur illius periochæ ſenſus. Ceterum non ignorat Auguſtinus, Scripturam adulterium damnare, cum expreſſe clamet, & Evangelium, & Chriſtum Dominum, & omnium ſenſum illud execrari. Quæ Barbeyracus obtrudit *§.* 8. ex iis quæ dixi, convulſa ſunt. Duo illius verba tranſcribere lubet latine verſa, ut intelligant lectores, cuius indolis ſit Barbeyracus iſte. Clamat ergo: *Illos ne tamquam directores, & magiſtros habebimus in morum materia qui in tanti momenti punctis facultatem impertiunt id credendi quod nobis placet?* Audiſti ſcrupuloſum Calviniſtam, qui deplorat hanc libertatem credendi quæ nobis placent, conceſſam ab Auguſtino? Sequatur ergo catholicam Eccleſiam, quæ credenda definit quæ ei non placent. Sed quid ſurdo canimus? Iam dictum eſt, Auguſtinum facultatem concedere credendi, aut reſpuendi factum Antiochenum, quod ſit humana hiſtoria narratum; ſecus iudicandi licitum, aut illicitum adulterium, quod *omnium ſenſu* damnari teſtatur.

XIII. Adhuc inſiſtit Barbeyracus, qui *§.* 9. fuſiſſime cavillari ſtudet nonnulla quæ S. Auguſtinus ſcribit contra adulterium *Lib. I. cap.* III. *de libero arbit.* Duos integros libros S. Doctor ſcribit de *adulterinis coniugiis*, ubi ex inſtituto malitiam adulterii pleno in lumine ponit. Iſtos aggredi non eſt auſus Barbeyracus noſter. Carpere adnititur quædam Auguſtini verba, quæ truncata refert; & quia illorum aſſe-

Digitized by Google

aſſequi ſenſum non valet, deridenda propinat. Plura mihi implenda folia eſſent; ſi dicaciſſimi hominis quiſquilias omnes diſpicere, & reiicere vellem; & plus iuſto hærerem in limine, cum grandis mihi reſtat via. Illud recordari ſatis ſit, Auguſtinum *Lib. de lib. arbitr.* obiter, & præter inſtitutum de adulterio ſcribere. Quæ non ideo dico, quaſi Auguſtinus quidquam vel ambigui ibi habeat in favorem adulterii; ſed ut animi candorem, mentiſque rectitudinem Barbeyraci patefaciam. Ne autem in re apertiſſima tempus prodigam, pauca Auguſtini verba tranſcribo, ut vel ex iſtis colligere lector poſſit, quænam ſit Auguſtini adverſus adulterium doctrina. In dialogi formam ſcribit librum iſtum S. Doctor. Incipit. Aug. *Dic ergo prius, cur adulterium male fieri poteſt? An quia id facere lex vetat?* Evo. *Non ſane ideo malum eſt, quia vetatur lege; ſed ideo vetatur lege, quia malum eſt.* Aug. *Quid, ſi quiſpiam nos exagitet, exaggerans delectationes adulterii, & quærens a nobis cur hoc malum, & damnatione dignum iudicemus, cum ad auctoritatem legis confugiendum cenſes hominibus, iam non tantum credere, ſed intelligere cupientibus? Nam & ego tecum credo, & inconcuſſe credo, omnibuſque populis & gentibus credendum clamo, malum eſſe adulterium; ſed nunc molimur id quod in fidem recipimus, etiam intelligendo ſcire, ac tenere firmiſſimum. Conſidera, quantum potes, & renuntia mihi, quanam ratione adulterium malum eſſe cognoveris.* Evo. *Hoc ſcio malum eſſe, quod hoc ipſe in uxore mea pati nollem. Quiſquis autem alteri facit quod ſibi fieri non vult, male utique facit.* Aug. *Quid, ſi cuiuſpiam libido ea ſit* &c.

XIV. Barbeyracus noſter, truncato capite orationis Auguſtinianæ, ab his ultimis verbis initium ducit, & rationes omnes quas ad evincendam adulterii malitiam S. Doctor proprio, & interlocutorum ore affert, cavillari, & corrodere pertentat. Ineptirem ipſe, ſi eiuſdem omnes ineptias profligare vellem. Si lectores aliqui de mala Barbeyraci fide in corrumpenda Auguſtini doctrina ambigerent, illos rogo ut laudatum Auguſtini librum percurrant; & niſi ira ſuccenſuri ſint Barbeyraco, pœnas me daturum ſpondeo. Contemptis itaque ineptiſſimis reculis, ad alteram profligandam calumniam accedo.

XV. Obiicit ſecundo loco Barbeyracus in *laud. præf.* Auguſtinum *epiſt.* cliii alias liv. *ad Macedon.* docere, iuſtos omnium iure potiri, infideles vere legitime poſſidere nihil: qua doctrina indicata, his verbis crocitat. *Principium abominabile, quod a ſummo ad ima humanam pervertit ſocietatem!* Calumnia hæc priore impudentior eſt, quæque evidentius veteratoris hominis impudentiam manifeſtat. Iam doctiſſimi Monachi Benedictini in nova editione adverterant, S. Auguſtinum *loc. cit.* ex Salomone *Prov. cap.* xvii. *verſ. 6.* hunc adducere textum: *Eius qui fidelis eſt, totus mundus divitiarum; illius autem qui infidelis eſt, nec obolus.* Textus iſte neque in *Hebr.* neque in *Vulgat.* ſed tantum in *Septuaginta*, & *Arabica verſione*

ſione reperitur. Illo tamen utuntur SS. Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Caſſianus. Porro Auguſtinus præfatum textum his verbis interpretatur. *Nonne omnes qui ſibi videntur gaudere licite conquiſitis, eiſque uti neſciunt, aliena poſſidere convincimus? Hoc enim certe alienum non eſt quod iure poſſidetur. Hoc autem iure quod iuſte, & hoc iuſte quod bene. Omne igitur quod male poſſidetur, alienum eſt; male autem poſſidet qui male utitur*. Ut mentem Auguſtini facilius teneas, ſcias oportet, illum in hac ipſa epiſtola, & eadem quidem pagina, urgere omnes ad cuiuſque rei ablatæ reſtitutionem. Advocatis potiſſimum improperat, quod male acquiſita non reſtituant, nulla diſtinctione peccatoris, & iuſti facta. *Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato vir optimus facile reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat: Recipe quod mihi, cum tibi male adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo quod, me agente, inique abſtuliſti? Et tamen, quem prioris non rectæ vitæ rectiſſime pœnitet, etiam hoc facere debet, ut ſi ille qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, eius tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem: niſi forte reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo aufertur; & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumventis legibus obtinetur. Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges, & iudices reddi iubent? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti quam qui trucidat pauperem fenore? Hæc, atque huiuſmodi male utique poſſidentur, & vellem ut reſtituerentur; ſed non eſt quo iudice repetantur. Iam vero, ſi prudenter intueamur quod ſcriptum eſt: Fidelis hominis totus mundus divitiarum eſt, infidelis autem nec obulus* &c.

XVI. Primum Auguſtinus magnam epiſtolæ partem occupat, ut ſocietatis iura, & iuſtitiæ confinia tueatur. Debitores ad reddenda aliena urget: creditores admonet, ne ſæviant in pauperes debitores qui ſolvendo non ſunt. Per varios perſonarum gradus diſcurrit, & omnes inſtruit, hortaturque ad mutuam ſervandam iuſtitiam, cuius læſio iura ſocietatis infringit. Nullibi diſtinctionis iuſti, & peccatoris meminit. Tandem ſub epiſtolæ finem occaſione interpretandi laudati textus Salomonis morali exhortatione ſuos alloquitur lectores, eos ante ſupremi Domini tribunal ſiſtit, & ut in mentem ſibi revocent hortatur, omnia bona a Deo accepiſſe eum in finem ut bene iiſdem utantur. Qui enim eadem in malos uſus diſtrahunt, cum in hunc finem non acceperint, Deo ſupremo diſtributori reddere rationem debebunt, tamquam illegitimi poſſeſſores: qui enim bonis male utitur, illa iniuſte poſſidet, cum ad bonum, non ad malum uſum a Deo illa acceperit. Iuſti omnia iure poſſident, quia, quatenus iuſti omnibus bene utuntur. Ergo iuſti accipere omnia iniquorum bona valent? Tantam impingere Auguſtino calumniam ſolus Barbeyracus potuit. Et profecto, ſi vera ſunt Barbeyraci commenta, neceſſario conſequitur iuſtos totius mundi illico dominos evadere, excluſis peccatoribus, & infidelibus omnibus. Quod monſtroſum inventum quis, niſi dementiſſimus,

eſſu-

effutierit Auguſtino in mentem veniſſe? Nam, ſi iuſti peccatorum bona acciperent, continuo non iuſti, ſed raptores evaderent; quin, ſi bonis terrenis inhiarent, iuſti paullatim eſſe deſinerent. Omnia ergo iuſti iure poſſident, quia nihil habent quo non bene utantur: quoniam ideo iuſti, quia omnia quæ mundi ſunt, nihili faciunt; & quo iuſtiores, eo ſunt terrenarum rerum magis contemptores. Contra iniqui, quatenus iniqui, mancipia ſunt divitiarum, quas in malos diſtrahunt uſus. Porro, cum in tales uſus eas a Deo non acceperint, idcirco Auguſtinus aſſerit, iniquos, & infideles bona legitime non poſſidere, quatenus in malos uſus eadem prodigunt. Quin tantum abeſt, quidquam hic S. Doctorem naturæ iuri oppoſitum docere, ut contra germano in ſenſu oraculum Salomonis interpretetur.

XVII. Quid? argutabit iterum Barbeyracus. Si infideles, & iniqui, qui bonis abutuntur, eadem iure non poſſident, licitum erit ab iiſdem illa ſurripere; aut ipſi adſtricti ſunt præfata bona iuſtis viris reſtituere. Cui cavillationi hæc reponit Auguſtinus ibidem. *Sed inter hæc tollatur iniquitas male habentium, & quædam inter eos iura conſtituantur, quæ appellantur civilia; non quod hinc fiat ut bene utentes ſint, ſed ut male utentes minus moleſti ſint, donec fideles, & pii, quorum iure ſunt omnia, qui vel ex illis ſunt, vel inter ipſos tantiſper viventes malis eorum non obſtringuntur, ſed exercentur, perveniant ad illam civitatem, ubi hereditas æternitatis eſt, ubi non habet niſi iuſtus locum, non niſi ſapiens principatum, ubi poſſidebunt, quicumque ibi erunt, vere ſua. Sed tamen etiam hic non intercedimus, ut ſecundum mores, legeſque terrenas non reſtituantur aliena.*

XVIII. Quæ Barbeyracus infarcit in *tractatu Moralis Patrum cap.* XVI. *§.* 15. non confutationem, ſed contemptionem, non indignationem, ſed commiſerationem cæci, & impudentis hominis merentur. Tota Auguſtini oratio in interpretatione oraculi Salomonis eo tendit, quod omnia bona in finem ob quem a Deo data ſunt, diſtribuantur: & iuxta hunc reſpectum, qui iiſdem bonis abutuntur, eadem legitime non poſſident; ſed tamquam iniuſti poſſeſſores pœnas apud ſupremum iudicem luent. Poſſident vero iure naturali, & civili in hoc mundo: & qui peccatoribus, & infidelibus bona abſque iuſto titulo ſurriperent, peccarent contra ius naturale & divinum, nedum contra civiles leges. Quoniam ſibi ſoli Deus reſervavit iudicium ferendum in bonos, aut malos uſus bonorum. Iterum clamitat Barbeyracus, Auguſtinum non diſtinguere, peccatores ipſos quandoque bene, & interdum male uti bonis; nec officium caritatis a iure proprietatis. In commentario ne, quo obiter ad calcem ſuæ epiſtolæ S. Doctor interpretatur oraculum Salomonis in ſenſu morali, & myſtico, ut lectores ſuos ad æternam hereditatem capeſſendam excitaret; in hac, inquam, breviſſima interpretatione mediæ paginæ præcepta iuris naturæ, & diſcrimen quod inter ius proprietatis, & officium caritatis

tatis intercedit, & quandonam bene, quando vero male peccatores abutuntur, explicare S. Doctor debebat? Quid quod in eadem ipſa epiſtola iſtorum plura docet; in aliis vero libris tanta perſpicacitatis luce præfata omnia deſcribit, ut ſolus *Barbeyracus* auſus fuerit hac de re Auguſtino calumniam impingere? Aciem Dallæi, Clerici, & aliorum hæc fugerunt. Uni *Barbeyraco* tanta reſervata impoſtura erat, profecto tanto cenſore digna.

XIX. Ut ad alium crimen Auguſtino impactum gradum faciat Barbeyracus, his verbis ſibi viam parat §. 29. ſui *tractat. Moral.* &c. *Dicere plura poſſem, ut evidentius notum facerem, quam impedita, quam falſa ſint perniciosa S. Auguſtini principia. Sed en, quod inſtat . . . . opinio ſcilicet horrenda iſtius Patris de vi, & perſecutione in cauſa religionis.* In ſcenam reducit cenſor acutus in præfatione ad ius naturæ & gentium crambem illam millies recoctam, controverſiam nempe de iuſta hæreticorum punitione. Qua in cauſa *Barbeyracus* adverſarios habet, nedum Catholicos omnes ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora, verum ſuum Pſeudopatriarcham Calvinum, ſuos Calviniſtas, nedum Remoſtrantes, & Proteſtantes plurimos. P. Cellier fuſo calamo moderationem, manſuetudinem, & lenitatem Auguſtini patefacit, communem Catholicorum cauſam defendit. Dominus Barbeyracus rancida libertinorum, qui nullum experiri iudicem vellent, refricat commenta, in ſubſidium vocato Clerico ſuo. Ut igitur aliud argumentum lector habeas genii Barbeyraci, ſcias velim, Ioannem Clericum præ ceteris ſeveriſſimam æque ac audaciſſimam criticen exercuiſſe in Auguſtini opera ſub aſcititio nomine *Ioannis Thereponi*; & inter cetera propugnatam ab eo in hæreticos perſecutionem exaggerat. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius in ſuo revera doctiſſimo opere de moderatione ingeniorum *Lib. II.* pluribus capitibus ex inſtituto Phereponi ſophiſmata, cavillationes, atque impoſturas uſquequaque exploſit, labefactavit, & invictis rationum momentis evicit, quam iuſta ſit, quam neceſſaria hæreticorum punitio. Dominus *Barbeyracus* ſua nativa, atque verecunda fronte remittit lectorem ad videndum Phereponum, Petrum Bælium, ceteroſque eiuſdem furfuris homines. *Voiez Thereponus, Voiez Commentaire Philoſophique Bayle &c.* De Muratorio vero Phereponi debellatore altum ſilentium. Hæc diſputandi ratio in religionis negotio Lutheranis, Calvinianiſque familiariſſima, *Barbeyraco* vero unica, ſcilicet, rancidula, & millies contrita ſuorum commenta iterum recoquere, atque de libro in quinternum tranſcribere, illa altius exaggerare, & aurito popello vehementius inculcare, & quæ a Catholicis contra ſcripta ſunt, alto obvolvere ſilentio. Hæc ne ingenui hominis diſputandi methodus, & non potius ſophiſtæ, vitilitigatoris, & pervicacis rabulæ? Ne in ſimile vitium ipſe incidam, abſit ut vel verbum reponam pro defendenda iuſta hæreticorum punitione contra *Barbeyracum*, quem potiſſimum in hac lite commiſeratione aliqua dignum reputo: cauſam quippe agit ſuam. *To-*

lerantiſſimus, & *indifferentiſſimus* Barbeyraco, ſuoque Pherepono, ſeu Clerico, & impio Petro Bælio religio eſt. Qui plenam iſtius controverſiæ notitiam de iuſta hæreticorum punitione ab Auguſtino propugnata habere cupit, conſulat præter innumeros alios Catholicos Cl. Muratorium *loc. cit.* Et hæc pauca pro S. Auguſtino contra Barbeyracum dixiſſe in præſens ſufficiat. Plura forte dicturus ſum alibi.

XX. S. AMBROSIO obgannit Barbeyracus, quod ſplendidam virginitatis virtutem plus iuſto laudibus extulerit. Nec iniuria, ſi carnalis Reformatorum, & Proteſtantium religio ſpectetur. Ecquid? Placere ne ſectariis iſtis cœlibatus poteſt, ſi ſeptentrionalium hæreſum Protopatriarcha Lutherus implacabile cœlibi vitæ indixit bellum, impoſſibilemque obſervatu eam aſſeruit? Et ut opere compertum faceret ſe, veluti ſuem in luto, triginta annorum ſpatio fœdiſſimam duxiſſe vitam, qua novæ ſuæ Reformationi viam pararet, fere quinquagenarius conſtupratam ſacram virginem in matrimonium duxit. Catholicorum Scriptores nonnulli acri quandoque ſtilo, & animo quaſi ſuccenſo Lutheranorum, & Calviniſtarum ſordida adverſus illibatam virginitatem commenta explodunt. At contra ego compatior miſeræ genti, quæ a Patriarchis ſuis impoſſibilem eſſe cœlibatum didicit; quæ excucullatos Monachos, & votæ virginitatis temeratores, ut ſuos colit Apoſtolos. Quid itaque mirum, ſi horrida illis caſtitas virginalis eſt? Mirum, quod in Virgine Sanctiſſima virginitatem non deteſtentur. Salaces homines non confutandi, ſed ad Ethnicos, ad Veſtales amandandi, ut aliquo ſuffundantur pudore. Nec eſt quod reponant ſe improbare in Patribus, quod ita virginitatem exaltent, ut nuptias damnare videantur. Ita ne vero? Ecqua fronte tanta obtruditur impoſtura, ſi Patres uno ore docent, Chriſtum Dominum ad ſacramenti dignitatem nuptias evexiſſe? Ne multa. Apud Lutheranos, Calvinianoſque, dum virginitati elogia pangunt Patres, turpiter errant. Dum matrimonium *ſacramentum* confitentur, aberrant. Quid, quæſo, hominum iſti ſunt? Sapientiores quindecim ſæculorum Doctores chriſtianæ religionis dogmata ignorarunt, donec novus aquilonaris Moyſes Lutherus cum ſua Catharina, & Bucerus cum ſua duplici uxore, ad hoc quod attinet, Mahumeto, non Chriſto ſimiles, ignorantiæ tenebras fugarent.

XXI. Sed pauca verba vibret ipſemet S. Ambroſius contra *Barbeyracum*, effutientem ſanctum Doctorem ſacras contemnere nuptias. Præfert Apoſtolus virginitatem coniugio. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit; & qui non iungit, melius facit*: I. Cor. VII. 38. Idem aſſerit Ambroſius. *Honorabile coniugium, ſed honorabilior integritas*. Lib. de vid. cap. XII. Item cap. II. *Licet ergo nubere, ſed pulchrius eſt abſtinere*. Audi, Barbeyrace, quæ ſequuntur. *Dicet aliquis: Ergo diſſuades nuptias? Ego vero ſuadeo, & damno eos qui diſſuadere conſueverunt, utpote qui Saræ, ac Rebeccæ, & Rachel, ceterarumque coniugia feminarum veterum*

pro-

pro documentis ſingularium virtutum recenſere ſoleam. Non itaque diſſuadeo nuptias, ſed enumero fructus ſacratæ virginitatis. Lib. de virg. cap. VII. num. 34. Pauca hæc S. Ambroſii verba omnium Lutheranorum, & Calvinianorum ora obſtruunt.

XXII. Alterum crimen quod Barbeyracus S. Ambroſio impingit *cit. præf. §. 9.* eſt, quod uſuram abſolute damnaverit. Ad hoc quod attinet, cenſor non imponit S. Ambroſio, qui reipſa omnem prorſus uſuram deteſtatur. Sed dicimus, inter hæreſes quas Pſeudopatriarcha Calvinus evomuit, unam eſſe uſurarum defenſionem. Ante quippe Calvinum nedum univerſa catholica Eccleſia, verum etiam Lutherani ipſi uſuras quaslibet improbarunt. Quam acriter Bucerus, Brentius, Melanchthonius invecti adverſus fenora ſint, palam feci tum in *Commentario in Encyclicam* BENEDICTI XIV. tum in *Appendice 2. ad uſuram contractus trini*. Calvinus poſt XV. ab Evangelii promulgatione ſæcula hæreſim liciti fenoris partim commentus ipſe eſt, partim a præceſſoribus hæreticis, ut alia errorum portenta, mutuatus eſt. Tantum itaque abeſt ut cum Barbeyraco ſuper hoc puncto contendamus, quin ultro, & quam libenter fatemur, & Ambroſium, & omnes Patres, omneſque Eccleſiæ Catholico-Romanæ Doctores uſuram, ſive moderatam, ſive immoderatam, tamquam iuri divino, & naturali oppoſitam, damnare. Pudere deberet parvulam ſectariorum turbam adverſus omnium ſæculorum Doctorum multitudinem cervicem erigere. Sed hæc eſt cæcorum conditio, ut medio in meridie, ſole ſplendente, nihil videant.

XXIII. Quod tertio loco Barbeyracus adverſus S. Ambroſium obtrudit, omnem fidem ſuperat. Contendit homo iſte, S. Ambroſium in ſuo de Officiis opere Ciceronem ſibi imitandum propoſuiſſe. Et hæc ſubdit in *cit. præf. §. 9.* quæ ex Gallico idiomate in Latinum verſa profero. *Verum, quidquid aſſerat Theologus Lutheranus* (Mich. Fortſchius Profeſſor Tumbigenſis) *qui Vertembergæ hoc opus evulgavit, diſſertationibus eiuſdem farinæ ornatum, ſi quædam Evangelii peculiaria principia, quæ hoc in opere S. Ambroſius ſeminat, una cum ſacrarum Scripturarum exemplis, quæ perpetuo refert, ſed paſſim male explicata, excipias, minime aſſerere vereor, infinite exemplum ſerpere infra prototypum, ſive ſtili elegantiam, & facilitatem, ſive operis œconomiam, rerumque collocationem, ſive cogitationum ſoliditatem, & ratiocinii rectitudinem ſpectes.*

XXIV. Hæc eſt Calviniſtæ noſtri critice in ſanctum Eccleſiæ Doctorem. Ethnicus ergo Cicero in formandis hominum moribus ſancto Ambroſio præſtantior eſt? Pro Calviniſtarum Reformatorum regimine Paganum Idololatram graviſſimo Eccleſiæ Doctori, qui caſtitatem ſuadet, qui fenora damnat, qui ſacras eſſe nuptias aſſerit, præferre Barbeyracus forte non immerito potuiſſet. At nimium impotens illius audacia eſt, dum aureum de Officiis S. Ambroſii opus, cæleſti lumine illuſtratum, longe Tulliano opere inferius eſſe definit. Vellem mitiori ſtilo excipe-

re hunc ſanctorum Patrum cenſorem, ſi ſaltem, ut Dallæus, ut Clericus, intra aliqua calumniandi confinia ſeſe continuiſſet. At tanta eſt hominis iſtius temeritas, ut neceſſario acriores voces exigat, compellatque recedere ab illa ſcribendi ratione quam etiam in hæreticorum confutatione adhibendam ſuademus. Sit Tullianum eloquium elegantius, ſit venuſtius. Quid hæc ad explicanda hominis chriſtiani officia conferunt? Chriſti enim doctrina Rhetorum fucos, & verborum lenocinia dedignatur. Paſſim ſiniſtre divinarum Scripturarum textus interpretatur Ambroſius? Illius ratiocinium parum conſtans? Eccur? Audi. Tullius docet, teſte Ambroſio *Lib. I. offic. cap.* XXVIII. primam eſſe *formam iuſtitiæ, ut nemini quis noceat, niſi laceſſitus iniuria*. Hoc, reponit S. Ambroſius, pugnat cum Evangelii doctrina, quæ beneficia pro iniuriis rependere ſuadet. *Quod* (inquit S. Doctor ibidem) *Evangelii veritate vacuatur: vult enim Scriptura ut in nobis ſit ſpiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre iniuriam*. Falſa ne interpretatio iſthæc, o Barbeyrace? Altera iuſtitiæ forma, a Tullio afferta, eſt eiuſmodi. *Deinde formam iuſtitiæ* (ſubdit Ambroſius ibi) *putaverunt, ut quis communia, ideſt publica pro publicis habeat, privata pro ſuis*. Naturæ ordo communia omnia fecit. Rerum occupatio proprietatem invexit. *Ne hoc quidem* [pergit Ambroſius] *ſecundum naturam, natura enim omnia omnibus in commune profudit: ſic enim Deus generari iuſſit omnia, ut paſtus omnibus communis eſſet, & terra foret omnium quædam poſſeſſio. Natura igitur ius commune generavit, uſurpatio ius fecit privatum*. At, ut magis pateat quæ ſit Barbeyraci critice in S. Ambroſium, lubet nonnulla alia eiuſdem S. Doctoris verba tranſcribere. Paucis enim plura exprimit. *Ergo ſecundum voluntatem Dei, vel naturæ copulam, invicem nobis eſſe auxilio debemus, certare officiis, velut in medio omnes utilitates ponere .... Magnus itaque ſplendor iuſtitiæ, quæ aliis potius nata quam ſibi, communitatem, & ſocietatem noſtram adiuvat, ut ſuo iudicio omnia ſubiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena*. Neque Doctor ſanctus proprietatem rerum iure gentium invectam abſolute excludit; ſed eo illius doctrina ſpectat, ut aviditatem augendarum divitiarum, & malum earumdem uſum, ut cupiditatem ceteros fratres ad paupertatem, inopiamque redigendi improbet, damnetque, ut denique Chriſtianos excitet ad ſublevandam aliorum egeſtatem, ſuperflua pauperibus impertiendo: quæ eſt ipſiſſima Auguſtini doctrina ex Evangelio hauſta. Hæc ſunt verba quibus ſua promit ſenſa Ambroſius Lib. I. Offic. cap. XXVIII. *Etenim, dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras poſſeſſionibus cupimus, præſtare divitiis, iuſtitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amiſimus. Quomodo enim poteſt eſſe iuſtus qui ſtudet eripere alteri quod ſibi quærat? Potentiæ quoque cupiditas formam iuſtitiæ effeminat. Quomodo enim poteſt pro aliis intervenire qui alios ſibi ſubiicere conatur; & infirmo adverſus potentes opem ferre qui ipſe gra-*

Digitized by Google

gravem libertatis affectat potentiam ? Non eſt quod multis a Barbeyraci ineptis cenſuris S. Doctorem afferam. Quæ in laudata præfatione congerit cenſor, ſatis ſuperque exploſit P. Cellier.

XXV. Verum contra hunc Patrum defenſorem iterum conatus ſuos exerit Barbeyracus in ſuo tractatu Moralis Patrum *cap.* XIII. Clamat *§.* 14. ſe non debere propriam mentis rationem litare iudicio antiquorum Eccleſiæ Doctorum, qui propria ratione tam male abuſi ſunt, quique cæco modo ſeſe auctoritati devoverunt. Apologiam *§.* 16. pro Cicerone contra Ambroſium texit. Ambroſius, pluresque alii Patres, tum antiquiores, tum poſteriores, difficultatem diſpicientes occidendi aggreſſorem, latronemque, atque adeo graviſſimum amittendæ innocentiæ periculum, inſuper ſerio reputantes fieri haud poſſe ut aggreſſoris, vel latronis corpus interimatur, quin ſimul anima detrudatur in infernum, hortati ſu nt fideles, in ſchola Chriſti imbutos, ut his in eventis ſacrificent Deo pro fratribus vitam, quemadmodum Chriſtus Dominus in cruce pro omnibus inimicis donavit ſuam.

XXVI. Tam divina doctrina diſplicet Barbeyraco ; quod eam in Calviniana ſchola non didicerit. Illam tamen probat, commendatque vel ipſe Grotius *cap.* I. *in Ioan.* & *cap.* V. *in Matth.* & commendare debent quotquot Evangelium profitentur. Ad auctoritatem Grotii, cuius verba dedit P. Cellier, nihil reponit ; ſed Ciceronis ſententiam Patrum Eccleſiæ doctrinæ præponit homo reformatus. Plurimas alias eiuſdem impoſturas in S. Ambroſium prætereo, tamquam ineptiſſimas. Nec dubito fore ut quiſpiam dicere auſit, plura me ſilentio tegere, quod neſciam illa refellere ; cum ſint omnia vaniſſima. Quod ſi aliquis futurus ſit qui Barbeyraci futiliſſimas cenſuras propugnare velit, illius cerebro fauſta precamur.

XXVII. Pauca de LACTANTIO dicam, quem Barbeyracus accuſat, docere, *virum bonum nec arma deferre, nec negotiationem exercere in remotis regionibus debere*. Odium quo in antiquos Eccleſiæ Patres, qui in anteceſſum hæreſim Calvinianam, & Lutheranam præfocarunt, ardet cenſor noſter, ita illum excæcavit, ut ea omnia adverſus eoſdem ſpuat quæ in mentem illi veniunt. Lactantius minime vetat cuiquam arma deferre, neque mercatoriam artem agere ; ſed ait, ut advertit P. *Cellier*, ſe non videre cur iſta peragere homo iuſtus debeat, neceſſitate ſublata. *Cur enim naviget* (inquit Lactantius) *aut quid petat ex aliena terra, cui ſufficit ſua? . . . Cur autem belligeret, ac ſe alienis furoribus miſceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua verſetur? Aut humano ſanguine delectabitur qui non modo ipſe cædem facere, ſed intereſſe facientibus, & adſpectare ducit nefas?* Patres ſancti Chriſto, Apoſtoliſque propinquiores, divini Magiſtri ubique inclamantis, ſpinas eſſe pecunias, divitiaſque graviſſima obſtacula aſſequendæ æternæ vitæ, doctrinam cæleſtem, occaſione data, fidelibus altius inculcabant. Ab

amore divitiarum immoderato, ſanguiniſque humani fundendi ſævitia illos abſterrere curabant. Graviſſima belli, divitiarumque pericula pro dignitate exaggerabant, ut eorumdem corda ad cæleſtia bona comparanda inflammarent. Sublimiora evangelicæ doctrinæ conſilia explicabant, miſſis tunc ſecretioris naturæ arcanis, quæ antea, aut poſt, vel alibi manifeſtaverant. *Barbeyracus* verborum Patrum venator, ſi vel vocem offendat quæ plures ſenſus excipiat, illico eam arrodere, cavillarique in deliciis habet. Caſus a Carneade propoſitos diſpicit Lactantius *Lib. V. inſtit. cap.* XVI. & diverſam a Marci Tullii opinione ſententiam promit. Hæc quoque diſplicet Barbeyraco, qui ſublimem evangelicæ perfectionis doctrinam ignorat, non ſecus ac Cicero, cuius cogitationes Eccleſiæ Patrum ſapientiæ anteponit.

XXVIII. Lactantio quoque exprobrat Barbeyracus, quod uſuram omnem abſolute damnaverit. Mirandum quod non ſuggillet Patres, propterea quod damnant polygamiam, furta, homicidia, & horrendiora flagitia. Iam ſupra, obiter licet, dictum eſt, Patres omnes, & cuiuſque ſæculi Doctores Eccleſiæ catholicæ, Scripturarum luculentiſſimis documentis innixos, fenera reprobare. Oppoſitum a duobus circiter ſæculis propugnant Reformati Calviniſtæ. Scripturæ nobis luculentiſſimæ ſunt contra uſuram. Pro uſura Scripturas ſtare adfirmant Calviniſtæ. Quis iſtius controverſiæ Iudex? Scripturæ? At utraque pars pro ſe illas allegat. Alterutrum ergo: aut lis interminabilis; aut iudex admittendus. Nullum iudicem hæretici volunt. Nullus ergo controverſiæ terminus. Quiſque ergo ſibi iudex, quiſque ergo ſuam habet fidem, quiſque ſuam religionem. Huc tandem recta deducit novatorum ſecta. Si enim nullus eſt iudex ſuper vera, aut falſa legum intelligentia; omnia confuſa, omnia perturbata in mundo erunt. Verum, ſi ultra hæc urgerem, ab inſtituta via declinarem. Fateor itaque, uſuram omnem diris devovere Lactantium; atque Barbeyracum cum ſuo Pſeudopatriarcha Calvino, ceteriſque Reformatis, ſeu deformatis, & Lutheranis turpiſſime errare, dum uſuras defendunt.

XXIX. Hactenus ex innumeris calumniis, Patribus a Barbeyraco inflictis, paucas curſim indicavi. Adiicere nunc lubet nonnulla ex iis quæ *Chriſtianus Thomaſius* Lutheranus, in audacia, & impudentia *Barbeyraco* nequaquam ſecundus, adverſus Patres Eccleſiæ obtrudit in *hiſt. iur. natur. cap.* III. Sperandum erat, inquit, fore ut, exorto in hoc mundo iuſtitiæ ſole Chriſto Domino, naturalis luminis uſus reviviſceret. *At evenit* (ſubdit §. 2.) *ut in media hac ſanæ doctrinæ luce errores priſtini, ac confuſiones luminis naturalis, & ſupernaturalis, mox poſt reſurrectionem, & aſcenſionem Chriſti in cælos, adhuc etiam viventibus Apoſtolis, iterum caput erexerint; mortuis autem Apoſtolis, ſi non omnium, ſaltem pene omnium Chriſtianorum nomine ſuperbientium animis ſe ſe inſinuaverint.*

XXX.

XXX. Originem tam ſubitaneæ mutationis continuo patefacit homo eruditus. Quamdiu, inquit, piſcatorum, idiotarumque cordibus Chriſti doctrina hæſit, tandiu pura & intaminata emicuit. Verum ſimulatque Ethnicorum eruditi plures, præcipue Stoicorum, Chriſto nomen dederunt, illico doctrinam chriſtianam polluere aggreſſi ſunt. Diſputationes inter Chriſtianos ex Iudæis, & Chriſtianos ex Ethnicis factos fervere cœperunt; & hinc diſſidia, atque pugnantes ortæ opiniones ſunt, quas diu fovit Platonicæ Philoſophiæ uſus. Auguſtinus præ ceteris Philoſophis Platonem extollit, & prædicat. Tempore Conſtantini Magni eruditi ex ethniciſmo in chriſtianiſmum transferebant modum docendi, inquit ſ. 10. & 11. *verboſum quidem, & amœnum, ſed & ſimul ſophiſticum, oratorium, rixantem, & affectus ubique teſtantem*. Ethnicis opiniones affingebantur, quibus numquam in mentem venerant; & poſtea iracundis, & vehementibus diſputationibus hæ chimæræ refutabantur. *Modo loco refutationum rationabilium utebantur exclamationibus, interrogationibus oratoriis, aut invectivis, & verbis maledicis, parum, aut nihil ad rem facientibus. Modo omittebant reſponſionem ad dubia propoſita, & loco reſponſionis uſurpabant digreſſiones longe quæſitas, ac ſanas & ſobrias doctrinas chriſtianas argumentis inſufficientibus confirmabant*. Quinam iſti Ethnicorum calumniatores, atque inepti eorumdem confutatores? Lactantius, Iuſtinus Martyr, Athenagoras, Tertullianus, Origenes, Ambroſius, Auguſtinus, ceterique catholicæ Eccleſiæ Doctores. Poſt Chriſti, & Apoſtolorum in cælos aſcenſionem extincta chriſtiana Eccleſia iacuit uſque ad excucullatum, uxoratumque Lutherum. Tam feſtiva deliria idcirco refero, ut univerſo orbi, Lutheranorum, Reformatorumque lepida cerebra pateant. Et ne Chriſtiano Thomaſio, cenſori ſane mendaciſſimo, quidquam imponere videar, audi quæ continuo ſubdit ſ. 12. *Memini quod ante plures annos B. Pater* (Iacobus Thomaſius) *dum Lipſiæ profeſſor oratoriæ eſſet, in publicis lectionibus auditoribus ſuis analyſes diſputationum quarumdam Lactantii adverſus Ethnicos, ſecundum regulas bonæ methodi diſputandi in calamum dictaverit, & nævos hactenus memoratos in magna copia ibi monſtraverit, quas adhuc in eius MS. poſſideo* &c. De Ambroſio, & de ceteris Patribus vide, ſubdit, in *notis Barbeyracum*, quem ſupra vidimus, & audivimus. Singulas ne ego has nugas dixerim, an impudentiſſima mendacia refellere debeam? Platonicus fuit Auguſtinus, ubi in Platone veritatem, Antiplatonicus, ubi falſitatem deprehendere ſibi viſus eſt. Nonne Doctor ſanctus ex inſtituto Platonis errores oppugnavit? Huc ne textus tranſcribam, ut abſque neceſſitate folia impleam? Vide hac de re P. *Baltum*, qui Patres ab erroribus Platonis vindicat.

XXXI. Si primis aureæ ætatis religionis chriſtianæ ſæculis tam denſæ ignorantiæ tenebræ doctiores Chriſtianorum mentes occuparunt, colligere quiſque facile poteſt, quanta fuerit eruditio poſteriorum temporum, *in quibus* (ſubdit hiſtoricus no-

noſter ſ. 13.) *ſtudia ratiocinandi quotidie magna decrementa, contra rixæ & pugnæ Andabaticæ magna incrementa caperent; nævi illi non emendati, ſed potius aucti fuerunt*. Et quemadmodum rivulus, quo a fonte longius recedit, turbulentior evadit; ſic quoque iuris naturæ ſcientia eo maiora ſubivit detrimenta, quo vetuſtior facta ætas eſt ad tempus uſque Lutheri. *Tum enim*, canit Chriſtianus Thomaſius ſ. 14. *multi Proteſtantium Theologorum, in primis vero B. Lutherus noſter, Chytræus, & alii .... de hoc abuſu interpretationis a Philone, Ambroſio, Origene, & aliis Eccleſiæ Patribus commiſſo conqueſti ſunt, & adhuc conqueruntur*. Ut vides, univerſa Chriſtiani Thomaſii hiſtoria eo ſpectat ut *Beatum* ſuum *Lutherum*, ſicut Eccleſiæ, ita quoque ſcientiarum omnium reformatorem repræſentet. Quod ſane conſilium ab ipſis Stoicis & Cynicis riſum extorquet. Nec ego efficacius deridendos propinare exiſtimo hos Lutheranorum Doctores, quam illorum ipſorum verba, & cogitatiunculas in medium afferendo. Adeo hæc monſtroſa ſunt, ut vel ipſorum Evangelicorum plures commoverint, ſicuti teſtatur Hiſtoricus noſter ſ. 19. *Et ſatis mirari non poſſumus, qui fiat ut multi etiam inter Evangelicos ferre nequaquam poſſint, ut vel minimæ tantum annotationes de dogmatibus Patrum Eccleſiæ proponantur, quæ vel exiguam particulam eorum ſanctitati titulari, & auctoritati, tantum non omnipotenti, detrahere valeant. Adhibentur ſtatim invectivæ, & hæretificationes cum magno abuſu Scripturæ dictorum in eos qui ex amore veritatis ignaros ſanæ doctrinæ de erroribus admonent. Declarantur hi eſſe maledicti Empectæ detegentes pudenda Patris Noe. Immo tandem uſus luminis naturalis plane abiicitur, ita ut malint ſe, & alios privare ratione recta a Deo, tamquam a nobiliſſimo Domino, conceſſa, quam ut deponant intempeſtivum, & irrationalem amorem erga homines imbecillitatibus humanis præditos, & non infallibiles. Notum eſt quantas hactenus calumnias, & increpationes paſſi fuerint viri quidam eruditi* (Dallæus, Clericus, Bælius) *qui veritatem illam docuerunt. Nec ipſe adhuc audeo rem hanc plenius exponere, vel ſaltem ab aliis expoſita fuſius referre; quamvis demonſtratio huius aſſertionis maxime ad ſcopum noſtrum pertineat*.

XXXII. Patres imbecillitatibus humanis præditi fuerunt, inquit Hiſtoricus, & *infallibiles* minime fuere. Nulla ergo illis fides adtribuenda. Beatiſſimus ille veſter Martinus Lutherus, ſupra omnes humanas imbecillitates evectus, falli, aut fallere neſcius, acu ne omnia naturæ arcana tetigit? Proteſtantes, tanti Patriarchæ ſapientiæ veluti ex aſſe heredes, hanc iuris naturæ ſcientiam ſibi vendicant. At modeſtiſſimus Thomaſius formidans ne ſui evangelici homines contra ſe Patrum contemptorem irruant, non eſt auſus *plenius* Patrum menda exponere, orbemque univerſum uſquequaque illuminare. Calamitates quas ſuſtinuere ferventiſſimi illi divinæ religionis deriſores, Petrus Bælius, Clericus, & Dallæus, ob Pa-

trum

trum contemptionem, indicat. Quem eruditorum latet, impiiſſimum Sannionem Petrum Bælium ioci loco quamlibet habuiſſe religionem? Impudentia Clerici in carpendis Patribus cuinam ignota eſt? Hos nullius religionis duces ſequitur *Chriſtianus Thomaſius*, digniſſimus tantis magiſtris diſcipulus. Infra evincam demonſtratione evidentiſſima, methodum quam ſibi propoſuerunt Thomaſius, Barbeyracus, Puſendorſius, VVolfius, ceterique Proteſtantes in explicandis naturæ arcanis, eſſe omnium errorum fontem. Fundus quippe iuris naturæ anima rationalis, ſeu natura humana eſt. Communis hominum vox pandit vera naturæ iſtius arcana, præceptiones, & ſenſa. Derident Doctores laudati communes hominum, & quidem doctiorum præceptiones, & voces. Repugnant ergo naturæ inſtinctui, ac primis, intimiſque eiuſdem ſenſibus; & dementes, ad hoc quod attinet, maniſeſtiſſimi ſunt. Verum de hoc fuſius infra.

XXXIII. Finem huic capiti impono nonnullis eiuſdem Chriſtiani Thomaſii ſententiis. Singulari providentiæ divinæ adſcribit, quod ſuperiori ſæculo Abrahamus Scultetus nævos, erroreſque Patrum in compendium redegerit; eumdemque legendum ſuggerit, ſicut & Dupinium, Clericum, & potiſſimum Barbeyracum, de quo *loc. cit.* §. 22. hæc ſcribit. *Clariſſime* (Barbeyracus) *monſtravit, quod Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Lactantius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Gregorius Magnus (en catenam Patrum Eccleſiæ præcipuorum, & paſſim pro Sanctis habitorum) non ſolum in doctrina morali parum aut nihil ſciverint, ſed & in explicatione Scripturæ ſacræ, aut alia occaſione ita ferente, varia noxia, & erronea, ac non ſolum luci Evangelii, ſed & iuri naturæ adverſantia dogmata (ut ipſe loquitur) in animis auditorum ſuorum diſſeminaverint*. In morum doctrina noxia docuere Patres? Quænam hæc? Quænam? Virginitatem præferunt matrimonio. Iſtud, ut ſanctius cuſtodiatur, evectum a Chriſto aſſerunt ad ſacramenti dignitatem. Uſuras omnes, ſive magnas, ſive parvas, damnant. Ieiunia ſuadent, quæ eluonibus, & ganeonibus diſplicent. Pœnitentiam, cilicia, diſciplinas, iugemque corporis conflictationem, ſenſuum crucifixionem inculcant, imperant, tanto fervore, ut Epicurei iſti nullum non moveant lapidem, ut iſtorum Patrum doctrinam, e Scripturis ſanctis hauſtam, in contemptionem adducant.

XXXIV. Hiſtoricus noſter, ut argumentum exhibeat, ſe preſſe, ordinateque diſputare, in hiſtoriam iuris naturalis Papatum, invitis ſuperis, introducit. Politicum effatum ſuis Proteſtantibus ſerio meditandum proponit, ut Papatus ſcopulum facilius declinent. Inquit enim cit. hiſt. cap. 111. §. 23. *Ut autem arcana politica Papatus eo melius intelligantur, & Proteſtantes eo cautius eadem vitare, & ſimul eo diſtinctius comprehendere poſſint, qua occaſione lumen naturale, imprimis vero doctrina morum, & politica, item ius naturæ magis, magiſque obſcurata, &*

cor-

corrupta fuerint, veritatis ſtudioſo ſequens ad profundiorem notitiam hiſtoriæ eccleſiaſticæ manuducens; ſed communiter etiam a noviſſimis, & alios errores annotantibus Scriptoribus neglecta, obſervatio valde commendanda eſt. Vides in hac periodo elegantiam cum perſpicuitate certare? Et hi ſunt qui ſtrigoſam, impeditamque orationem Scholaſticis improperant. Sed levia in thraſonibus iſtis hæc reputare debemus. Promamus arcana iſta. Faſtidio ſummo lectorem afficerem, ſi lutulento hiſtorici, atque ſuperciliosi cenſoris ſtilo myſteria ab illo conficta enarrarem. Et primum quiſque iudicare valet quam inepte in hiſtoriam iuris naturæ arcana Papatus introducantur. Sed familiare eſt novis iſtis Ariſtarchis argumenta prorſus diverſa ſimul conſuere, & confuſione incredibili cenſarcinare: quæ vitia exprobrare Scholaſticis ſolent. Verum audiamus hæc arcana Papatus.

XXXV. Univerſos Eccleſiæ Patres cuiuſque ætatis tribuit ille in partes duas; eaſque mutuo pugnantes. Prioris claſſis Patres, inquit, in contemplatione eſſentiæ divinæ felicitatem collocant, neglecta vitæ emendatione. Deum eſſe indulgentiſſimum Patrem prædicant, qui incredibili patientia carnis opera tolerat. Filium ſuum in hunc mundum miſiſſe docent, ut, excuſſo Moſaicæ legis iugo, obtutum figerent Chriſtiani in divina eſſentia. Contendunt hunc Deum zelotem eſſe, atque velle ut doctrinæ capita ad certas formulas redigerentur iuxta morem in conventibus politicis receptum, per votorum pluralitatem. Qui vero ab his formulis diſſentiunt, quamvis Deo placere ſtudeant, æternas daturi ſunt pœnas. Quid ſibi velit homo iſte, dum talia ſomnia, ne anicella quidem digna, ſcriptis conſignat, vix percipere valeo. Carpere forſitan ſervatum in Conciliis morem controverſias dirimendi contendit. Dum hæc in Doctore Lutherano legebam, ob oculos me habere aliqua *Talmudi* folia credebam. Deridenda, ſecus refellenda hæc ſunt. Has delicias eruditis Lutheranis guſtandas relinquimus.

XXXVI. Patres poſterioris claſſis, inquit §. 25. præ ceteris, quæ referre piget, docent renuntiandum voluptati, avaritiæ, ambitioni, quibus interdum vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ opponenda ſunt. Crucifigendam carnem cum deſideriis, & cupiditatibus ſuis, ſubiiciendam propriam conſcientiam piorum hominum regimini. In has duas Patrum claſſes plures texit animadverſiones, in viginti circiter §§. diſtinctas, tanta verborum farragine, & tam implexa oratione, ut neque quæ dicat, neque quæ dicere elegantiſſimus ſcientiæ iuris naturæ Hiſtoricus velit, percipere valeam. §. 29. hæc fatur. *Utraque* (pars) *accuſabat alterutram, quod quaſi contra conſcientiam ſponte, & data opera falſas doctrinas defenderet, & innocentes, & incautos ſeduceret*. Addit §. 32. *Utraque operam dabat, ut confirmaret doctrinas ſuas piis fraudibus; manifeſtis fabulis, & falſis miraculis*. Quæ eructat §. 34. mendacia, evidentius nigram Hiſtorici indolem produnt. *Ergo tandem utraque ſecta myſterium invenerat per media plane contradicto-*

ria acquirendi res contradictorias , per votum caſtitatis omnis generis voluptates per votum paupertatis omnes divitias , & per votum obedientiæ omne imperium . Et tandem §. 35. concludit : *Utraque adeo ſecta utebatur arcanis Papatus* . Hæc calumniarum portenta exſcripſit a ſuo illo mendaciſſimo impoſtore Rudulpho Oſpiniano . Continuo ac unus Lutheranorum aliquod mendacium adverſus Papatum ſcribillavir , illico alii ilud reſcribunt . Quod a tempore Conſtantini Magni ſanctiſſimi & Monachorum Patriarchæ, & Clerus univerſus , votis paupertatis , caſtitatis, & obedientiæ uſi ſint ad divitias , ad opera carnalia , ad imperium , & cetera id genus comparanda , impoſtura eſt *Oſpiniano* , eiuſque exſcriptore *Thomaſio* digna . His putidiſſimis fabellis indoctam plebem excantant circulatores indigni . Si ceteras chimæras , pluſquam Rabbinicas , & Thalmudicas , quibus plura implet Thomaſius folia , recenſere , & refellere vellem ; & tempore , & otio abuterer , & lectoris patientiam nimium torquerem . Sciant dumtaxat Lutherani , ſe his vaniſſimis fabellis prodere propriæ ſectæ ſtultitiam, & Catholicorum religionem confirmare. Si enim non aliis armis , niſi mendaciis, & calumniis aggredi Romanam Eccleſiam, proprioſque errores propugnare valent; neceſſario conſequitur veram eſſe Catholicorum fidem , contra quam nihil, præter fabulas, chimæras, & impoſturas, opponere Lutherani queunt.

CAPUT IV.

Thomaſius, Budæus , Barbeyracus , *& communiter Lutherani Scriptores, iuris naturæ ſcientiam denegant omnibus qui ante Lutherum vixerunt . Illorum lepida commenta, & feſtivæ calumniæ refelluntur .*

I. IAm in ipſo *contractus trini fenebris tractatu* admonui , a Patrum, & Scholaſticorum ſuperciliosa contemptione, veluti ab infecto fonte, hæreſum ſeptentrionalium colluvionem promanaſſe. Connexæ quippe ſemper fuere, & ſunt, inquit MELCHIOR CANO prudentiſſimus cenſor, poſt natam Scholam, Scholæ contemptio, & hæreſum peſtes. Ex temeritate qua primos, ſanctioreſque Eccleſiæ catholicæ Doctores hactenus vexarunt Lutherani , Calvinianique Scriptores , colligere quiſque iure valet, qua modeſtia, qua honeſtate veneraturi ſint Theologos ſcholaſticos , eorumque doctrinam . Ut in poſteriorum temporum catholicos Doctores oblatrare impudentius valeant heterodoxi, larvam Theologiæ ſcholaſticæ ſibi effingunt, in quam ſua vibrent ſcommata. Quare, ut iſtorum ora obſtruam, Theologiæ ſcholaſticæ notionem præmittam fas eſt . Porro ſcholaſtica Theologia ſcientia

eſt

Digitized by Google

eſt quæ de Deo, rebuſque divinis apte ratiocinatur. Scholaſtica nuncupatur, quod via, rationeque diſputet, ad vivum quibuſque reſecatis ineptiis. Olim abſque præſtituta preſſaque methodo vagabatur, & in Patrum operibus diſperſa iacebat Theologia. Eam in certam ratiocinandi formam redegit Petrus Lombardus, ſuas argumentationes ex Scripturis primum, poſt ex apoſtolicis, & eccleſiaſticis traditionibus, Conciliis, Patribuſque collegit. Interpretatur quæ ſunt naturæ iuris, immo cum moralis naturalis fundus ſit, in quo ſupernaturalia præcepta feruntur, ſcientia iuris naturæ lumine ſuperno illuſtratur. Unica eſt Theologia chriſtiana, quæ varias excipit appellationes. Vocatur *dogmatica*, dum dogmata ſola exponit: *polemica*, dum adverſus hæreticos dogmata explicata vindicat: *moralis*, dum hominum mores format: *ſcholaſtica*, cum ordinem rationemque diſputandi ſignificet, numquam a dogmatica, a polemica, a morali ſeiuncta eſt: quoniam quælibet ſcientia quæ ordinem methodumque in diſputando ſervat, *ſcholaſtica* nuncupatur. Error vulgi, immo ſciolorum, & hæreticorum eſt craſſiſſimus, cum ſub nomine Theologiæ ſcholaſticæ, ſeu methodicæ, quæ preſſe, ordinateque ratiocinatur, larvam quamdam ſpuriæ Theologiæ depingunt, quæ tota in reculis, rixis, cavilliſque ineptiſſimis occupatur. Siquidem abuſus iſti hominum, non ſcientiæ ſunt. Nulla ars, nulla facultas, nulla ſcientia ab his corruptelis immunis eſt. Suam ergo craſſiſſimam ignorantiam produnt hæretici, eorumque gregales, dum Scholaſticos ſophiſtas, cavillatores, & rixatores, de rebus vanis, ineptis, nulliuſque prorſus utilitatis diſputantes repræſentant. Quandoquidem, ſicut inter uxoratos ſunt adulteri, inter artifices veteratores, inter inſtitores avari & raptores, inter Sacerdotes ſacrilegi; ita inter Theologos rabulæ, nugatores, ſophiſtæ reperiuntur. Quid heinc? Ideone improbandæ artes, damnandæ ſcientiæ, deridendi, contemnendi abſolute earumdem profeſſores ſunt?

II. Chriſtianus Thomaſius *capite* IV. epocham ſuæ hiſtoriæ iuris naturalis ab origine Accademiarum ad Reformationis, ſeu revera deformationis, Lutheranæ tempora extendit. Si huic Hiſtorico-Critico fidem habeas, videbis univerſum terrarum orbem ſpiſſa tenebrarum caligine circumfuſum, decem & amplius ſæculorum intervallo ad Moyſem Teutonicum Lutherum uſque. Suppreſſo occidentali Imperio, ſcholæ publicæ defierunt in Italia, Anglia, Gallia, Hiſpania, ceteriſque regnis, quæ ſæculo nono innovatæ fuere: eas moderabantur magiſtri ut plurimum ex Monachis electi. Ceterum, quia iſtius rei narratio præter meum inſtitutum eſt, illam prætereo una cum perpetuis aberrationibus, quibus ſcatet hiſtoria Thomaſiana. Digna, atque ſpectabilis Scholaſticorum natio a Petro Lombardo ſua ducit orſa, ut communis opinio fert. Thomaſius indicat Commentatores Petri Lombardi, & S. Thomæ Aquinatis, de quibus hæc ſcribit cap. IV. §. 17. *In his omnibus commentariis, tam ſuper ſententias Lombardi, quam ſuper ſummam Thomæ, fruſtra*

quæ-

quæret doctrinas utiles, & a ſana ratione profectas; ſed omnia repleta ſunt auctoritatibus, ſubtilitatibus, inanitatibus. Inter inanitates, & futilitates amandat auctoritates Scripturarum, Patrum, & ſeniorum Theologorum, quibus ſuas firmare ſententias ſtudent laudati Scriptores.

III. Theologos ſibi vendicaſſe iuris naturæ, & moralis Philoſophiæ præcepta explicanda, narrat Thomaſius *cap.* IV. *ſ.* 17. eoſque accuſat, quod in alienam Philoſophorum ſegetem falcem extenderint. Sicut in ceteris, etiam hic fallitur Lutheranus Hiſtoricus. Theologi quippe munus eſt viam æternæ beatitudinis acquirendæ docere fideles. Illuc autem, abſque legis naturalis obſervatione, fieri ne poteſt ut quiſpiam perveniat? Sed de hoc infra. Ieſuitis improperat, quod periculoſa in morum Theologiam principia invexerint. *In primis autem*, ſubdit ibidem, *Ieſuitæ operam dederunt ut principia maxime noxia, & periculoſa in doctrina morali inculcarentur, & adhuc hodie id faciunt*. Tantum malum Ieſuitis abſolute adſcribere, calumnia eſt apertiſſima; cum multi ſapientiores Ieſuitæ voce, & opere ſaniora morum principia defendant, & inculcent. Neque in univerſam Societatem regerendæ ſunt laxæ, & erroneæ quorumdam Caſuiſtarum opiniones. Quælibet profeſſio ſuos habet fictos, ut alias dixi, & dicendum ſæpius eſt.

IV. Franciſcus Budæus, in Lutheranorum & ipſe ſchola imbutus, eorumque præventus erroribus, poſtquam *ſ.* 10. ſuæ *hiſtor. iur. nat.* accuſavit Patres, quod officia hominis, & Chriſtiani permiſcuerint, impetit *ſ.* 11. poſteriores Theologos. Luget, quod duriora fata & ius naturæ, & univerſam Theologiam poſt ſextum ſæculum exceperint. Univerſum orbem ignorantiæ, & ſuperſtitionis caligine involutum deplorat. Morum Philoſophiam, ceteraſque artes incultas, ſquallore, & rubigine obſitas iacuiſſe, & veluti profugas, mortalium ſedibus relictis, extra mundum ſe recepiſſe contendit. Fatetur tamen *ſ.* 12. morum iuriſque naturæ ſcientiæ operam dediſſe nonnullos, quos vocat recentiores, ſed *ſubtili & ſpinoſo dicendi genere, quæ forte propria illorum hominum laus eſt. Sine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo, aut lubrico fundamento, quæ docent, ſuperſtruunt. Divina, humanaque iura miſcent. Rationum momenta aut plane non, aut ieiuna quandoque, & ridicula afferunt*. Abſque *ordine*, mi homo, Theologi ſcholaſtici iuris naturæ capita tractarunt? Eccur? Quod humana divinaque miſceant. Lutherani paſſim Scripturis ſanctis abutuntur, ut errores ſuos turpiſſimos contra fidei arcana propugnent. Dum audiunt morum regulas, ab ipſo naturæ iure deductas, divini verbi, & ſanctorum Patrum ſuffragiis roborari, tum vociferantur, divina humanis immiſceri. Quam ignoranter hæc obtrudant, infra palam faciam. Nunc non eo inficias, inculto, nimiſque arido ſtilo Scholaſticorum plures ſcripſiſſe. At nævum hunc omnes fere, præter Lutheranos, improperare Scholaſticis poſſunt. Ecquis negaverit, homines iſtos deridendos ſeſe propinare, dum orationem minus comptam Scholaſticis opponunt,

nunt, ac ſi ipſi tot Tullii, tot Terentii, tot Saluſtii, tot Cæſares eſſent! Quis ex toto Lutheranorum grege ſtilo tam eleganti controverſias theologicas & morales tractavit, ut Paulus Comitolus, Melchior Cano, Hieronymus Oſorius, ut plures alios ſileam? Nervorum robore, ſecus Latini eloquii venuſtate, & orationis concinnitate valere Germanos audivi. Sed, quæ continuo ſubdit D. Budæus, exſcribamus. *Nec tamen ab erroribus variis, iiſque graviſſimis fuerunt immunes, quos tantum abeſt ut Romanæ Eccleſiæ Theologi, qui horum, ceu maiorum ſuorum, ſe premere veſtigia gloriantur, emendaverint, correxerint, ut auxerint etiam hereditatem, novis commentis locupletatam ad poſteros tranſmiſſuri.* Maiores noſtri fuerunt ſimul maiores parentum veſtrorum, a quibus vos degeneres defectionem feciſtis. Depoſitum ſanæ doctrinæ a Chriſto Apoſtolis, & ab Apoſtolis maioribus noſtris traditum ad nos, & a nobis ad poſteros non interciſa temporum ſerie perveniet. Hereditatem iſtam maiores noſtri integram a cuiuſque ſæculi erroribus, ſed potiſſimum ab hæreſibus, quas Pſeudopatriarchæ veſtri Lutherus, & Calvinus diſſeminarunt, ſartam tectam cuſtodiere, æternumque cuſtodient poſteri. Si qui privatorum quandoque errarunt, iſtorum menda diris devovit Eccleſia noſtra.

V. Plus quam veteres, deſipere novos Theologos noſtros addit §. 13. Franciſcus Budæus: quia, inquit, *aut ignorantia, aut, quod credere malim, malitia quoſdam eorum in tranſverſum agit.* Probabiliſmi commentum, & peccatum philoſophicum obtrudit, quorum veſtigia in antiquioribus deprehendi innuit his verbis. *Huiuſmodi figmentorum, ut ut iam in antiquioribus illis, Thoma, Bonaventura, Vaſquezio, Sanchezio, Carena, Navarro, Corduba, Azorio, Ramirezio, Caſtanegio, Eſcobario, Ledeſma, Valentia, Caſtropalao, Medina, Sanctio, Aragonio, Lopezio, Martinezio, Zanardo, Villaloboſio, aliiſque, cum primis vero Diana, veſtigia quædam deprehendantur; recentiores tamen, Honoratum Fabri, Antonium Terillum, Amadæum Guimenium, & plures, audacia eo uſque provexit, ut non tantum aſſererent, ſed & ſcriptis publicis contenderent, fas eſſe eligere ſententiam, vel unius viri doctrina inclyti auctoritate munitam, ut ut ceteroquin legi plane repugnantem.*

VI. Quod, inter cetera, obfirmatam Lutheranorum cæcitatem mihi evidenter patefacit, eſt illorum apertiſſima mala fides in factis Catholicorum enarrandis, eorumque doctrinis exponendis. Non eſt magni momenti quod nunc indicaturus ſum; tamen & hoc manifeſtat iſtorum candorem, & ſinceritatem. Caſuiſtarum, & quidem laxiorum, turbæ accenſet Budæus duos Eccleſiæ Doctores Thomam, & Bonaventuram. In eodem ſubſellio cum Eſcobario, cum Diana, cum Villaloboſio illos collocat eruditiſſimus Hiſtorico-criticus. Errores quos obtrudit, duo evincunt, & illius calumniandi animum, & Eccleſiæ Romanæ vigilantiam in ſanioris doctrinæ depoſito cuſtodiendo. Peccatum philoſophicum, & opinionem Terilli, & Moyæ, docentium cum aliis, fas eſſe eligere ſententiam unius docti viri auctori-

tate

tate munitam, tametſi legi repugnantem, anathemate confixit Eccleſia Romana. Quin prima ipſius Probabiliſmi capita damnavit, univerſumque ſyſtema communis quoque Doctorum catholicorum ſententia improbat. Quot alias laxiores, aut etiam æquo ſeveriores a Theologis catholicis invectas opiniones non damnarunt Pontifices ſummi, ut puram, atque intaminatam ſervarent morum doctrinam? Recogitent hæc Lutherani, & extremo ſuffundantur pudore. Vigilant apud nos iudices, ne quid adverſus morum integritatem graſſetur impune. Prodeunt etiam ex noſtris opinionum monſtra, non malitia, ut calumniatur Budæus, ſed imbecillitate hominum. At illico canes Domini, Epiſcopi, Paſtores clamant, & damnant. Si ego Lutheranorum, Calviniſtarum volumina revolvere vellem, quæ errorum monſtra non occurrerent? De religione, de Deo, de articulis fidei fundamentalibus quot familiæ, tot ſectæ. Ex tot libris, in quibus impietas, atheiſmus, tolerantiſmus, naturaliſmus apertiſſime ſuadentur apud Proteſtantes, quiſnam proſcriptus? Dominari in fidem nemo debet: nonne? Quidquid in mentem venit, ad æternam populi perniciem evulgare typis licet in Eccleſiis Reformatis, ſeu in Babilonicæ confuſionis ſynagogis. Et, cum reipſa homines iſti undique denſiſſima errorum caligine circumdati & obſeſſi ſint, audent nihiloſecius catholicæ Eccleſiæ Theologis errores, & ignorantiam improperare. Provoco Lutheranos, Calvinianoſque omnes, ut vel unicum deſignent librum, a Catholico quopiam evulgatum impietatis ſuſpectum, qui flammis datus non fuerit. Contra in Eccleſiis Lutheranis, & Calvinianis impune diſcurrunt pari paſſu pietas, & impietas, falſitas, & veritas, religio, & incredulitas. Hæc omnia in cuiuſque oculos irruunt; & niſi ab inſtituta via recederem, eadem documentis invictis demonſtrarem.

VII. Sed clamat iterum Budæus §. 16. „ Ita moralis doctrina ... profuga velut „ & extorris, modo per Iuriſconſultorum, modo per Theologorum caſtra oberrans, „ mitius profecto ab illis quam his habita eſt, quippe quibus parum fuit non „ itaut decebat, illi litare; ſed corrumpere inſuper, & depravare, pulchrum viſum „ fuit. Nec alia eam temere excipere fata potuerunt, *ex quo a Philoſophis* „ *neglecta, quin eiecta in exilium, & penitus proſcripta fuit.* “

VIII. Uſque dum ergo Theologi morum doctrinam & rationibus a iure naturæ deductis, & divinarum Scripturarum lumine, & ſanctorum Patrum ſcitis illuſtrare ſatagerunt, eam profugam, & in exilium eiectam ſpectavimus? Permiſcuere Theologi auctoritates, lumen cæleſte & divinum cum lumine naturali: & hæc immixtio morum caſtitatem fœdavit? Solis Philoſophis, uno naturæ lumine, ſeu rectæ rationis uſu, amandatis Scripturis, Patribus, moralis doctrina explananda eſt? Hæc ſunt Lutheranorum, & Calviniſtarum effata, hæc dogmata, quæ eam virtutum, & ſanctitatis meſſem peperere quam oculis conſpicimus. Et, ut hoc feſtivum ſane ſiſtema evincat Budæus, a primis illud arceſcere fontibus aggreditur.

Ad Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem ſe recipit, & quatuor circiter §§. iſtorum doctrinam exponit. Plurima laudat, quædam carpit, numquam moralis doctrinæ fulgorem apparuiſſe fatetur mæſtus & lugens, donec tandem ex imo pectore reſpirans clamat: *Fata dedere Hugonem Grotium, illum iuris naturæ reſtauratorem feliciſſimum poſt Lutherum, & Philippum Melanchonem.*

IX. Chriſtianus Thomaſius, Budæo longe impudentior, *loc. cit.* §. 19. Scholaſticis inſultat inquiens: *Interim paullo ante Reformationem, & circa eamdem, nonnulli graviter, & diſtincte de ineptiis ſtudiorum ſcholaſticorum conqueſti ſunt:* quos inter Reuclinum extollit, quod latinitate revera Teutonica Scholaſticos perfricuerit. Palmam tamen omnibus præripuiſſe in maledicendis Scholaſticis ſcribit §.20. Eraſmum Roteredamum, *dum non ſolum*, inquit, *in ſcriptis ſuis paſſim errores eorum theologicos, & philoſophicos notavit, ſed ſtilo acuto, & mortificante Monachorum, & Profeſſorum malitiam, ſtultitiam, & ignorantiam, partim in colloquiis familiaribus, partim in encomio Moriæ ad vivum depinxit*. Hæc reſcribo, ut lectores ipſi veluti manibus tangant honeſtam, caſtamque ſcribendi rationem quam Lutherani Doctores adhibent. Enim vero nihil eos *mortificare*, ut Thomaſiana voce utar, magis valet quam ruſtica eorum loquendi forma. §.30. ſigillatim Albertum Magnum, & Thomam Aquinatem carpit, quorum doctrinam eo ſpectare aſſerit, *ut homines uſu rectæ rationis, & libertate ſentiendi privarentur, ac ſub iugum diſpoticum non ſolum quoad corpus, ſed & intuitu animæ, & conſcientiæ mitterentur*. Qui opera S. Thomæ Aquinatis legit, eaque cum his impoſturis confert, ſtatim colligit, quodnam ſit Lutheranorum Doctorum ſinciput. Sed ad amœniora progrediendum. Ut indicavi alias, Lutherani Doctores contendunt, mundum univerſum ſemper caligaſſe in iuris naturæ arcanis cognoſcendis, lucemque ſolummodo illuxiſſe mundo, Luthero orto, & excucullato. Quamdiu enim monaſticam vitam egit, & ipſe tenebris circumfuſus oberrabat. At, capucio poſito, & Catharina deſponſata, tum aperti ſunt oculi eius, & iuris naturæ arcana, & veræ religionis ſanctitatem penetravit.

X. Ne gratis hæc aſſerere videar, en verba quibus ſuum auſpicatur caput v. cuius hic eſt titulus „ De fatis iuriſprudentiæ naturalis a tempore Reformationis „ ad Hugonem Grotium." *Iam porro inquirendum eſt qui factum fuerit ut per Reformationes Lutheri, Zwinglii, & aliorum inſtrumentorum, quibus divina providentia in opere Reformationis uſa fuit, præter alias emendationes antiquorum errorum, non etiam differentia, & genuinus uſus luminis naturalis, & ſupernaturalis, tam in cathedris eccleſiaſticis, quam accademicis fuerit reſtitutus. Equidem in eorum ſcriptis contra Papatum* (en fulgentiſſimum naturalis luminis radium!) *deprehenduntur multæ bonæ ad iſtum ſcopum pertinentes doctrinæ, dum partim ineptas Ariſtotelicæ com-*

communiter receptæ doctrinæ ſeries obſervationibus paſſim notarunt, partim vivis coloribus eam delinearunt. Papæ? Multas ergo bonas doctrinas contra Papatum in confutandis nugis Ariſtoteleis collegerunt Lutherus, & Zvvinglius? Sed pauca alia verba, quibus ſuum *Thomaſius* claudit paragraphum, tranſcribamus. *In primis autem in controverſia de tranſubſtantiatione oſtenderunt, quod etiam in quæſtionibus theologicis non plane ſeponi, aut verba ſacræ Scripturæ contra regulas rectæ rationis exponi debeant.* Scitiſſime. Lumen naturale diſcernit, num in hoſtia conſecrata ſit corpus Chriſti ſimul cum pane, aut panis in corpus Chriſti tranſierit? Lumen naturale Calvini revera ibi non videt Chriſti corpus. Videt autem naturale Lutheri lumen. Quodnam horum lumen fatuum? Calvinus figuratum ſenſum tribuit evangelicis verbis. Lutherus in ſenſu litterali eadem verba exponit, contenditque ibi vere, & realiter extare Chriſti corpus, quamquam ſimul cum pane. Realiter ibidem corpus Chriſti reperiri fatentur quoque Catholici, ſed pane in corpus Chriſti converſo. Ecquis tantas componere lites valet? Lumen naturale? Quis tam demens, ut id aſſerat? Verba evangelica? Diſſidium partium, quarum quælibet a ſe ſtare evangelica verba contendit, oppoſitum evincit. Ergo iudex admittendus, qui verum divinæ Scripturæ ſenſum definiat. Hoc adeo exploratum eſt, ut evidentiſſime demonſtret, Lutheranos id negantes deſtitutos eſſe lumine & naturali, & ſupernaturali. Luminis naturalis uſu cognoſcendum myſterium, quod eſt ſupra humanam rationem, docent; reſpuunt vero lumen naturale, exuuntque ipſum communem ſenſum, dum eos ſic urgemus. Nulla umquam fuit inter Chriſtianos ſecta, quæ, ut vindicaret proprias hæreſes, a ſe ſtare divinas Scripturas non contenderet; ut patet in Arianis, Neſtorianis, Eutichianis, Socinianis, aliiſque. Evidens ergo eſt, ſolo Scripturarum uſu lites dirimi non poſſe; quemadmodum nec lites civiles, quæ ex diverſa legum intelligentia pendent, iudice ſublato, definiri poſſunt. Admittendus ergo iudex ſupremus, qui inter partes diſſidentes decidat, quænam vera, quænam falſa ſit. Alioquin quot capita, tot religiones. Iſtius iudicis neceſſitatem lumen naturale, experientia manifeſtiſſima, ipſeque communis, & intimus ſenſus evincunt. Et tamen in tanta lucis plenitudine furentes cæcutiunt Lutherani, qui uſum rectæ rationis ad ſidera uſque extollunt. Quorſum hæc? Ut *Thomaſium* errantem, palantemque inſequerer. Intruſit ille vi ſumma in ipſam iuris naturæ hiſtoriam hoc profundiſſimum myſterium: idcirco hæc pauca vel invitus reponere ego debui, ut, quam ſint communi ſenſu in hoc religionis puncto Lutherani exuti, omnibus palam facerem. Rancidula hæc ſunt, fateor; at non ego, ſed Thomaſius eadem in ſcenam reducit. Heinc quoque patet quam ſint feſtivi, & iucundi Lutherani noſtri. Improperare catholicis Theologis & Patribus ipſis minime erubeſcunt, quod iuris naturæ decreta Scripturæ ſanctæ teſtimoniis, & religionis noſtræ documentis confirment, eo ipſo tempo-

re quo illi altiſſima Evangelii myſteria, quæ nullam cum natura relationem habent, naturalis iuris hiſtoriæ immiſcent, & craſſa perturbatione involvunt.

XI. Animadvertit *Thomaſius*, non unius hominis, aut ætatis eſſe, errores qui altas egerunt radices, evellere. Addit, Reformatores Eccleſiarum evangelicarum, Lutherum, & Calvinum, ſuper rectæ rationis uſu in interpretando Cœnæ myſterio in extrema contraria abiiſſe. Quod mutuum bellum inter ipſos Patriarchas impedimento fuit, ne uſque ad Hugonem Grotium iuris naturæ ſcientia inſtauraretur. Verba *Thomaſii* digna ſunt ut exſcribantur. *Infauſtum diſſidium* (inquit cap. v. §. 2.) *inter duos Reformatores Eccleſiarum evangelicarum, ſeu proteſtantium ſuper eodem articulo de ſacra Cœna, & ſuper eadem quæſtione primaria de uſu luminis naturalis in interpretatione ſacrarum litterarum ortum, & poſtea hucuſque magis magiſque auctum, ſi non unica, certe ex præcipuis cauſa una fuit cur iſta diſquiſitio maxime neceſſaria impedita fuerit, & cur potius in utraque Eccleſia duæ illæ claſſes Scholaſticorum, orthodoxorum, & myſticorum, quarum utraque, ut hactenus monſtravimus, illi diſquiſitioni obfuit, iterum caput erexerint.*

XII. Parerga, quæ hiſtoriæ iuris naturæ Cenſor noſter inſerit, me cogunt ut eadem meditanda lectoribus proponam. Et quando parerga utilia lectoribus ſunt, haud debent importuna reputari. Sponte itaque, libereque fatetur ſuper articulo capitali Reformatorum diſſidium, quod hucuſque non extinctum, *ſed magis magiſque auctum eſt*. Ergo neceſſario conſequitur, alterutram partem hæreticam eſſe. Articulus de quo partes diſſident, fidei eſt, & quidem fundamentalis. Ut utraque opinio falſa ſit, fieri poteſt; at plus una eſſe vera nequit. Quid ad hæc Lutherani? Quid Calviniani? Alterutri hæretici ſint neceſſe eſt. Duorum ſæculorum intervallo diſſidium inter evangelicas Eccleſias extingui non potuit uſu rectæ rationis in ſacrarum litterarum interpretatione. Ergo uſus privatus rectæ rationis in dirimendis litibus quæ paſſim ſuſcitantur in interpretandis divinæ Scripturæ ſenſibus, ſufficiens iudex eſſe nequit. Siquidem Lutherani, Zvvingliani, Calviniſtæ hactenus aut bene, aut male uſi ſunt recta ratione. Si bene, & diſſidium non eſt extinctum, ſed magis auctum; uſus privatus rectæ rationis iudex ineptus eſt ad lites finiendas: ſi male, ergo duorum ſæculorum Lutherani, Calviniſtæ, ceterique ſectarii damnati ſunt. Porro, ſi duobus ſæculis recta abuſi ſunt ratione, imposterum ne futurus erit uſus bonus? Quis inficias iverit veritatem, quam ſub initium indicavi, nullam videlicet in univerſo orbe præ Lutherana, Calviniana, Zvvingliana reperiri ſectam adeo cæcam, ſtupidam, dementemque? Sed hæc obiter, ut Thomaſii veſtigiis inſiſterem, eiuſque confuſam, perturbatamque ſcribendi formam patefacerem.

XIII. Theologos tribuit Thomaſius in claſſes duas, etiam inter Proteſtantes poſt natam Reformationem. Alteros Scholaſticos, alteros Myſticos vocat. Notiones Theologiæ ſcholaſticæ, & myſticæ non tradit. Sed, quantum ex implexa locutione colligi licet, ſcholaſticam rixoſam, pugnatricem; myſticam pacificam, & tranquillam appellat. Narrat, Theologos myſticos vitæ emendationem, atque ſanctitatis chriſtianæ cultum urgere inter ipſos Proteſtantes. E contrario Theologos ſcholaſticos in Accademiis *vitam impiam & aſoticam* (inquit §. 6.) promovere. Conſiderabant Theologi myſtici, *quod talis vita impia & aſotica in omnibus ſtatibus orbis evangelici propagaretur, ſi eiuſmodi ſtudioſi poſtea adhiberentur ad functiones eccleſiaſticas, aut ſcholaſticas. Ergo credebant melius eſſe, ſi loco Theologiæ polemicæ doceretur Theologia pacifica .... Sed metus tamen auctoritatis, & potentiæ doctrinæ ſcholaſticæ deterrebat viros hos optimos*. Contra hos viros optimos ira excandeſcit §. 8. quod eorum opera confunderent illorum ſermonem. Praxis quippe minime optimis conſiliis reſpondebat. Quare pene lacrymatur, quod *Albertus Valentini Andreæ* excellens ipſo iudice Theologus, in laqueos myſticæ Theologiæ inciderit. Ex quibus hæc colligit §. 9. *Itaque initio ſæculi decimi ſeptimi doctrina de virtutibus & vitiis, ſive de differentiis iuſti & iniuſti, boni & mali, de iure naturæ &c. tam apud Pontificios, quam apud Evangelicos miſerrimo, & pene incurabili morbo laborabat. Scholaſtici pontificii in libris, qui titulis de iuſtitia & iure, vel finibus inſigniebantur, talia dogmata inſinuabant animis diſcentium quæ ſolum inſerviebant incremento Papatus, & Clericatus, & ſupprimebant auctoritatem Principum, & ordinum politicorum, & laicorum. Præterea diverſiſſimas res inter ſe miſcebant, iura naturæ, gentium, Moſaica, Iudaica, Græca, Romana, imperialia, pontificia, colligendo videlicet ex iſtis quidquid inde peti poterat ad ſcopum modo memoratum*.

XIV. Hæc omnia mirum in modum confirmant, *Thomaſianam hiſtoriam* iuris naturæ eſſe ingentem mendaciorum, & calumniarum, errorum, & antilogiarum congeriem. Et, ut a primis hic exſcriptis initium capiam, inſtauratio illa mirifica virtutum, diſciplinæ, & iuris naturæ, quam novus ille legiſlator Lutherus, & Philippus Melanchthon induxerant ſæculo ſexto decimo, penitus ne extincta erat etiam apud evangelicos Proteſtantes initio ſæculi decimi ſeptimi? Extincta ſane, quia, Luthero & Melanchthone parentibus, numquam vixit. Tractatus de iuſtitia, & iure, quos ediderunt Theologi catholici, eo ſpectant, ut incrementa Papatus promoveant? Papatus ſuam a Chriſto, velint, nolint Lutherani, inſtitutionem habet, ſuamque auctoritatem. Quam veritatem in tractatu de fide Theologi Romani communiter defendunt. In tractatibus de iuſtitia & iure, occaſione data, controverſias quæ dominium in res temporales ſpectant, quandoque verſant. Verum habet, Theologos iſtos ſuas confirmare ſententias auctoritate ſacrarum Scriptura-

rum tum veteris, tum novi teſtamenti, Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, Legum & civilium, & eccleſiaſticarum. Et, quod hanc viam inſiſtant, propterea ne Moſaica, Iudaica, Græca, Romana conſarcinant? Qui talia blaterat, nonne inſanum ſe prodit? Et profecto idcirco recenſitos errores & fabulas reſcripſi, ut propriis verbis Thomaſium depingerem.

XV. Pergit Hiſtoricus noſter deſcribere aberrationes Scholaſticorum, & Myſticorum. Invehitur §. 12. in proteſtantes Doctores, quod Theologos pontificios *ſine diſcretione* totos exſcribebant. Carpit inclytam IESU ſocietatem his verbis. *Ieſuitæ, ut ſemper fuerunt aſtuti, ita etiam hic favebant & Scholaſticorum, & Myſticorum claſſi* : §. 11. Quid hic mali, quod utramque Theologiam, cum ſcholaſticam, tum myſticam propugnaverint? Quin in eorum gloriam hoc redundat, eoſque doctiſſimis Theologis abundaſſe evincit. Iniuria ergo illos Thomaſius vellicat. Plura alia, quæ Hiſtoricus iſte congerit, miſſa facio.

XVI. Ioannes Barbeyracus in *laud. præf.* §. 10. ſuæ adverſus SS. Eccleſiæ Patres ſatyræ finem imponit, ominans ſæculum tandem venturum fore in quo & Patres, & eorum ſtudioſi admiratores immodicam, qua fruuntur, exiſtimationem amiſſuri ſint. Subdit vero §. 11. Legislatores *Lutherum*, & *Calvinum* non modo religionem, ſed moralis doctrinæ, iuriſque naturæ ſcientiam redintegraſſe. Dolet tamen, Calvinum, & Bezam, pluresque Lutheranorum crudele dogma de hæreticorum punitione defendiſſe, atque *Tolerantiſmum* in religionis negotio perſecutos fuiſſe. Heinc collige, qualis fuerit *Barbeyraci* religio. Poſt ad Philoſophorum deſcribendas ſectas retrocedit, & tandem concludit, *Scholaſticorum Theologiam moralem aggeſtum eſſe plurium partium aſſutarum, corpus confuſum abſque principiis ſolidis, plenum auctoritatibus Ariſtotelis, iuris civilis, canonum, Scripturarum, & Patrum : bona eſſe mixta malis; ſed mala prævalere bonis : poſtremæ ætatis Caſuiſtas errores monſtroſos, & deteſtandos invexiſſe*. Hæc ex multis pauca perſtrinxi, ut lectores mei, & præcipue Itali quidam, tandem aliquando reſipiſcant, intelligantque, quinam ſint viri iſti quos iuris naturæ doctos interpretes exiſtimant. Aut iſtorum hominum impietatem, cæcitatem, & imperitiam deprehendunt; aut ſecus. Si illud; improbi & ipſi, quod impios Doctores ſibi in magiſtros aſciſcant. Si hoc; cæci & ipſi, quod tam ſpiſſas tenebras non videant. Nec eſt quod opponant iſtorum doctrinam, & eruditionem dumtaxat magni facere. Quoniam infra patefaciam, ſi quam iſti doctrinam ſanam promunt, totam a noſtris ſurripuiſſe, & erroribus atque mendaciis fœdatam iterum refinxiſſe.

CAPUT V.

Grotii, Seldeni, Hobbeſii, Cumberlandi, Pufendorfii, Thomaſii, Budæi, Heinecii in ius naturæ & gentium conatus, & ſtudia.

I. HActenus vidimus ex Lutheranis, Calvinianiſque Scriptoribus præterita caliginoſa ſæcula, obſoletas leges, obſcurata iura, cæcutientes Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, univerſæque Græciæ Sapientes illuſos, & chriſtianæ religionis eruditiores, acutiores, ſanctioreſque Doctores omnes deſipuiſſe ad magnum aquilonarem Moyſem *Lutherum* uſque, qui e tenebrarum captivitate Germaniæ partem in lucem veritatis, & conſcientiæ libertatem aſſeruit. Sed tantum facinus unius non erat brachii, vel duorum. Vix inceptum opus iacuit. Sed, quando deſperata res videbatur, divina factum providentia eſt, ut Phœnix Belgicus, HUGO GROTIUS, appareret in mundum, & naturæ gentiumque iura, fere penitus antiquata, ad priſtinum revocaret ſplendorem. Ne ſatyram me ſcribere quiſquam ſuſpicetur, referam ego hoc in capite dumtaxat opera quæ citati Proteſtantes ad ius naturæ & gentium illuſtrandum edidere, & cenſuras, atque elogia, quæ illi ipſi mutuo in ſuos hoc de argumento libros, & Auctores tulerunt, paucis perſtringam. Itaque Chriſtianus *Thomaſius* hæc de laudato Hugone Grotio ſcribit *cit. cap.* v. *§.* 14. *pag.* 65. „ Igitur cum ſumma ignorantia, & confuſio, ac ſuppreſſio luminis naturalis per aliquot ſæculorum decades inter gentes „ ethnicas, & chriſtianas, & noviſſime inter proteſtantes, æque ac catholicas, „ tantas radices egiſſet; quis, quæſo, prævidere, vel ominari potuiſſet, iſtam „ confuſionem emendari, ac in ordinem redigi umquam poſſe? Tantum abeſt ut „ ſperare potuiſſet eam emendationem proxime expectandam eſſe. Sed divinæ „ providentiæ nihil eſt impoſſibile. Omnia agit ſuo, ideſt debito, tempore. Et, „ ubi error ſummum attigit faſtigium, adventus veritatis appropinquat. Confuſio „ veri, & falſi per Doctores in cathedras eccleſiaſticas, & accademicas introducta erat, tres Facultates accademicæ, theologica, iuridica, philoſophica, nugis „ ſcholaſticis erant addictæ. Suſcitabat igitur divina ſapientia virum, qui neque „ Doctor eccleſiaſticus, neque accademicus eſſet, qui neque Theologiam, neque „ Iuriſprudentiam, neque Philoſophiam tamquam Profeſſor publicus doceret; ſimul tamen & egregius Theologus, & excellens Ictus, & Philoſophus eximius „ eſſet. Propagatum erat malum per Orthodoxiam ſcholaſticam, & per Theologiam myſticam in univerſo orbe eruditorum. Opus igitur erat ut is qui illum „ erudire deberet, nec Scholaſticus eſſet, nec Myſticus, interim tamen Scholaſtico-

„ rum doctrinam intelligeret . . . atque eius ſufficientiam probe cognoſceret . . . „ *Talis erat vir incomparabilis*, *&* *numquam ſatis laudandus*, *HUGO GROTIUS*."

II. Eadem phraſi ſcribit Budæus in ſua iuris naturæ hiſtoria §. 22. *Fata tandem dedere* HUGONEM GROTIUM, *illum iuris naturæ reſtauratorem feliciſſimum*, *qui reſtitutæ ſuo nitori huius Philoſophiæ moralis partis gloriam*, *apud litteratum*, *quacumque patet*, *orbem iam pridem retulit* : . . . *Hic ſignum aliquod ad bene de iure naturali ſperandum ſuſtulit*, *viamque primam ingreſſus eſt*, *quam clariſſimi deinceps*, *ſolertiſſimique viri ſuis ſignarunt veſtigiis*.

III. Hæc, licet plus iuſto exaggerata, encomia nequaquam invideo Hugoni Grotio; ſed inter magnos viros & ego illum ſuſpicio. Præ aliis quæ edidit operibus eminet volumen inſcriptum de *iure belli*, *&* *pacis*, omnium eruditorum plauſu exceptum. Et revera, ſi quis inficias iret, Grotium nonnullas de bello controverſias optimo in lumine collocaſſe, is lucere in meridie ſolem ſereno cælo negaret. Sed, quod ego magnopere in hoc Auctore admiror, eſt iudicium, prudentia, gravitas, moderatio, ſinceritas, qua fontes, unde aquam in ſuos derivavit hortos, patefacit. Condemnat ille, ut infra videbimus, in anteceſſum vel ipſos poſteriores ſuos Reformatos, & Proteſtantes, Scholaſticis infenſos. Ut tamen pleniorem Grotii notitiam habeas, hæc pauca adiiciam, quæ de eo ſcribit Iacobus Bruckerus Lutheranus in ſua Hiſt. crit. Philoſoph. Tom.IV. part. II. cap. IV. §.10. pag. 747. *Sunt tamen qui eum* [Grotium] *reprehendunt*, *quod . . . ſenio propior diffidere amicis cœperit*, *incertus quoque in eligenda inter Chriſtianos diſſentientes ſententia hæſerit*. Si aqua illi hæſit in ſeligenda inter diſſidentes Chriſtianos religione, nullius religionis hominem non iniuria dixeris. Sed criticen audias velim quam de laudato ipſius opere formavit, quis? Ipſe Chriſtianus Thomaſius, eius encomiaſtes mirificus, qui poſt recenſita elogia ſtatim *cap.* VI. *§.* 2. *pag.* 69. hæc ſcribit. „ Ut enim taceam eius obſcuritatem, quæ ſubinde eius interpretibus occaſionem dedit multa cum cura in verborum Grotii ſenſum genuinum inquirendi; ipſe Grotius in fundamentalem propoſitionem iuris naturæ non inquiſivit cum debita diligentia; ſed nimis ſuperficiarie hoc thema tractavit, forte ne Scholaſticos irritaret. Sæpe etiam nimis ſollicitus eſt in conquirendis *Græcorum*, *&* *Latinorum Scriptorum* teſtimoniis, dum aliquid iuris naturæ & gentium eſſe probare voluit. Nec legis homonymiam ſuſtulit, ſine qua tamen tractatione, in doctrina iuris naturæ tuto progredi non licet. Adde, quod *lumen revelatum*, *&* *naturale* ubique fere miſceat, & in explicatione textuum Scripturæ Rabbinorum, & Socinianorum traditiones, & interpretationes nimis æſtimet : unde occaſionem ſumpſerunt Theologi variis ſtricturis Grotii doctrinam notandi. Sed & ius gentium non debita diligentia expoſuit, ſupponendo ſaltem ius gentium eſſe ſpeciem iuris voluntarii."

IV. Claudius Salmaſius, qui ex Grammatico Iſtus audire voluit, hanc in Grotium tulit cenſuram, quam refert Budæus in *hiſt. iur. nat.* ex Thoma Crenio *Tom. I. Animadverſ. Philolog.* „ In philoſophicis, ſi diſputandi ſolertia ſpectetur, „ vix mediocribus par eſt : nec umquam vidi qui minori cum vi ratiocinetur : id „ quod teſtantur ſcripta eius, quibus *Rivetus* & *Mareſius* reſcripſerunt. In ſtudio „ litterarum multos habet pares, & plurimos ſuperiores. In iure quantum excel- „ luerit, oſtendit ſparſio florum ad ius Iuſtinianæum. Librum eius de iure belli, „ ac pacis refutandum ſuſcepit quidam Profeſſor almæ Iuliæ, qui amicis aliquot, „ quos vidi, adfirmavit, ſe oſtenſurum eſſe, nullam paginam vacare inſigni- „ bus erratis. “ Profeſſorem deſignatum a Salmaſio Seldenum eſſe, advertit Budæus.

V. Religio ergo Hugonis Grotii Calviniſtæ in diſcrimen adducitur ab ipſis evangelicis Reformatis? Fundamenta iuris naturæ perfunctorie nimis delibavit; obſcura eius ſcriptio, atque implexa. Hæc duo non levis momenti ſunt in principe iuris naturæ inſtauratore. Porro, ſi hæc de *Grotio* narrant illi ipſi qui a divina providentia mundo eumdem donatum ſcribunt ad extinctum naturæ lumen accendendum; quid de iis qui longe inferiores Grotio in hac cauſa fuerunt, dicendum erit? Verum, an falſum ſit quod de religione Grotii fertur, mea non intereſt diſquirere. Opus illius de *I. B. & P.* non paucis ſcatere erroribus ſcio. At non propterea digna laude fraudandus Auctor celebris eſt. Quod eidem vitio Thomaſius cum Barbeyraco, Puſendorfio, ceteriſque vertit, nempe & quod ſæpe Græcorum, & Latinorum teſtimonia conquiſiverit, & quod lumen ſupernum cum naturali permiſcuerit, iſtorum, non illius, inſcitiam demonſtrat. Græcos ergo, & Romanos Scriptores conſulere Grotius non debuit? Et quoſnam ergo? *Taiphalos*, *Sarmatas*, *Cimbros*, *Teutonicos*? Lumen naturale cum ſupernaturali ſæpe coniunxit? Ita ſane. Et quoniam hæc duo Puſendorfius, Thomaſius, Budæus, VVolfius, ceterique Lutherani, & Calviniani ſeparaverunt, in turpiſſimos errores, ac in Pelagianiſmum prolapſi ſunt, ut mox conſtabit.

VI. Nec ſolum Hugoni Grotio, verum etiam *Guillelmo Leibnitio* Lutherano errori tribuerunt, quod in iis quæ intra naturæ limites concluduntur, interpretandis, viæ non rationis tantum, ſed etiam auctoritatis inſtiterit. Et ſic hi duo Phœnices, alter Belgicus, alter Germanus Lipſienſis, aliorum inſipientium Proteſtantium ferula vapulant, propterea quod veram docendi methodum adhibuere cui methodo ſi adhæſiſſent illorum cenſores, tam craſſe non aberraſſent. Et quoniam de Leibnitio (tametſi ille de naturæ iure, quod ego ſciam, non ſcripſerit) mentio incidit, mea intereſt admonere, celebrem hunc virum, & Hugonem Grotium me ſemper exceptos velle, dum ceteris Lutheranis, Calvinianiſque in hoc opere barbaram, imperitam, & impudentiſſimam ſcribendi rationem improperabo.

bo. Siquidem *Leibnitius*, non ſecus ac *Grotius*, acutum ingenium, vaſtam eruditionem, unaque moderationem, & iudicium prodit. Nihilominus Iacobus Bruckerus *Hiſt. Phil. Tom. V. cap.* VIII. *§.* 25. *pag.* 369. ex Ioachimo Langio hæc de Leibnitio ſcribit. *Diſputationis fervori adſcribendum eſſe putamus, quod vir quidam doctus cenſuit, iudicium defeciſſe.* Levia hæc. Subdit *§.* 30. pag. 384. *Id nos in præſentia monemus, fuiſſe haud paucos qui Spinoziſmi, ſaltem Deiſmi incruſtati culpam Leibnizio, & qui eius hypotheſes ſuas fecit, VVolfio intentarent. Maxime autem Ruardus Andala Leibnizium Spinoziſmi accuſare non cunctatus eſt . . . Non tacendum vero ipſos Ieſuitas Trivoltianos magnos cetera Leibnizii admiratores, cum recenſione Theodiiceæ facta, ſententiam dicerent, laudata ingenti lectionis & iudicii copia, & tractationis ordine, accuratione, & concinnitate ſyſtematica; fateri tamen multos errores Philoſophum ſummum admiſiſſe, maxime vero optimi mundi aſſertionem (optimiſſimum vocant) non niſi larvatum Materialiſmum, & ſpiritualem Spinoziſmum involvere, eiuſque ſuſpicionem iam antea per harmoniam præſtabilitam brutorum immortalem, & immateriam animam eum meruiſſe.* Item pag. 387. *His tandem illi adiiciendi ſunt qui narrant de fato ſupremo admonitum, compoſito, & frigido oris habitu hoc dediſſe reſponſi: ceteris quoque hominibus eſſe moriendum: hiſque dictis, mox efflaviſſe animam.*

VII. Nec mirandum hæc duo ſeptentrionis ſidera in ſuſpicionem impietatis adducta eſſe. Ecqui enimvero fieri poteſt ut homines revera docti, acuti, eruditi, ſicuti *Grotius*, & *Leibnizius* fuere, ſectam aut Lutheranam, aut Calvinianam profiteantur? Mihi firma ſententia eſt, virum doctum, aut impium, aut catholicum eſſe; aut nullam, aut catholicam profiteri religionem. Et reapſe Hugonem Grotium inter diſſentientes Chriſtianorum ſententias in Catholico-Romanam propendiſſe ferunt. Heinc eſt quod Iacobus Budæus in ſua *iur. nat. Hiſt. §.* 24. relata hæreſeos cenſura in opus de *I. B. & P.* anno 1637. lata ab Inquiſitione Romana, hæc addit: *Quam ſeveritatem forte non expectaſſet Grotius, qui multa Romanæ Eccleſiæ placita etiam in hoc ipſo opere non ſine aliorum indignatione comprobavit.* Ut ut ſit de Grotii, & Leibnizii religione, eorumdem eruditionem, ingenii vim, modeſtiam, moderationemque inter Lutheranos, Calvinianoſque in religionis negotio abſque exemplo, commendare quiſque iure debet. Et, quod noſtra ſummopere intereſt, ambo hi duo viri ſummi Lutheranorum, & Calviniſtarum, Pufendorfii, Budæi, Barbeyraci, Thomaſii, aliorumque iuris naturæ Scriptorum inſcitiam, illuſiones, vanamque tradendæ iuris naturæ ſcientiæ rationem damnant, ut clarius videbimus infra.

VIII. Ioannes Seldenus Anglus Calviniſta volumen de iure naturæ & gentium iuxta Hebræorum diſciplinam edidit. Opus iſtud aggreſſum Seldenum eſſe, æmulandæ Grotii gloriæ cupiditate actum, ſcribunt Budæus *Hiſt. iur. nat. §.* 25. Brucke-

cke-

Digitized by Google

ckerus *Tom. V. cap.* IV. *§.* 12. Hoc in opere fuſo calamo exponit Noachidarum præcepta ſeptem, quæ ius naturæ ſpectant. Noachidas Hebræi vocant gentes omnes, ab Hebræa natione diſtinctas. Præcepta Moſaica in lege ſcripta ſolum populum Iudæum, hæc iuris naturæ mandata omnes omnino gentes adſtringebant. Præcepta iſta in claſſes duas tribuebant. Prioris generis capita ſeptenario numero concludebantur, ſuntque ſequentia. I. de cultu extraneo. II. de maledictione ſanctiſſimi Nominis. III. de effuſione ſanguinis, ſeu homicidio. IV. de illicito concubitu. V. de furto. VI. de iudiciis. VII. de membro animalis viventis non comedendo. Prima ſex ipſo rerum initio a Deo hominibus imperata dicunt, vocantque *primordialem legem;* ſeptimum tempore Noachi latum eſſe contendunt, quo Deus tum Noacho, tum ceteris hominibus prohibuit ne carnem cum ſanguine comederent. De his omnibus fuſe Seldenus, tanta eruditionis copia, ut, inquit Bruckerus *loc. cit.* recondat magis iuris naturæ decreta quam in apricum producat. Adverſus Seldeni doctrinam plura ſcribit Samuel Puſendorſius in Eride Scandiea *pag.* 200. *& ſeq.* Verum ea, cum præter inſtitutum noſtrum ſint, prætereunda cenſemus.

IX. Impietas plus quam ſcientia celebrem reddit Thomam Hobbeſium ſimiliter Anglum, alterum iuris naturæ Scriptorem. De eo hæc ſcribit Chriſtianus Thomaſius Hiſt. iur. nat. cap. VI. *§.* 9. *Edidit Libellum de Cive, in quo fontem omnis obligationis, & legis naturalis ex præcepto de pactis ſervandis deducere voluit.* Non continuo ac libellus editus in lucem fuit, expertus Hobbeſius adverſarios eſt: quia ſcilicet, addit ibidem Thomaſius, *nondum tetigerat Hobbeſius in illo libello regnum tenebrarum, ideſt Theologiam ſcholaſticam, & artes politicas Papatus, & eius reliquias inter Proteſtantes. At, poſtquam an. 1651. edito Leviathane, non ſolum illas doctrinas in tractatu de Cive propoſitas fuſius explicuiſſet; ſed etiam in huius ſectione ultima, quam de regno tenebrarum inſcripſit, inquirere cœpiſſet in arcana politica Papatus &c. . . . ſtatim ira Theologorum, academicorum potiſſimum, adverſus illum exarſit.* Hæc non minus impium, quam Hobbeſium, produnt Thomaſium. Quid blatero iſte paſſim arcana Papatus crepat? Hæc ne ad iuris naturæ hiſtoriam pertinent? Quæ Thomas Hobbeſius in *Leviathane* non contra libros Scholaſticorum, ſed adverſus libros divinos *cap.* XXXIII. ſcribit, in medium proferre intereſt, ut eiuſdem impietas evidentius pateat. Docet vero *libros illos canonicos, ideſt leges eſſe in unaquaque civitate, quæ ſummi imperantis auctoritate latæ ſint. Imperantium omnium Imperatorem Deum quidem eſſe, & illi a civibus præſtandam eſſe obedientiam, quidquid in contrarium iubeat Rex terrenus. Sed de obedientia Deo præſtanda controverſiam nullam eſſe; ſed quando, & quid locutus ſit Deus: idque ab iis quibus nulla data eſt revelatio ſupernaturalis, ſciri non poſſe, niſi per rationem illam naturalem, qua pacis, & iuſtitiæ obtinendæ

dæ cauſa auctoritati ſummarum poteſtatum ſe ſubmiſerunt. Hæc ſub initium, & quæ ſequuntur, in fine capitis habet.

Quatenus non differunt Scripturæ a legibus naturæ, dubium non eſt quin ſint leges Dei, auctoritatemque habeant, omnibus qui ratione naturali præditi ſunt manifeſtam. Sed auctoritas hæc alia non eſt quam quæ doctrinæ omni morali, ſi vera ſit, attribuenda eſt. Si leges a Deo ipſo factæ ſint, nempe leges divinæ poſitivæ; nulla accedente auctoritate humana, illis ſolis leges eſſe quibus Deus ipſas ita promulgavit, ut nulla illis per ignorantiam relinquatur excuſatio. Illi igitur quibus Deus non revelavit ſupernaturaliter, quod Scripturæ ab illo ſint, vel eos qui illas prædicant, ab eo miſſos eſſe, nulla, ut eas recipiant, auctoritate obligantur, præterquam eius qui ſummam habet in civitate poteſtatem. Is enim Legislator ſolus eſt. Rurſus, ſi auctoritas civitatis non ſit, quæ Scripturas facit eſſe leges, auctoritate aliqua alia, vel privata, vel publica id fiet; is ſolus ad obedientiam tenetur cui Deus illas ſupernaturaliter pro legibus dictavit. Nam, ſi unuſquiſque pro legibus divinis habere obligaretur quicquid aliquis prætextu inſpirationis, vel revelationis oſtenderet (in tanto hominum numero, per arrogantiam, vel ignorantiam, ſomnia; phantaſmata, inſaniamque pro ſpiritus divini teſtimoniis accipientium, vel per ambitionem falſo iactantium) impoſſibile eſſet ut leges ullæ pro divinis agnoſcerentur; Si Scripturæ leges fieri non poſſunt ſine auctoritate publica, auctoritas illa civitatis erit, vel Eccleſiæ. At Eccleſia, ſi una perſona ſit, eadem res eſt cum civitate: quæ quidem, quia conſtat ex hominibus, civitas; quia conſtat ex hominibus chriſtianis, Eccleſia appellatur. Totus autem numerus chriſtianorum hominum, niſi una civitate comprehendantur, non eſt perſona una, neque ulla exiſtit perſona univerſalis, cuius auctoritate regendi ſunt. Scripturæ ergo non fiunt leges per auctoritatem Eccleſiæ univerſalis. Quod ſi civitas una eſſet per totum orbem Eccleſia univerſalis, ſequeretur Reges, cœtuſque ſummos pro privatis perſonis habendos eſſe; & ab una univerſali poteſtate per totum orbem chriſtianum iudicandos, deponendos, & puniendos eſſe. Quæſtio igitur de auctoritate Scripturarum reducitur ad hanc: „ Utrum Reges chriſtiani, iique cœtus qui in civitatibus chriſtianis ſummam habent poteſtatem, liberi ſint in ſuis ipſorum dominiis: an UNI VICARIO „ CHRISTI ſubditi ſint, ab eo iudicandi, condemnandi, deponendi, interficiendique, prout Vicario illi expedire bono communi ſpirituali viſum fuerit. “ *De qua quæſtione determinandum non eſt antequam propius inſpexerimus in iura regni Dei, ut ſciamus inde, cuius ſit Scripturas ſacras interpretandi auctoritas. Quicumque enim poteſtatem habet legitimam faciendi ut Scriptura aliqua pro lege habeatur, poteſtatem etiam habet eiuſdem Scripturæ interpretationem approbandi, & improbandi.*

X. Iacobus Bruckerus *Tom. V. cap.* VI. *§. 16. pag.* 171. *& ſeq.* hunc ipſum locum

cum ex Hobbeſio tranſcribit, ut eiuſdem impietatem evincat, ſannionemque eſſe Scripturarum divinarum. Sed in tranſcriptione ſinceritas deſideranda eſt. Initium cum capituli extrema parte infarcit Bruckerus, ſigno nullo adiecto. Ea negligit quæ Lutheranorum cauſſam evertunt. Adeſte animis, Thomaſii, Bruckeri, Budæi, Barbeyraci, & quotquot eſtis Lutherani, Calvinianique omnes. Thomas Hobbeſius, vobis fatentibus, impius eſt. Cur vero impius, niſi quia lumine rationis metiri omnia, vel ipſas Scripturas divinitus revelatas voluit? Huc detrudit tandem illa *eclectica* Philoſophia, quam vos miris laudibus extollitis. Huc nova a vobis ratiocinandi in religionis controverſiis invecta forma neceſſario impellit. Vos omnes *Thomam Hobbeſium* Philoſophum ſummum, virumque acerrimi iudicii deprædicatis. At Philoſophus iſte maximus, acutiſſimus, ſagaciſſimus loco deſcripto teſtatur, Lutheranos, Calvinianoſque turbas eſſe phanaticorum, greges imperitos, ſomniatores, circulatoreſque, quorum quiſque legislator ſupremus, quiſque iudex, & arbiter legum, & Scripturarum ſedet: turbas eſſe adeo ſtupidas, confuſaſque, ut quiſque pro ingenio, ſpiritus privati larva obtecto, atque pro tribunali ſupremo divinas Scripturas reiiciat, aut ſuſcipiat; quiſque interpretetur ſenſum verum, aut falſum. Gens Lutherana, & Calviniana adeo a communi ſenſu, & recta ratione defectionem fecit, ut, ſicuti alias diximus, repetendumque ſæpius eſt, nulla in orbe terrarum natio, quantumvis barbara, & efferata, reperiatur adeo cæca, & pertinax in religionis negotio, ac ſunt Lutherani, Calvinianique. Dixi in religionis negotio, nam in aliis facultatibus doctrina, eruditione, ingenio, comitate, & honeſtate plurimos inter ipſos reſplendere ſi negarem, ineptirem ipſe. Quin ſummopere dolore afficior, dum acerbiori ſtilo excipere in religionis controverſiis eos cogor. Sed hæc acris loquendi ratio cauſæ gravitati, & negotii magnitudini, non iræ, qua nulla afficior, tribuenda eſt. Siquidem in hac lite Lutheranorum, & Calviniſtarum iniuſtitia adeo manifeſta, & ſplendida eſt, ut vel ipſorum cæcorum oculos percellat. Volunt ipſas divinas Scripturas ſeipſas, omni viſibili iudice ſublato, divinitus traditas patefacere, verumque ſenſum ſingulis prodere. Fatentur factum, quod publicum eſt, innumerabiles nempe Chriſtianorum ſectas a tempore promulgatæ legis evangelicæ ad nos uſque extitiſſe, quarum ſingulæ ſemper Scripturas a ſe ſtare iactabant. At, cum ſemper fuerint ſectæ oppoſitæ, mutuo ſe ſe collidentes, alterutram ſiniſtro in ſenſu divinas Scripturas interpretatam eſſe neceſſum eſt. Ergo neceſſario admittendus iudex ſupremus, qui verum ſenſum definiat, qui litibus, religionis cauſſa exortis, finem imponat, qui ordinem, tranquillitatem, unitatem, pacem, ſocietatem in Republica ſervet chriſtiana. Et, cum Lutherani, Calvinianique veritatem adeo ſplendidam, luculentamque pernegent a duobus ſæculis; idcirco cæciores, pervicacioreſque quacumque iudaica, idololatrica, impiaque ſecta a me re-

reputantur, ipſo impio Thoma Hobbeſio vade & ſponſore, qui clamat loco a Iacobo *Bruckero*, & a me ſincere exſcripto. *Quæſtio igitur de auctoritate Scripturarum reducitur ad hanc*: Quiſnam ſit iſte Scripturarum ſupremus iudex. *An unus Chriſti Vicarius; an Reges chriſtiani, iique cœtus qui ſummam habent poteſtatem*. Audiſtis, o Lutherani, & Calviniani, Atheiſtam e ſinu veſtro prodeuntem, ſimulque clamantem: Iudex ſupremus requiritur, qui & divinitatem, & ſenſum Scripturarum inter diſſidentes Chriſtianos definiat. Quid quod alter quoque Eccleſiæ veſtræ filius *Antonius Collins*, non ſecus ac Hobbeſius, Atheus, vos omnes deridet; ut ſub finem iſtius diſſertationis indicabo? Neceſſitatem itaque iſtius iudicis ſupremi experientia tot ſectarum, tot controverſiarum, ipſeque communis ſenſus, intimaque ratio evincunt. Huc recidit tota difficultas. Quiſnam ſit iudex iſte? Hactenus impius, & Atheiſta *Thomas Hobbeſius* veſter, qui in hoc capitali principio, nempe in neceſſitate admittendi iſtius ſupremi iudicis Scripturarum, cum Catholicis plene convenit: voſque Lutheranos, & Calvinianos, hanc reiicientes iudicis eiuſmodi neceſſitatem, damnat, execratur. Recedit poſtea a Catholicis, quod ille Regem, ſeu ſupremam poteſtatem civilem, & laicam hunc ſupremum iudicem eſſe velit; nos vero Catholici e contrario propugnamus, hunc ſupremum iudicem eſſe viſibilem Chriſti Vicarium, caput Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, Pontificem Romanum. Vos, Lutherani, a duobus ſæculis adverſus hanc ſupremi iudicis auctoritatem nihil, niſi nugas, & vaniſſimas ratiunculas, vix vetularum aliqua dignas, oppoſuiſtis, paſſim garrientes: Ergo divinæ Scripturæ ſubiiciuntur auctoritati humanæ. Ineptias iſtas ſane vaniſſimas millies profligarunt Romanæ Eccleſiæ Doctores. Incredibilis Lutherana cæcitas! Renuunt ſubiicere controverſias religionis iudicio univerſæ Eccleſiæ, tamquam iudici ſupremo falli neſcio; & eas ſubdunt iudicio cuiuſque ruſtici, & idiotæ hominis. Tantum cæcitatis portentum incredibile apparet; & tamen veritas facti eſt manifeſta, ut in diſputatione cum miniſtro *Claudio* demonſtrat doctiſſimus *Boſſuetus*. Rex, qui iudices in ſingulis provinciis conſtituit, ut leges a ſe latas interpretentur, numquid aut ſupra leges, aut ſupra ſeipſum illos evehit? Numquid iudices iſti ſubiecti & Regi, & legibus non ſunt? Chriſti Vicarius cum Eccleſia ipſa & divinis Scripturis ſubiectus eſt, & Chriſto, cuius vices gerit. Eius auctoritas non efficit ut Scriptura quæ non ſit reipſa divina, evadat divina; aut quæ divina eſt, amplius non ſit. Sed eius auctoritas eo ſpectat, ut Scripturam reipſa divinam declaret cœtui chriſtiano eſſe talem; ut lites, ſuper eiuſdem ſenſu identidem inſurgentes inter Catholicos, componat, definiatque verum earumdem Scripturarum ſenſum. In quibus muneribus peragendis, ne erret, Deus peculiari lumine eidem aſſiſtit. En quam facile nugæ veſtræ, adverſus Catholicos excogitatæ, ſeipſis dehiſcant. Contra *Thomam Hobbeſium* avibus fortaſſe felicioribus argutabitis. Admiſſa ſupre-

ma

ma poteſtate definiendi Scripturarum ſenſum, ubinam gentium erit (clamare merito contra ipſum valetis) noſtra illa conſcientiæ libertas? Hac poſitione facta, iterum ſuper cervices noſtras cadit ſervitutis iugum. Dominatus tyrannicus in fidem recrudeſcit. Quod dominatus iſte papalis ſit, aut regalis, perinde eſt: reponet dubio procul celeberrimus Philoſophus Anglus *Hobbeſius*. Heu vos Lutherani, Calvinianique. Quouſque tam inſigniter inſanitis contra rectam rationem, communiaque ſocietatis principia? Vos, Puſendorfii, Thomaſii, Budæi, VVolfii, in familia patrem, in civitate Rectorem, in provincia Præſidem, in regno Regem neceſſario conſtituendum fatemini, ad ordinem ſocietatis conſtituendum, ad tollendas lites, ad defendendam, protegendamque multitudinem ab hoſtibus, a periculis. Et, ut in Republica chriſtiana lites componantur, ut tollantur diſſidia, ut ab erroribus, a lupis rapacibus præſerventur greges, ut unitas illa fidei cuſtodiatur, quæ univerſæ religionis baſis, & fundamentum eſt, caput ſupremum, iudicem ultimum, qui Dei vices in hominum regimine gerat, reſpuitis, contemnitis, deteſtamini? Vah ſtolidum pecus! Talia dubio procul reponet *Thomas Hobbeſius* veſter, quem vos, tamquam Phœnicem Britannum, deprædicatis. Hæc ego diverticuli gratia recitavi, ut aliquid reponerem Lutheranis, Calvinianiſque, qui in ipſis rebus philoſophicis, in ipſa iuris naturæ hiſtoria, ubique recta, & oblique arcana Papatus, idololatriam papiſticam, tyrannidem, ſicam Inquiſitionis Romanæ crepant. Nemo ergo mihi vitio vertat, ſi, ut errabundos, & confuſe certantes ſequar, e via quandoque digredior.

XI. Inter plures qui Thomæ Hobbeſii errores labefactarunt, præſtat *Richardus Cumberlandus*, qui cum adverſario manus conſeruit, & opus edidit ita inſcriptum, *Tractatus philoſophicus de legibus naturalibus* &c. quod e Latino in idioma Gallicum vertit *Ioannes Barbeyracus*, ut intelligibilem redderet ſcriptionem latinam, implexam ſane, obſcuramque. De hoc Cumberlandi opere alibi ſermo redibit. Omnes in Auctore hoc ingenii vim commendant.

XII. Samuel Puſendorfius Lutheranus poſt Hugonem Grotium ceteris ſectariis præſtat in explicando iure naturæ & gentium. Chriſtianus Thomaſius in ſua *Hiſt. iur. nat. cap.* VI. *§.* 14. *& ſeq.* viciſſitudines, tumultus, bella litteraria, quæ Puſendorfio peperit illius opus *de iur. nat. & gent.* diſtincte recenſet. Narrationis orſa capit ille a calumniis Theologorum Romanæ Eccleſiæ. *Docuerant*, inquit, *Scholaſtici ob intereſſe Cleri pontificii, quod moralia non cadant ſub demonſtrationem, ita ut laici adigerentur determinationem actionum iuſtarum, & iniuſtarum ab ipſo Clero, & Scholaſticis petere.* Ubique inſanit homo iſte. Scholaſtici ergo, dum iuris naturæ & gentium principia, & conſectaria diſpiciunt, ob oculos habent Cleri pontificii emolumentum? Dum hæc nos paradoxa legimus, miramur, unaque ridemus Lutheranicam levitatem, ne quid opportunius illorum calumniandi

ani-

animo pronuntiem. Quis Scholaſticorum negavit umquam morum principiis evidentiam? Quis illorum aſſeruit, illa demonſtrationibus non ſubiici? Quis e contrario negaverit, niſi ſtultus, in genere morum plures occurrere in dies quæſtiunculas quæ regulis boni, & æqui, minime vero demonſtrationibus definiri debeant? Ad Puſendorfium quod attinet, eiuſdem citatum opus Londini Scanorum editum anno 1672. magnificis laudibus extollit: & negari haud poteſt, Puſendorfium eruditione, ingenio, & ratiocinio præditum eſſe. In pluribus tamen, & quidem potiſſimis iuris naturæ principiis, turpiter aberravit; & ab Scholaſticis; quos impudenter contemnit, non modo doctrinam, ſed vel ipſas ſcribendi formulas, neque Tullianas, neque Terentianas, mutuatus eſt. Adverſarios ſuſtinuit acerrimos, & vehementes. Ab humanitate, nedum ab honeſtate abhorrent graviſſima improperia quibus ſe ſe mutuo proſcindunt Lutherani iſti Doctores. Chriſtianus *Vigil* edidit *Chriſtianam Benedictionem adverſus impiam, & immanem maledicentiam Puſendorfii in epiſtola ad Scherzerum adhibitam anno* 1675. Finem iſtius Benedictionis, in qua purum, putumque Scarabæum Puſendorfium vocat, claudit iſto *pio voto, ut Deus det Puſendorfio pœnitentiam, ut reſipiſcat a laqueis diaboli principis calumniantium, quibus hactenus captivus fuit.*

XIII. Nicolaus *Beckmannus* adeo acerbo ſtilo exceptus a *Puſendorfio* eſt, ut Chriſtianus *Thomaſius*, in maledicendo nemini ſecundus, *loc. cit. §. 26.* ſcribat fieri vix poſſe ut homo anima rationali præditus tantopere inſaniret, quemadmodum *Puſendorfius*, quem impotenti ira abreptum excuſat. Adverſus *Puſendorfium* libellum famoſum edidit Nicolaus *Beckmannus*, cui hunc præfixit titulum. *Nicolai Beckmanni ICTI legitima defenſio contra M. Samuelis Puſendorfii execrabiles fictitias calumnias, quibus illum contra omnem veritatem, & iuſtitiam, ut carnatus diabolus, & ſingularis mendaciorum artifex per fictitia ſua entia moralia [diabolica puto) toti honeſto, & erudito orbi malitioſe ac ignominioſe exponere voluit.*

XIV. Nec miramur, *Puſendorfium* calumniis, maledictis, dicteriis impetitum ab æmulis fuiſſe. Enimvero, quemadmodum veritas vitioſos, ſceleſtoſque, ita clarorum virorum eruditio, ſcientia, merita præclara, invidos, ſuperbos, tetricos, moroſoſque homines percellunt, torquent, vexant, agitant, diſcruciantque. Et ipſe experientia didici inter ipſos Catholicos, nedum Luteranos, Calvinianoſque, homines reperiri qui, cum non valeant ratione errores ſuos propugnare, ad calumnias, & maledicta confugiunt. Nulla itaque nos ſubit admiratio, *Puſendorfium* æmulorum aculeis obnoxium fuiſſe; ſed merito eiuſdem Puſendorfii ruſticam, vilem, & præter modum omnem illiberalem defenſionem deſpicimus. Singulis fere paginis adverſarium ſuum his alloquitur verbis. *Aſinius Tenebrio: impuriſſimus nebulo: nequiſſimus ſycophanta: male pereas infame caput. Vah, mi Aſini Tenebrio. Nonniſi in cerebro Aſinii Tenebrionis tam abſurda naſci poterant: mi ſtolide furcifer:*

ſer : animal inſociabile. Et, ut plura omittam, hæc ſcribit Pufendorfius Erid. Scand. pag. 10. *Niger ille calumniator, nigræ ſcholæ primipilus : nigri magiſtri niger diſcipulus : nigræ ſcholæ tirò niger. Calumniatorum omnium anteſignanus, vel potius orci, aut inferni monſtrum : monſtrorum omnium teterrimum*. His floribus tota aſperſa eſt Pufendorfii apologia. Lege totam *Eridem Scandicam*, ubi peiora offendes. Hi ne præclari morum magiſtri? Hi ſunt qui iuris naturæ regulas ad ſocietatem cuſtodiendam, ad imbuendos mores explanare audent? Quod errores acerbioribus cenſuris plectantur, quod falſarum opinionum monſtra deteſtanda repræſententur, quod opiniones moribus perniciofas quiſque pro modulo ſuo inſectetur, deridendas, deteſtandaſque maiori qua valet eloquentiæ vi exhibeat, adhibitis etiam errorum enormitati congruis vocabulis: nihil in ſimili ſcribendi ratione reprehendendum, nihil caritati chriſtianæ oppoſitum; cum erga errores, falſaſque opiniones exerceri caritatis officia nequeant. Verum enimvero perſonas, Auctoreſque ipſos maledictis, improperiis, dicteriiſque inceſſere, ut Pufendorfius egit, hominem dedecet honeſtum, nedum chriſtianum. Aſinius Tenebrio, ſeu *Nicolaus Beckmannus* contra Pufendorfium librum edidit hoc inſcriptum titulo. *De Magiſtri Samuelis Pufendorfii Profeſſoris Philoſophiæ in Carolina Scanorum execrabili iuris doctrina, horrendo atheiſmo, perverſis moribus, & belluina vita breviſſime, ſed veriſſime ſcribit Severini de Monzambano & Tenebrionis Aſinii iuſtus cenſor veridicus, conſtans, qui eo fine id facit, ut omnes Litterati ore, corde, & calamo peſtiferam ficti huius Severini, ſive Tenebrionis Aſinii, hoc eſt Pufendorfii, doctrinam extirpare conentur. In Accademia Catoniana calumniis & riſui Pufendorfio contraria*. Narrat Bruckerus *Tom. V. cap.* IV. *§.* 17. Nicolaum Beckmannum, Pufendorfii æmulum, eiurata tandem Lutherana religione, in *Stiria* Romanam amplexum eſſe. Præter memoratum opus de *I. N. & G.* aliud opuſculum, inſcriptum de *Homine, & Cive*, edidit Pufendorfius, in quo, quæ fuſiore calamo in maiore opere docuerat, ſuccincte & in compendii formam redacta tyronibus exhibet. Plura quoque de iure naturæ & gentium in *Eride Scandica* ediſſerit.

XV. CHRISTIANUS THOMASIUS Lutheranus, Pufendorfii acerrimus defenſor, in dicacitate, ſatyra, maledicendique arte omnibus ſuis præſtat. Inter alia opera quæ publici iuris fecit, ſunt ſequentia, quæ ad ius naturæ attinent. *Planior Hiſtoria iuris naturalis* &c. *Cautelæ circa præcognita iuris prudentiæ* &c. *Fundamenta I. N.* &c. & plura alia, quæ recenſet Bruckerus *Tom. V. cap.* IX. ubi *§.* 19. refert cenſuram quam *viri docti* inuſſerunt *Chriſtiano Thomaſio*, quæ eſt eiuſmodi. „ Reprehendunt (inquit) ingenium, ad ſatyram quaſi natum, & mordaci „ dicacitate in quoſcumque non ſine amaro riſu inſurgens qui paradoxis, & novis aſſertis ſubſcribere renuerunt . . . Addunt valde favere Scepticis, non quod „ omnem evidentiam neget, ſed quod dubia ubique ex dubiis nectat, & coacta

 „ in-

„ induſtria augeat, verbiſque exaggeret. Veritatem porro, aiunt, non ex internis „ primiſque fundamentis eum derivare, adeoque nec ad ſacrarum litterarum fon- „ tes, nec ad accurata rationis principia, nec ad genuina antiquitatis monumen- „ ta recurrere; ſed ratiociniis topicis utentem cæcos in iudicando haud raro ca- „ tulos parere. Favere autem *naturaliſmo*, quem vocant, & religioni revelatæ „ interdum officere; ſcatere libros eius excerptis *Atheorum*, *Scepticorum*, *Natura-* „ *liſtarum*, *Socinianorum*, quos umquam Gallia, vel Belgium tulerit; nec ea „ cum verbo divino comparare: abiici propter omnem rerum & conſuetudi- „ num veterum abuſum, non vero eas emendari: plura diruere eum quam æ- „ dificare, & omnem religionis chriſtianæ vim ad ratiocinia quædam moralia, „ gratiam ad naturam revocare . . . Fuerunt quoque nonnulli qui animum le- „ vem, aliiſque inſultantem, & mendaci fama confiſum alios arrodentem, homi- „ nibus autem ἀπαιδεύτοις, quique ſine religione vivunt, frigidam ſuffundentem „ ei vivo adhuc obiecerunt, & conſcientiam eius peculiaribus ſcriptis excitare ſa- „ tagerunt, quod poſt *Io: Ioachimum VVeinderum* Theologum Roſtochienſem gra- „ vi increpatione fecit Anonymus quidam, qui Atheis, & incredulis occaſionem „ eum dare ridendi miracula moſaica, & chriſtiana, omnemque veritatem in ſa- „ cris paginis explicatam, obiecit."

XVI. Anonymus laudatus, eſt, ipſo Bruckero teſte, *Ioachimus Langius*, qui *Exercitationem conſcientiæ ad Cl. Thomaſium propter iniquitatem nuper proditam in Programmate* &c. edidit. His mihi teſtimoniis haud eſt opus, ut nullius religionis Thomaſium, Lutheraniſmum extrinſecus profitentem, credam. Iſtius mei iudicii rationes ſupra indicavi. Qui plura de *Chriſtiano Thomaſio*, eiuſque patre *Iacobo Thomaſio* ſcire vult, conſulat laudatum *Bruckerum*.

XVII. Franciſcus Budæus Lutheranus *Sinopſim hiſtoriæ iuris naturæ & gentium* ſcripſit. Ex inſtituto argumentum iſtud non tractavit. In ſuis tamen operibus ſparſim plura de hac materia diſputat. In inſtitutionibus *Theologiæ moralis* omnia iuris naturæ officia quæ praxim ſpectant, verſat. Paſſim Pontificios Lutheranico more, ideſt ruſtice, carpit. Minus, quam quos recenſui, audax, & mordax; at & ipſe Lutheranæ hæreſeos caligine obductus torvis oculis reſpicit unicam matrem ſuam; extra cuius ſinum æternum periturus aberrat cum ceteris ſuis. Paſſim eiuſdem in Pontificios, ſeu Catholicos improperia refellam.

XVIII. Ioannes Gottl. Heinnecius *Elementa iuris naturæ, & gentium* edidit. Opuſculum iſtud ſecundis typis Venetiis prodiit, quod quidam Italiæ noſtræ ſemidocti ſub initium, quaſi opus recondita doctrina plenum, ambabus ulnis ſuſcipiebant. At ex eiuſdem lectione didicere, quemlibet ex noſtris, non Theologis modo, ſed Caſuiſtis, eadem verſare præter propter argumenta, maiori eruditione, perſpicuitate, & doctrina. Mihi tamen minus ceteris Iſtis Lutheranis diſplicet. Dictio cla-

clara abſque fuco, non inelegans. Ceterum communiter res omnes obviæ ſunt.

CAPUT VI.

Iudicium in methodum qua Chriſtianus VVolfius *ius naturæ exponit. Parallelus iſtius methodi cum methodo illa quam Scholaſtici ſervant.*

I. PLura edidit Chriſtianus VVolfius volumina philoſophica, & mathematica. De his nec verbum faciam. Sex integris Tomis in 4. ius naturæ illuſtravit, de quibus pauca dicturus ſum. Et primum in viro hoc moderationem laudare debeo. Ceteri Lutherani Scriptores, ut Pufendorfius, Thomaſius, Barbeyracus, Bruckerus, Budæus, & communiter omnes, in ipſas controverſias philoſophicas *Romanenſes*, *Papiſtas*, *ſuperſtitionem Pontificiorum* intrudunt, dicteria ſpuunt, calumnias intorquent fide mala, & fraude ſumma. Oppoſitam, ad hoc quod attinet, inſiſtit viam VVolfius. Intra chorum canit, & inſtitutum ſuum perſequitur, quin e via digrediatur. Quare eiuſdem moderationem, & prudentem ſcribendi rationem debita fraudare laude non debeo.

II. Verum, ſi mihi eiuſdem moderatio placet, eo magis diſplicet illius ſcribendi methodus. Quid de hoc ad te? inquies. Tibi ſi diſplicet, placet aliis. Bene habet. At in ſæculo degimus in quo liberum cuique eſt in opera publici iuris facta iudicium ferre. Buccinant Lutherani, Calviniani, & ſaperdæ innumeri, cuiuſque nationis, & religionis adverſus Scholaſticorum methodum. Carpunt vanas illorum ſubtilitates, quæſtiones inutiles, barbaram ſcribendi rationem. Eccur mihi eadem uti libertate adverſus iſtos Scholaſticorum contemptores vetitum erit? Unum ego præſtabo, videlicet, nullum mihi e calamo excidere verbum patiar, quod Cl. VVolfium perdoctum Philoſophum, & Mathematicum, omnium ore celebratum, lædat. Pauca quæ dicturus ſum, unice ſpectant eiuſdem ſcribendi formam, qua iuris naturæ præcepta, & officia exponere ille contendit; at, ut ego quidem arbitror, implicat, & obſcuriora efficit. Et hæc quæ dicturus ſum, eo tandem recidunt, ut quidam ſcioli reſipiſcant, qui hanc impeditam ſcribendi rationem exaltant; tametſi nec eam percipiant, nec ex lectione eiuſmodi operum profectum ullum capiant.

III. Et primum nemo unus ex Græciæ, nemo unus ex omnibus Latii Sapientibus in exponendis iuris naturæ mandatis, & officiis pro formandis hominum moribus hac methodo VVolfiana uſus eſt. Et, quod nec Græcia, nec Latium novit, Sarmati, Cimbri, Taifali, Teutoni invenerunt? Scholaſtica docendi ratio latuit ſapientiam Græcorum, & Latinorum. Damaſcenus ergo, & Lombardus eam ad-

invenere? Si opportunior, ſi facilior diſcipulorum profectui fuiſſet, ſapientum ne aciem fugiſſet? Qui ſic diſputant, notionis methodi ſcholaſticæ expertes ſunt. Scholaſticorum docendi ratio, ſi non corticem, & ſuperficiem eiuſdem, ſed medullam, & ſpiritum ſpectes, eadem apud omnes ſemper fuit. Eſt quippe forma ratiocinandi ipſi intellectui veluti ingenita. Quid, amabo te, diſcriminis inter S. Thomæ Aquinatis articulum, & orationem Demoſthenis, Marci Tullii, Livii? Non ſane aliud, niſi quod illi methodum, in oranda cauſsa ſervatam, verborum elegantia, figurarum apparatu, eloquentiæ ubertate veſtiunt, ornant, venuſtamque efficiunt; contra Scholaſtici his ornamentis & lenociniis cauſſam ſuam exutam proponunt. Ceterum tam in oratione Tulliana, quam in articulo S. Thomæ hæc ſervatur ratio. Primum ſtatus quæſtionis clare proponitur. Quæ faciliori cauſſæ intelligentiæ viam aperiunt, puta principia certa, de quibus diſputatio nulla eſt, quid declinandum, quid ſummopere advertendum, ut punctum controverſiæ intelligatur, præmittuntur: quæ omnia unico verbo *prænotanda*, ſeu *præſuppoſita* Scholaſtici vocant. Deinde rationes pro cauſsa ſuſcepta oratione ſimplici, perſpicua, cuiuſque artificii vacua adducunt. Poſt obiecta adverſariorum reſolvunt. Hanc inſiſtit viam S. Thomas, Scholaſticorum facile Princeps. Hæc ipſa ratiocinandi forma præter propter elucet in orationibus Demoſthenis, Marci Tullii, omniumque Rhetorum. Hoc dumtaxat diſcrimen intercedit, quod hi indicatis ornamentis ſuam veſtiunt orationem; contra Scholaſtici, his neglectis, nudam proponunt veritatem. Rhetores obtecta via, & veluti per cuniculos; Scholaſtici recta, nudoque pectore arcem humanæ mentis invadunt.

IV. Verum, ut planior res fiat, ipſam conſulamus experientiam. Vis ratiocinandi, & facultas mutuo communicandi cogitationes noſtras a natura inſita eſt. Ars hanc facultatem perficit, non alias excogitat vias. Porro nemo ſive in privata, ſive in publica oratione hanc mathematicam methodum ſectatur. Fac eloquentiſſimum Advocatum ad tribunal ſenatorium cauſsam graviſſimam ſive civilem, ſive criminoſam adferre, in ea oranda methodo VVolfiana utatur, ſuæ cauſſæ rationes ſecet in propoſitiones centum. Ut has probet, iudices mittat ad videndas alias ducentas, quas iam olim firmavit ut certas. Poſt reducat in viam iudices, & alias illis propoſitiones afferat ad confirmandam cauſsam ſuam. Poſt commentaria ad ſingulas propoſitiones adiiciat. Cedo. An non deridendum, ſibilandumque Advocatus iſte ſeſe exhiberet? Nonne e foro pelleretur ut amens?

V. Ultro pergamus. Aſcendat Concionator ſuggeſtum, adeat Legatus Principem, tractent Politici in ſenatu graviſſima belli & pacis negotia methodi VVolfianæ uſu. Graviſſima iuris naturæ præcepta, officia hominis in Deum, in ſe, in proximum explicent: obſervationem altius inculcent, ut a tranſgreſſione legum, & ab officiorum neglectu homines revocent. Reipublicæ, & Principatus contro-

ver-

verſias vi propoſitionum , citationum , commentariorum VVolfii verſent . Quid tum? Quæ reſolutio? Quæ concluſio? Qua celeritate, qua brevitate negotia expedirentur?

VI. Inepta itaque methodus iſta in foro, inepta in ſenatu, inepta in ſuggeſtu, inepta in communi ſermone. Ubi ergo opportuna? In iuvenum ſcholis? Methodo ergo tali imbuendi iuvenes ſunt, quam ipſi in nullo hominum commercio, in nulla ſocietate, in nullo tractando negotio adhibere ſine deriſione valent?

VII. VVolfius *Tom. I. de iur. nat. in proleg. §. 2.* contendit, neminem ante ſe hac ſua methodo ſcientifica ius naturæ expoſuiſſe. Nec fallitur. Nulli quippe in mentem venerat tam abſtruſa, & prærupta via, ſpinis & ſtricturis ubique conſita, nullibi continuata, & plana, ſed ſecta, & quolibet paſſu aliqua foſſa interrupta. Carpit methodum Puſendorſii his verbis. „ Vulgo *Puſendorſius* ius naturæ demon„ ſtraſſe dicitur. Enimvero qui ſic iudicant, methodi demonſtrativæ ſatis ignaros ſe ſe „ probant, & qui vel in Matheſi, vel in operibus noſtris philoſophicis fuerit verſa„ tus, quantum a veritate diſtet iudicium, abunde intelliget. Legat ea quæ de „ methodo philoſophica, eadem omnino cum ſcientifica, ſeu demonſtrativa (§. „ 792. Log.) commentati ſumus (§. 116. & ſeq. diſc. præl.) & inquirat, num *Pu„ ſendorſius* regulis eiuſdem ſatisfecerit. Niſi enim in re manifeſta cæcutire velit, „ eumdem a methodo ſcientifica tantum abeſſe deprehendet, quantum diſtat a „ terra cælum.“

VIII. Plaudat ſibi VVolfius de ſua methodo ſcientifica mathematica, deliciis affluat, corde iubilet eam meditando. Interim liceat & nobis aſſerere, illum dulciſſime falli, atque illuſionibus & chimæris mentem ſuam ſaturare. Methodus mathematica ad demonſtrationes mathematicas conficiendas opportuna, & optima eſt. Si ad Philoſophiam moralem, cuius eſt hominum ſocietatem regere, formare mores, componere lites, mentem flectere, coercere appetitus, transferatur, vana, inepta, & perridicula evadit. Puſendorſius ea uſus methodo eſt quam adhibuerunt alii ſapientes viri tum Græci, tum Romani, tum ſcholaſtici; quamquam illa non parum abuſus ſit. Quippe ſæpe, quæ parvi ſunt momenti, prolixa, & impedita oratione verſat, involvit; & quæ maiorem poſtulant interpretationem, prætérit. Verum nævus iſte hominis, non methodi, eſt. VVolfianum opus lectores torquet, exagitat, illos per circuitum agit. Cum iſti VVolfianarum propoſitionum circumſeptam arcem ingredi, & invadere penetralia velint, ecce hinc valla, illinc foſſæ, laberynthus, & anfractus, quæ iter intercipiunt, & aggreſſores propulſant.

IX. Et ut libere, quod ſentio, prodam, VVolfiana methodus ſuapte natura eo ſpectat, ut adoleſcentum cerebra perturbet, eorumque fibras diſrumpat, ut in eorum mentes non ſcientiam, non eruditionem, ſed ſtultitiam, ſi vellent ſedulo il-

larum propoſitionum connexionem comprehendere, inducat. Quod ſi neges, dicas velim, quænam ſit melior tractandæ ſcientiæ, ſuadendæque veritatis methodus. Illa dubio procul quæ facilius, expeditius, clariuſque in hominum mentes veritatem deſert. Quemadmodum ea locutio dicitur nobilior, excellentior, quæ paucioribus verbis, & maiori perſpicuitate cogitationes meas alteri communicat. Atqui methodus VVolfiana per ambages, & circuitus veritatem ad hominum mentes deſert. In quinquaginta propoſitiones dividit methodus hæc doctrinam quæ unica, & ad ſummum duabus propoſitionibus pleniſſime exhauriri poterat. Sed quod methodum illam a Philoſophia morali exterminare debet, eſt, quod illa lectores ſuos, ut rotas, in gyrum perpetuum circumagit. Ut probet propoſitionem trigeſimam, modo te remittit ad decimam, modo ad quinquageſimam. Illuc pergis, & continuo aliam citationem offendis quæ te mittit ad Philoſophiam moralem. Arripis iter, & illuc cum perveneris, quaſi lætus de invento demonſtrationis promiſſæ arcano, en tibi obviam alia citatio, quæ te remittit ad Logicam: & hæc te iterum mittit ad *Noologiam*: & hæc quoque iterum te in gyrum agit ad *Pſychologiam*: & hæc te circumagit ad *Coſmologiam*: hinc revocaris ad *Theologiam* naturalem: & tandem aliquando hæc te denuo ad *ius naturæ* amandat, ut continenter per hunc te rotes circulum. Factum tam evidens, & obvium narro, quam obvia & manifeſta ſunt VVolfii volumina. Vellem ut aliquis eorum quæ narravi, periculum faceret. Et ſane, ut tu ex opere VVolfiano de *iure naturæ* profectum percipere valeas, opus eſt ut omnia fere volumina quæ edidit, in promptu habeas, eaque in cubiculo non valde anguſto bene diſpoſita, & modo ad unum accurrere, modo inſpicere aliud, nunc progredi, nunc regredi, nunc pergere ad ultimum, nunc redire ad primum, a primo ad quartum, a quarto ad ſecundum volumen. Et en in hoc vitioſo, atque perridiculo citationum circuitu percurrendo occupatos lectores, temporiſque iacturam graviſſimam factam.

X. Quæ hactenus dixi, aliquibus exemplis confirmanda ſunt, ne pro ingenio illa finxiſſe videar; tametſi iis omnibus qui VVolfium legerunt, obvia & manifeſta ſint. In medium afferam nonnullas propoſitiones VVolfianas, ut cum Scholaſticorum propoſitionibus conſerre quiſque eaſdem valeat. Derident novi VVolfiani Scholaſticos. Illorum barbaram locutionem contemnunt, & paucorum abuſus in ipſam artem regerunt. Exaggerant quaſdam illorum dicendi formulas, puta *formaliter*, *materialiter*, *naturam naturantem*, & *naturam naturatam*; ac ſi dicerent *gallinam gallinatam*, & *gallinam gallinantem*. Audiamus nunc Terentios, Tullios, Cæſareſque iſtos Cimbros.

§. I.

§. I.

Cenſus nonnullarum propoſitionum VVolfianarum.

I. CHriſtianus VVolfius *Tom. III. de iur. nat. cap.* 11. explicat obligationem circa ſermonem. Ex hoc itaque capite paucas tranſcribo illius propoſitiones, ut inde quiſque perſpicuitatem, brevitatem, & elegantiam colligere methodi VVolfianæ valeat. Sed iterum, antequam id præſto, obſequium, officiumque meum in Cl. VVolfium, tot voluminum editione celebrem, & Mathematicum inſignem, in memoriam revoco. Unice illius methodum, veluti diſcendis morum diſciplinis inutilem, & perniciofam, reiiciendam ſuadeo, & evinco. Igitur prima illius propoſitio ſignata ſ. 148. (neque enim cum capite numerus incipit, ſed ſequitur numerus propoſitionum antecedentium, quæ erant de modo acquirendi derivativo in genere, quibuſcum nulla videtur ſequentium connexio) eſt ſequens.

VV O L F I U S ſ. 148.

Qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.

Primum in ſimplici præfatæ propoſitionis difficillimæ expoſitione te remittit ad (ſ. 117. *Log.*) poſt ad (ſ. 273. *Pſych. Emper.*) iterum ad (ſ. 139. *Log.*)

Adiicit deinde commentarium in eamdem propoſitionem; & in hoc quoque commentario te denuo in gyrum circumagit: & primum ad (ſ. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*) poſt ad (ſ. 678. *Pſych. rat.* & ſ. 256. *part.* 1. *iur. nat.*) & iterum ad (ſ. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) Integram paginam implet, ut laudatam propoſitionem ſuadeat. Neque hoc contentus ſequentem addit propoſitionem.

VV O L F I U S ſ. 149.

Quoniam qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.

Quantum hæc differat a prima, tute vides: & tamen hanc quoque exponit, & te remittit ad (ſ. 148.) Commentariolum breve adiicit: & quinque aliis propoſitionibus contextis hanc addit.

VV O L F I U S ſ. 154.

Veriloquium eſt ſermo moraliter verus.

Exponit moraliter verum eſſe, ſi verba quæ profers, animi tui ſenſa exprimant. Quæ expoſitio adeo vera eſt, quin neceſſe ſit te remittere ad (§. 150.) & aliam adiicere propoſitionem cum commentario.

WOLFIUS §. 156.

Falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus.

Eam exponit inquiens: „ Moraliter falſum eſt, ſi verba quæ profero, ſint a „ mente tua aliena (§. 152.) " quod pluribus explicat, & continuo aliam ſubiicit.

WOLFIUS §. 157.

Quoniam falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.) moraliter vero falſum eſſe poteſt quod logice verum eſt (§. 153.) falſiloquium non ſupponit falſitatem logicam, nec per ipſum probatur falſitas logica.

Adiicit commentarium, & poſtea alias infarcit propoſitiones cum commentariis; quibus miſſis, hanc reſcribo.

WOLFIUS §. 164.

Quando ad veriloquium obligamur, a falſiloquio abſtinere debemus.

Propoſitio ſeipſa cuique nota eſt, etiam minus acuto; tamen hanc adiicit expoſitionem, & commentarium; quæ omnia tranſcribere volo.

EXPOSITIO.

„ Quando enim ad *veriloquium* obligamur, cum *veriloquium* ſermo ſit moraliter „ verus (§. 154.) verba noſtra cum cogitationibus noſtris convenire debent (§. 150.) „ conſequenter, cum lex præceptiva, ſit ſimul prohibitiva contrarii (§. 722. *Part.* „ *I. iur. nat.*) prohibitum eſt uti verbis quæ a cogitationibus noſtris diſſentiunt, „ adeoque ab iis abſtinendum (§. 163. *Part. I. Phil. pract. univ.*) Enimvero ſermo „ qui conſtat ex verbis a cogitationibus noſtris diſſentientibus, moraliter falſus „ (§. 152.) adeoque *falſiloquium* eſt (§. 156.) A *falſiloquio* igitur abſtinere debe„ mus, quando ad *veriloquium* obligamur; conſequenter *falſiloquium* illicitum eſt „ (§. 170. *Part. I. Phil. pract. univ.*) "

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

Contradictoria ſunt verum loqui, & verum non loqui. Sed qui falſum loquitur, non loquitur verum. (§. 150. 152.) *Ergo qui obligatur ad loquendum verum, ei permiſſum non eſt loqui falſum. Manifeſtum itaque eſt in eo caſu quo ad veriloquium obligamur, falſiloquium illicitum eſſe. E. g. ſi tibi animus non eſt mutuo mihi dandi pecuniam, & neceſſe ſit ut mihi dicas, num mutuo dare velis, non licet dicere, ac verbis fidem tuam aſtringere.*

VVOLFIUS §. 165.

„ Quoniam ad *veriloquium* obligamur, quando ſine eo officio cuidam erga alios, „ vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri ne„ quit, ſeu quando alteri ius eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda, ſive perfe„ ctum, ſive imperfectum (§. 162.) *A falſiloquio autem abſtinere debemus, quan„ do ad veriloquium obligamur* (§. 164.) *Falſiloquium* illicitum eſt, ſeu ab eo ab„ ſtinere debemus, quando ſine *veriloquio* officio cuidam erga alios, vel obligatio„ ni contractæ, qua alteri in *ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando alteri ius ſive imperfectum, ſive perfectum eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda.*

VVOLFIUS §. 166.

„ Quoniam *falſiloquium* repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi con„ tractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſi ſine *veriloquio* neutri ſatisfieri poſſit; „ quando autem ſatisfieri nequit ſine *veriloquio*, *falſiloquium* illicitum eſt, & ab „ eo abſtinere debemus (§. 165.) *Falſiloquium, quod repugnat officio cuidam erga „ alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, illicitum eſt*, & „ ab eo abſtinendum, & eodem modo patet, *falſiloquium illicitum eſſe, quod eſt „ contra ius, ſive perfectum, ſive imperfectum alterius.*

COMMENTARIUS.

Atque adeo patet, falſiloquium in ſe non eſſe illicitum, ſed illicitum effici repugnantia cum officio erga alios, vel obligatione qua alteri teneris in ſingulari, aut, ſi mavis, cum iure ſive perfecto, ſive imperfecto alterius. Quando enim repugnat officio erga alteros, aut obligationi, qua alteri in ſingulari teneris, cum iure perfecto alterius pugnat. Falſiloquio itaque in ſe non ineſt moralis quædam turpitudo; ſed eam trahit ab actu moraliter turpi, qui eidem accedit.

VVOL-

VV O L F I U S §. 172.

„ *Si ſine falſiloquio officio cuidam erga teipſum, vel erga alios, aut obligationi con-„ tractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfieri nequit, falſiloquium licitum eſt.* „ *Idem valet, ſi falſiloquium non dicendo violatur ius alterius ſive perfectum, ſive imper-„ fectum.* Cum enim obligatio ſit neceſſitas moralis agendi (§. 118. *Part. I. Phil.* „ *pract. univ.*) officium vero tam erga te, quam erga alios, ſit actio ad quam „ emittendam obligamur (§. 224. 226. *Part. I. Phil. pract. univ.*) officio erga noſ-„ metipſos, & erga alios non minus ſatisfaciendum quam obligationi qua alteri „ in ſingulari tenemur. Enimvero lex naturæ dat nobis ius ad omnes actus ſine „ quibus obligationi noſtræ ſatisfieri nequit (§. 159. *I. Part. Phil. pract. univ.*) Ergo „ dat *etiam ius ad falſiloquium*, quod ſine eo officio cuidam erga noſmetipſos, vel „ alios, aut etiam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfie-„ ri nequit; conſequenter in hoc caſu *falſiloquium licitum*. Quod erat pri-„ mum.

„ Nemo quicquam facere debet quod eſt contra ius alterius (§. 901. *Part. I. iur.* „ *nat.*) adeoque ius alterius nullo modo violare licet (§. 239. *I. Part. Philoſ. pract.* „ *univ.*) Quod ſi ergo falſum non dicendo violatur ius alterius, ſive perfectum, „ ſive imperfectum, cum lex naturæ det nobis ius actuum, ſine quibus obligationi „ noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *Part. I. Phil. pract. univ.*) conſequenter hi „ actus liciti ſunt (§. 170. *I. Part. Phil. pract. univ.*) falſum dicere tum licet; *con-„ ſequenter falſiloquium licitum*. Quod erat ſecundum. "

C O M M E N T A R I U S.

Exemplum habemus in obſtetricibus Ægyptiacis, quæ a Rege iuſſæ necare in partu maſculos infantes Hebræorum, hoc minime fecerunt, ſed Regi perſuaſerunt, mulieres Hebræas tanta facilitate parere, ut, antequam vocatæ adeſſe poſſint, partus iam ſit in lucem editus. Sine ipſarum enim falſiloquio vita maſculorum Hebræorum ſervari minime potuiſſet; immo nec propriæ ſaluti conſulere licuiſſet obſtetricibus. Exemplum aliud extat apud Plinium Lib. III. epiſt. XVI. ubi Arria falſiloquio ſolatur Pætum maritum. Ægrotabat enim Pætus, & filius, uterque mortifere. Cum filius deceſſiſſet parentibus cariſſimus, funus ei ita paravit, & exequias duxit, ut ignoraret maritus, & quotieſcumque cubiculum intraret, marito interroganti, quid ageret puer, reſpondebat eum bene quieviſſe, & libenter cibum ſumpſiſſe. Erat hic falſiloquium medium avertendi periculum mortis a marito, quod partim a terrore, partim a nimio angore animi imminere videbatur.

VVOL-

VVOLFIUS *§.216.*

„ *Si ad veriloquium non obligamur, nec tacere datur metu periculi, nobis, vel* „ *aliis imminentis, falſum loqui licet*. Etenim, ſi tacere non datur, aut verum, „ aut falſum loquamur neceſſe eſt: quod per ſe patet. Quod ſi ad veriloquium „ non obligamur, nec moraliter neceſſe eſt ut verum loquamur (*§.* 118. *Part. I.* „ *Philoſ. pract. univ.*) cumque tacere non detur, nec ſimpliciter eſt falſum loqui „ (*§.* 184.) Quamobrem, cum quilibet operam dare debeat ut ſibi caveat a malis „ corporis, atque fortunæ, quantum in poteſtate ſua eſt (*§.* 183. *Part. I. iur. nat.*) „ eademque ab aliis, quantum datur, avertere debemus (*§.* 608. *part.* 1. *iur. nat.*) „ adeoque, ubi nobis, vel aliis periculum aliquod imminet ex veriloquio, id of- „ ficio erga noſmetipſos, vel alios repugnat; veriloquium efficitur illicitum (*§.* „ 170. *Part. I. Phil. pract. univ.*) conſequenter metu periculi, nobis, vel aliis im- „ minentis, *falſum loqui licet*. “

§. II.

Nonnullæ animadverſiones in recenſitas propoſitiones VVolfii.

I. ET ut ab ultima initium capiam, pluſquam centum paginas implet VVolfius propoſitionibus circiter 161. de ſuis *veriloquiis*, & *falſiloquiis*. Vix unum textum ſanctarum Scripturarum allegat ad aliquam propoſitionem firmandam. Solum, ut errorem ſuum de licito *falſiloquio* confirmet, exemplum obſtetricum AEgyptiarum in medium affert. Cui aſſuit aliud exemplum, narratum a Plinio de *Arria* ſolante *Pætum* medio mendacio; quod tamen ille non *mendacium*, ſed *falſiloquium* vocat. Quare etiam celebres ICti Lutherani verborum, & rerum notiones pervertunt, cum illorum intereſt. Nec illos poſtea pudet eiuſmodi defectum quibuſdam Caſuiſtis noſtris improperare. Si loco Plinii legiſſet VVolfius Auguſtinum (*lib. de & contr. mendac.*) ſimile exemplum inveniſſet. Porro diſtinctio falſiloquii deliberati a mendacio tam nova, & vana eſt, quam eſt eiuſmodi methodus.

II. Recenſitas propoſitiones ex centum & amplius idcirco excerpſi, non ut earumdem doctrinam expenderem, aut refellerem id quod cum vero pugnat; ſed ut methodi VVolfianæ vanitatem evincerem. Vidiſti multiplicatas propoſitiones, prolixa commentaria, ut id probetur quod ſua natura cuique ratione prædito notum eſt. Quæ pauciſſimis declarari verbis poſſunt, plures implent paginas. Conſule

ſule loca citata, quæ intexit ſuis explanationibus, ut te in circuitu ſuorum librorum contineat; & vix ullum invenies in quo id evincatur quod promittitur. Quam implexa poſtea ſit locutio, quam ſtrigoſa, non eſt quod patefaciam. Res ipſa loquitur, & Scholaſticorum cauſſam orat.

III. Si poſtea vocabula quæ ipſi aſperiores Scholaſtici non excogitarunt, deſideres, dabo aliqua, quæ in oculos incurrunt: nec enim abuti otio licet in his quiſquiliis. *Loc. cit. cap. v. §. 953.* inquit: *Diſpiciendum eſt, utrum doloſum, aut culpoſum ſit periurium.*

VVolfius *Philoſoph. pract. univ. Part. I. §. 1.*

Scientia affectiva eſt ſcientia voluntatem, & noluntatem ad actus ſuos determinandi.

§. 2.

Scientia practica eſt ſcientia locomotivam facultatem, vel etiam cognoſcitivam determinandi ad actus externos, vel internos voluntati, & noluntati conformiter exequendos, vel omittendos.

IV. Mille ſimiles propoſitiones excerpere poſſem ex VVolfii operibus. Sed paucæ quas recenſui, ſatis ſunt ad VVolfianorum, & Lutheranorum retundendam dicacitatem, & ſuperbiloquentiam illam, qua ſcholaſticos Theologos deridendos propinare ſtudent. Provoco illos, ut vel ex uno alicuius nominis Theologo ſcholaſtico excerpant propoſitiones iis ſimiles quas nunc ex VVolfio adduxi. Quin, ſi omnia Scholaſticorum dumeta percurramus, tot ſpinas, tot anfractus, tot ſalebras non offendemus. Nullius mihi ſane Scholaſtici lectio tantum tædii, faſtidiique attulit umquam, quantum unius VVolfii lectio. Ineptas, vaniſſimaſque quæſtiones verſant illorum plures: non repugno. Sed de his modo ſermo non eſt. Temporis, perſonarumque defectus iſti ſunt. Methodum, qua res etiam nihili Scholaſtici verſant, cum methodo VVolfiana comparatam, optimam, perſpicuam, facilemque aſſerimus. Quid? An non optima illa methodus qua homo ſuas nænias, nugas, cavillationes uno veluti aſpectu exponit, ut extemplo earumdem, & inſuper eorum omnium quæ contra opponi poſſunt, callentiſſimus efficiaris? E contrario VVolfiana methodus te in propoſitionum labyrinthum detrudit, ibique te in perpetuum rotat circulum. Quid? Scholaſtici quiſquilias, vanas ſubtilitates verſant? Eſto. Sed, ut dixi, clara, & obvia methodo. VVolfius controverſias ſummi momenti diſpicit; ſed methodo implexa, fluctuoſa, ſpinis, dumetis, anfractibus, mæandris, ſalebris undique obſepta. At quod rem conficit, eſt, Scholaſtici qui ius naturæ illuſtrant, an non omnes alicuius momenti controverſias quas VVolfius verſat, tractarunt ipſi prius? Quid tibi mali affert quod inutiles quoque quæſtiones diſcutere illi voluerint? Tu fruges elige, relictis glandibus. Quamquam plu-

plurimæ (non dico omnes) Scholaſticorum controverſiæ, quæ vocantur inutiles, non prorſus carent utilitate, re bene penſata. Quid quod, ſi propoſitiones VVolfianas ad ſeveram criticen revocemus, plus ſtribliginis, quiſquiliarum, & futilitatum in eiſdem reperiemus quam in pluribus alicuius nominis Scholaſticis? Sed ea eſt humani palati infirmitas, ut omnia nova eidem ſapiant. Quando primum ſcholaſticæ dapes menſis appoſitæ fuere, dulciſſimæ omnibus erant; elapſo congruo tempore viluerunt. Quis fidem oppignoraret ſuam, eas non priſtinum indepturas locum?

V. Breve ſpecimen eorum quæ VVolfius ſuis ſex Tomis de *iur. nat.* tractat. Tomus I. quatuor capitibus concluditur. Capita iſta in *ſſ.* 1263. diſtributa ſunt. Primum ius, & onera hominum, eorum libertatem, æqualitatem, & alia quæ hinc conſequuntur, diſpicit. Secundo capite officia hominum erga ſemetipſos, quo nempe ſtudio corporis conſervationem, & perfectionem comparare, quibus cibis corpus nutrire, quibus induere veſtibus, qua induſtria expellere morbos, vitare ebrietatem, ceteraque noxia, qua patientia ſuſtinere adverſa, & qua moderatione proſpera fortuna uti debeant, & plurima alia exponit. Tertio capite ediſſerit officia hominis erga alios. De amore proximi, inimicorum, de ignominiis, de calumniis, conviciis, detractionibus, de famæ, & vitæ defenſione, de homicidio, aliiſque pluribus diſputat. In quarto capite cultum quo colendus, amandus, & orandus ſit Deus, manifeſtat. Sed omnia oratione adeo ſicca, ſtylo adeo arido, & ſalebroſo dividit, ſecat, involvit, ut tædium, non amorem excitet. Plura docet gravibus obnoxia cenſuris.

VI. Alter Tomus includit diſputationes de primæva rerum communione, de dominio, & modo idem acquirendi originario, & de obligationibus, ac iuribus ex dominio oriundis. In tertio Tomo diſputatur de modo acquirendi derivativo, ſeu de translatione dominii, de veritate in ſermone manifeſtanda, ſeu *veriloquio*, & *falſiloquio*, de ſinceritate, ſimulatione, & diſſimulatione, de promiſſionibus, & pactis, de iureiurando, & votis. Unicus inter Lutheranos, quos legere mihi licuit, eſt qui, votorum onera ſolvenda oſtendens, non carpat vota monaſtica, eaque ſuperſtitione polluta effutiat. Tomo finem imponit tractatibus de modo conſtituendi alteri ius quoddam in re ſua, de derelictione præſumpta, de uſucapione, & præſcriptione. In quarto, & quinto Tomo vaſta contractuum provincia exornatur. Sextus Tomus ad meas non pervenit manus.

VII. Specimen iſtud tibi exhibere volui, ut compertum tibi ſit, nullam ab iſtis diſpici controverſiam quæ non ſit a noſtris prius enucleata. Nec VVolfio, ſive ceteris Lutheranis, Calvinianiſque vitio verto, quod nova nobis non exhibeant; ſed illorum thraſonicam iactantiam, qua Scholaſticis, veluti ſtupidis & truncis, inſultant, iure retundo.

CA·

CAPUT VII.

Tres Scholaſticorum claſſes. Poſtrema ius naturæ & gentium, omnibus penſatis, felicius præ cunctis novatoribus exponit.

I. SCholaſticorum chorum ducit Petrus Lombardus. Horum Principes ſunt S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Albertus Magnus, Alenſis, Scotus, Durandus, Antoninus. Secundæ claſſis ſunt Caietanus, Victoria, Sotus, Molina, Suarez, Vaſquez, Iavellus, Bannez. Poſtremæ claſſis Sylvius, Medina, Comitolus, Leſſius, Corradus, Salmanticenſes, Gonzalez, & mille ſimiles. Hos quippe nominavi, quod menti occurrerint primi, ſalvo erga alios obſequio, officioque.

II. Si cum unius S. Thomæ Aquinatis doctrina de iure naturæ & gentium opera quæ ab infami defectione Martini Lutheri ediderunt heterodoxi tranſalpini, compararem, non levem cauſsæ meæ præiudicium inferrem. Quæ ſiquidem noctuarum cum ſole, pygmeorum cum gigante comparatio? Fateor me, repugnante animo, hæc in ſcenam inducere. Sed ad hoc me renitentem coegerunt & tranſalpini novatores, & ſcituli plures Italiæ noſtræ, qui, neglectis frugibus quas domi habent, glandes, & quiſquilias extrinſecus conquirunt. Sex ſolæ quæſtiones Angelici Doctoris de hominum officiis, de legibus, de iuſtitia & iure præſtant omnibus quæ de iure naturæ & gentium edidere Puſendorfius, Thomaſius, Budæus, VVolfius, ceterique omnes eiuſdem ſectæ. Si ſolam methodum, & perſpicuitatem ſpectes, in admirationem te actum ſentis. Una oculorum acie quæſtionis ſtatum, & quæ in utramque adduci partem poſſunt, unaque cum cauſſæ reſolutione conſpicis. Vix verbum ſuperfluit, quin quot verba, tot, ut ita dicam, ſententiæ. Phraſis opportuna: ſi elegantior eſſet, veritatis gravitatem, & maieſtatem fucaret; ſi neglectior, illam fœdaret. Blaterent Oudinus, Clericus, Thomaſius, ceterique Proteſtantium nugivenduli, barbaram eſſe locutionem: quoniam veram iſti orationis notionem ignorant. Si excipias plures voces, formulaſque loquendi, quas uſus tum invexerat (quaſque ipſe Marcus Tullius, ſi animi ſenſa melius, & facilius exprimunt, probat; & illarum non paucas iſtius naturæ in S. Thomæ ſermone eſſe, ſolus amens inficiabitur:) ſi, inquam, eiuſmodi voces excipias, in quo Auctore reperies Atticum illum nitorem, concinnam illam brevitatem, qua, omnibus ad vivum reſecatis, veritas in animum tuum ſeipſa nuda, clara, ſplendida illabitur? Una ſola voce præ alia poſita, non raro graves evaneſcunt difficultates. Plurimos tum antiquos, tum novos Scriptores legi. In aliquibus integros libros, in aliis plura folia attenta mentis indagine ſæpe meditari opus mihi fuit, ut alicuius con-

troverſiæ deciſionem eruerem. Unum conſulo Thomam; & ecce mihi hinc omnia quæ contra, illinc omnia quæ pro me ſunt, ſub unico conſpectu propoſita. Si de metaphyſica ſcientia ſermo ſit; quis hoc in genere cum Aquinate vel longe comparandus? Deus immortalis! Quæ profunditas mentis, quæ vis acuminis, quæ ratiocinii efficacitas, quæ rationum ſoliditas, quæ rerum omnium diſpoſitio, quis ordo mirabilis, quæ omnium rerum comprehenſio? At caruit, inquiunt, linguæ Græcæ notitia. In huiuſmodi cauſſa ſedere iudex nolo. At quid, ſi tali ornamento caruiſſe Thomam concederem? Ingenium ne Aquinatis hoc idiomate egebat, ut naturæ arcana penetraret? Linguæ Græcanicæ uſus idcirco utilis eſt, ut Græcorum Sapientum conſuli ſcripta valeant. Quid, ſi ingenium Thomæ nullis Græcorum ingeniis in acumine, iuriſque naturæ comprehenſione inferius eſſet? Quid, ſi omnibus tum Græcis, tum Latinis in hac ſcientia præſtiterit? Neceſſaria ne tum illi fuiſſet iſtius idiomatis cognitio? An ignorantes Græci, quod linguas exoticas neſcierint? Neque hæc ſic intelligas velim, quaſi parvi faciam linguæ Græcæ peritiam. Abſit tam enormis deceptio. Plurimi illam facio, dum divinæ Scripturæ, dum genuina Auctorum ſenſa, dum alia eruditionis puncta ſunt definienda. Addo, ad ipſa naturæ iura penetranda illis omnibus utiliſſimam eſſe eiuſdem linguæ notitiam qui ingenio mediocri præditi ſunt, qui, Græcis Doctoribus inferiores cum ſint, illorum Scriptorum ope proficere hoc etiam in genere valent. At, cum S. Thomas Græcis ingenio ſuperior fuerit, in Metaphyſicæ ſcientia plus illi Latinæ uſu egent, ut Thomam intelligant, quam Thomas Græcæ cognitione, ut Græcos legat. Quamquam nec linguæ Græcæ indoctus prorſus Thomas fuit; ſed eam notitiam eiuſmodi linguæ habuit quæ ſat erat ut in gravioribus difficultatibus conſulere Græcorum ſcripta poſſet. Dicant nobis Oudinus, Clericus, Thomaſius, Barbeyracus, ceterique Proteſtantes, quis umquam tam vaſtam iactare Patrum tum Græcorum, tum Latinorum eruditionem valet, ac unus Thomas? Eius ſcriptum, quod *Catena aurea* nuncupatur, an non quid divini portendit? Incredibilis ille ſanctarum Scripturarum uſus ad quamlibet ſuam confirmandam doctrinam, nonne memoriam mithridatica vaſtiorem prodit? Sed quid ego actum ago, & in ſilvam ligna affero? Innumeri ſunt qui Aquinatis doctrinam dignis celebrarunt elogiis. Cenſores illi qui eiuſdem ingenium, ſane prodigioſum, eiuſque auro, cedroque digna opera flocci faciunt, homunculi ſunt, quos libido, furor, voluptas, & turpiora ſcelera ita faſcinarunt, ut vel ipſum communem ſenſum exuerint. Quare deridendi hi ſunt, non refellendi.

III. Si ſecundæ claſſis Theologos ſpectes, quis, quæſo, ex tranſalpinis heterodoxis cum aliquo iſtorum comparandus in exponendo naturæ iure? Caietani acumen loco prodigii habitum ſuo tempore fuit. Quis illi in difficilioribus arcanis naturæ iuris reſerandis comparandus? Celebriores S. Thomæ interpretes legi. Nemo, mea

qui-

quidem ſententia, CAIETANO æqualis. Sint alii eruditiores, ſint faciliores, abundent perſpicuitate. Sed vix quidquam ex iis didici. Ad eruditionem quod attinet, alibi maiori in copia nunc habetur quam in quolibet Angelici commentatore. Verum, dum aliqua doctrina abſtruſior, & difficilior occurrit, *Caietanus* ceteris altius aſſurgit, & rem penitius invadit, penetrat, reſeratque arcana omnia. Quod poſtea ad divinas Scripturas pertinet, teſte doctiſſimo, & morum probitate ſpectatiſſimo *Mazzochio*, Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ Canonico, & linguarum exoticarum callentiſſimo, atque tot operum eruditionis immenſæ editione celeberrimo, Caietanus in Scripturarum divinarum interpretatione inter celebriores interpretes reſplendet. *P. Franciſcum Victoriam* univerſa Hiſpania, acutiſſimorum ingeniorum feraciſſima, ut ſummum Magiſtrum venerabatur. Eius Relectiones *de bello*, *de poteſtate civili*, & *de naturæ iure* tranſalpinorum heterodoxorum, ſibi quaſi vindicantium primam eiuſdem iuris illuſtrationem, ora penitus obſtruunt. Ingens de legibus volumen eximii Doctoris *Franciſci Suarez* prævalet omnibus operibus quæ hoc de argumento vulgarunt Puſendorfius, Budæus, Thomaſius, VVolfius, ceteríque omnes ex Proteſtantibus. Qui fuerint Sotus, Molina, Vaſquez, Leſſius, Bannez, illorum de iuſtitia, & iure volumina pateſaciunt. Chryſoſtomus Iavellus ſæculo & amplius ante Puſendorfium, de homine, de cive, & inſuper de cive chriſtiano maiori eruditionis copia quam Lutherani ſeptentrionales ſcripſit, ut patet ex eius ſecundo ingenti volumine.

IV. Verum ſermonem odii, invidiæque plenum, & ſolum cogentibus præfatis tranſalpinis ſuſceptum, in pauca contrahere lubet. Aio ergo, Grotios, Puſendorfios, Thomaſios, VVolfios a noſtris uſurpaſſe quidquid ſanæ doctrinæ in eorum operibus continetur. Lege Puſendorfium de *homine*, *& cive*; & niſi in quolibet mediocri Scholaſtico meliora de eodem argumento inventurus ſis, herbam tibi porrigere velim. Aliqua vox diverſa occurret. Quod noſtri vocant *tractatum de actibus humanis*, illi *officium hominis* appellant. Ceterum, ſi voces elegantiores, & phraſes amœniores frequentius in Puſendorfio quandoque quam in quibuſdam Scholaſticis noſtris, occurrunt; non eſt tamen quod abſolute aut ipſe, aut ceteri illius ſectarii gloriari vel in hoc ipſo genere valeant, ac ſi Terentiano, vel Tulliano pollerent eloquio. Quin dico illorum eſſe hoc punctum diſſimulare. Nam deridendum ſe propinaret qui contenderet, in linguæ Latinæ peritia excelluiſſe laudatos Teutonos. Itaque, dum noſtris poſtremæ claſſis Theologis comparo Grotios, Puſendorfios, Thomaſios, Budæos, VVolfios in iuris naturæ interpretandis arcanis, non partium ſtudio indulgeo, ſed favore eoſdem proſequor. Erunt qui hanc meam comparationem, veluti nimio partium affectu partam, improbaturi ſint. Verum, quid iſti dicturi erunt, cum mox demonſtravero, præfatos omnes, eorumque gregales turpiter erraſſe in hac ornanda provincia? Unum ab his excipio HUGO-

NEM

Digitized by Google

NEM GROTIUM, virum revera doctum, gravem, moderatumque, ut alias dixi. Is viam communem perſecutuus eſt in hac tractanda cauſſa, nempe rationis, & auctoritatis. Scripturas divinas, Patres, Canones, Doctores ſcholaſticos, Summiſtas, Philoſophos, Poetas, Oratoreſque conſuluit: alios ad ornamentum, alios ad confirmandam cauſsæ doctrinam adhibuit. Et hoc eſt quod ceteri heterodoxi, Pufendorſius, Budæus, Barbeyracus, vitio Grotio vertunt. *Nimis ſollicitus eſt in conquirendis Græcorum, & Latinorum Scriptorum teſtimoniis, dum aliquid iuris naturæ & gentium eſſe, probare voluit.... Adde, quod lumen revelatum, & naturale ubique fere miſceat.* Thomaſius *Hiſt. iur. nat. c.* VI. *§.* 2. Verum habet. Grotius Scripturas, Patres, S. Thomam, Caietanum, Victoriam, alioſque Theologos paſſim laudat. De Scholaſticis hæc ſcribit in proleg. num. 52. *Qui his ſucceſſerunt Scholaſtici, quantum ingenio valeant, ſæpe oſtendunt; ſed in infelicia, & artium bonarum ignara ſæcula inciderunt. Quominus mirum, ſi inter multa laudanda, aliqua condonanda ſunt. Tamen, ubi in re morum conſentiunt, vix eſt ut errent: quippe perſpicaces admodum ad ea vitanda quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt. In quo ipſo tamen diverſa tuendi ſtudio, laudabile præbent modeſtiæ exemplum, rationibus inter ſe certantes, non, qui mos nuper adeo inquinare cœpit, conviciis turpi fetu impotentis animi.* Hæc ſola quæ Phœnix Belgicus promit, ſatis ſunt ad propulſandas aliorum, quos memoravi, adverſus Scholaſticos impoſturas. Porro, quia *Grotius* graviter, moderateque cauſſam oravit, licet a communione Romana ſeiunctus, licet eiuſdem opus a Romana Sede proſcriptum ſit, utpote erroribus ſcatens; tamen non ſine laudis præfatione eiuſdem meminimus. Utinam licuiſſet ſimili humanitate officioque Pufendorſios, Budæos, Barbeyracos, Thomaſios, ceteroſque ſuſcipere. Libentiſſime illos ipſos, tametſi hæreticos, ſimili lenitate excepiſſem. At adeo iſti agreſtes ſunt, aſperi, ſupercilioſi, thraſones, & totius fere generis humani, demptis Lutheranis, & Calvinianis, deriſores, ac contemptores, ut niſi acerbiori ſermone propulſari illorum impoſturæ vix poſſint.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Hobbeſius, Cumberlandus, Puſendorſius, Thomaſius, Barbeyracus, Heinnecius, VVolfius, ceterique tranſalpini hæretici ſolo naturæ lumine, ſublata auctoritate omni tum divinarum Scripturarum, tum antiquorum Scriptorum, interpretantur iuris naturalis mandata: ipſas divinas Scripturas, nedum naturæ decreta, humano ſubiiciunt ratiocinio.

I. DUM quorumdam Caſuiſtarum laxas, pernicioſaſque opiniones pleno in lumine collocare ſoleo, ut erroris gravitas, morum corruptio, animarum pernicies, & cetera abſurda quæ inde proficiſcuntur, evidentius pateant, lectoreſque ab iſtorum *Moraliſtarum* lectione abſterream, defenſores *Caſuiſtarum* inclamare ſolent, me illorum ſenſa adulteraſſe, propoſitiones eorumdem minus ſincere retuliſſe. Quam falſitatem, & manifeſtiſſimam impoſturam non ſemel penitus profligavi. Proteſtantium aberrationes in methodo humanæ ſocietatis, dirigendæ mediis naturæ legibus, adeo ſunt craſſæ, adeo enormes, ut merito verear ne & ipſi Caſuiſtarum rancidulam cantionem ſint adoptaturi. Porro, ne id facere audeant, duo præſtabo. Primum ipſorum verba tranſcribam, quibus docent, ſolo naturæ lumine inſtruere ſe velle homines in iis quæ ſunt naturæ iuris, ſublata qualibet auctoritate, ſive Scripturarum, ſive Patrum, ſive quorumque: tum demonſtrabo, hunc eſſe graviſſimum errorem.

II. Et ad primum quod attinet, *Thomas Hobbeſius* non modo ſolo naturæ lumine civem ſuum regere contendit, abſtrahendo a lumine divino; ſed ipſas divinas Scripturas humanæ ſubiicit rationi & poteſtati. Illius verba dedimus ſupra: ideo, ne actum agam, ab illis referendis ſuperſedeo. Quid quod impius iſte ioci loco divinas habet Scripturas, quarum auctoritas tam varia per ipſum eſt, quam diverſi ſunt gradus ſummarum poteſtatum, ſine quarum auctoritate, & approbatione nullius eſſe roboris Scripturas divinas effutit?

III. Richardus Cumberlandus *ſerm. prælim. §. 27.* hæc ſcribit. *Verum in ſequenti tractatu conſultum duximus, intra Philoſophiæ fines nos totos continere, ac proinde omnino abſtinuimus a quæſtionibus theologicis de iure dominii divini..... nec conſideravimus, quantum detrimenti facultates hominum qui nunc ſunt, paſſæ ſint e peccatis protoplaſtorum, de quibus e Scripturæ teſtimoniis iudicium ferendum eſt; ſed*

legem

Digitized by Google

legem naturalem, e SOLA, cuius nunc conſcii ſumus, ratione, & experientia conati ſumus probare.

IV. Samuel Puſendorfius ab ipſis ſuis Lutheranis veluti erroris poſtulatus fuit, quod lumen rationis a revelationis lumine ſeparaverit, ut fatetur ipſemet Puſendorfius, qui in ſua *Eride Scandica* refert in *præfat.* ad Lectorem, quæ ſcribit Ludovicus Sekendorfius contra talem methodum his verbis. *Equidem methodum illam quam Dn. Samuel Pufendorfius a principiis revelatis abſtrahendo ſecutus eſt, in ſe reiicere nolim, nec ipſius hypotheſim eamdem cum HOBBESIANA iudicare, multo minus aculeatis diſceptationibus, quæ inde ſurrexere, me ingerere cupiam; pro modico tamen ingenio meo tantam utilitatem quæ a ſeparatione principiorum naturalium a iure divino revelato, ſeu, quod eodem fere recidit, a Decalogo quæritur, perſpicere non poſſum, quanta prima fronte videtur. Etſi enim verum ſit quod Ethnicus, qui S. Scripturam pro vera, aut regula actionum humanarum non habet, ex ſola ratione, & illo lumine quod ſaltem apud pleraſque, & cultiſſimas nationes agnoſcitur, informandus ſit; tali tamen modo in chriſtiano orbe ſcribere, & fundamentum iuris divini revelati poſtponere, aut negligere, non adeo neceſſarium eſt.. Turcæ, atque Ethnici libros noſtros latinos, aut alia lingua conſcriptos non legunt: cum illis efficacius diſceptatur machinis, & gladiis; aut, ſi quid cum iiſdem ſuper commerciis, & ſimilibus negotiis tractetur, principia iam nota ſunt, & horum præcipuum, nempe utilitas, mutua ſubtili diſceptatione haud conſtat. Hæc ubi claudicat, aut ceſſat, fruſtra ratiocinari inſtituas. Enim vero e recentibus hypotheſibus (contra mentem quidem & ſcopum Auctorum) proterva noſtra, & verbum Dei quotidie magis faſtidiens, iuventus anſam arripit, ut veteres regulas, quæ apud ipſos tamquam Chriſtianos merito valere debebant, non amplius magni æſtimet; recentibus autem haud conſtanter fidem adhibeat, & non ulterius quam quatenus expedit. Unde & hodie plures quam umquam alias, dantur homines qui Principum, ac Rerumpublicarum deſtinatis qualibuſcumque e laxis illis, & per probabilitatem corruptis principiis facile aſſentiri, coloremque allinire poſſunt.*

V. Non negat Puſendorfius ſe hac via inceſſiſſe, quin aperte id fatetur, & hanc ſuam methodum propugnat, ut veram, his verbis ibidem. *Igitur nihil iniqui feciſſe videbimur, ſi parem libertatem, quam in alios ſibi ſumpſit Sekendorfius, in ipſum quoque exerceamus. Pufendorfii igitur mens eſt, ius univerſale deducendum eſſe e principiis lumine rationis cognitis, quo illud ſit ad captum omnium hominum, quamcumque circa ſacra perſuaſionem foveant, quod idem idoneum ſit ad dirigendas omnium inter ſe hominum actiones, nullo religionis diſcrimine.* Hominum ſocietatem moderari magiſter Puſendorfius contendit, *nullo religionis diſcrimine.* Hoc eſt Lutheranæ Reformationis unum ex conſectariis, de quo iam iam dicturi ſumus, quam monſtroſum ſit. Factum propoſitum confirmandum nunc eſt.

VI. Chriſtianus Thomaſius in ſuo opere inſcripto, *Fundamenta iuris naturæ, & gentium, ex ſenſu communi ducta, cap. proœm. §. 17.* hæc ſcribit. *Debuiſſent etiam Scriptores iuris naturalis, utpote quod cordibus omnium hominum inſcriptum eſt; abſtrahere a revelatione, & Scriptura ſacra; cum natura, & revelatio, tamquam diverſa principia, non ſint confundenda. Sed pauciſſimi quidem id obſervarunt. Quin potius communiter Scriptores iuris naturæ magno cumulo immiſcere ſolent loca Scripturæ; quamvis plerique diverſas habuerint intentiones ſcholaſtici Doctores, ut ſub prætextu zeli divini conſcientias hominum magis ſub tyrannide tenerent, ac cum rationibus eas ligare non poſſent, auctoritatibus falſarum ſacræ Scripturæ interpretationum eas terrerent.*

VII. Similia & peiora repetit ibidem §. 19. *Nunc vero cum eodem fato cum Puſendorfio ſatis expertus fuerim, provocatione ad ſacram Scripturam magis irritari crabrones, quam ſi ea abſtineatur, & præterea lex illa poſitiva univerſalis a meipſo iam iterum fuerit deſtructa, ac denique hypotheſis iſta de fundamento iuris naturæ in ſtatu integritatis quærendo iam ſit fere ſepulta: ratio iuris naturæ modo dicta ſuadet ut a ſacris litteris, & a ſtatu integritatis plane abſtraham.... Ut taceam Scripturæ ſacræ ſcopum eſſe vitam felicem futuri ſæculi; doctrinam autem moralem, & totam iuriſprudentiam intendere ſaltem VERAM felicitatem vitæ præſentis.* Audiſti doctrinam hominis Lutherani? Veram tibi ſpondet in hac vita felicitatem, miſſa doctrina revelata, quæ futuram beatitatem ſpectat.

VIII. Ioannes Barbeyracus in *præfat. ad opus Puſendorfii §. 32.* abſtrahendum a divina revelatione in tradenda *iur. nat.* ſcientia ſuadere nititur. Idque ille ipſe declarat in præfat. ad *tractatum Moralis SS. PP. pag. 8.* ubi contra P. Cellier ſcribit: *Ius naturale, & morale, nixum ſolo rationis lumine, ſe tractaſſe in univerſa ſua præfat. ad Puſendorfium.* Sed, quid Auctoris iſtius in audacia, & impudentia Thomaſio haud inferioris, verba tranſcribo, ſi omnes & Græcorum, & Latinorum Scriptores contemnit, omnemque auctoritatem de medio aufert?

IX. Heinnecius in *præfat. ad elementa iur. nat.*,, At, ſi dicendum quod res ,, eſt, boni illi viri vix ſecum expendiſſe videntur, quam parum ponderis apud ,, gentes, iuris Romani ignaras, & a chriſtiana pietate alienas, habitura ſint argumenta, ex iure Iuſtinianeo, ſacris Pandectis, iure pontificio, Thomæ, Alberti Magni, Bonaventuræ, & aliorum operibus deprompta. Apud Plaurum Moſtell. III. 1. verſ. 29. conſultus a domino Theuropide, Tranio ſervus, quid nunc ,, faciendum cenſeat, quando ea omnia facta neget vicinus quæ ipſe retuliſſet? ,, lepide, ac percallide reſpondet.

Egon' quid cenſeam?
Cape, obſecro hercle te, cum eo una iudicem;
Sed eum videto ut capias qui credat mihi.

Tam

Tam facile vinces, quam vulpes pirum comeſt.

„ Idem vereor ne poſtulent ii qui ſe iura belli, pacis, fœderum, omneſque, quæ „ inter gentes intercedere poſſunt, controverſias, vel ex legibus Romanis, vel ex „ iure pontificio, *vel ex ſacris veteris, noviquе fœderis libris*, vel denique ex va„ ſtis Philoſophorum ſcholaſticorum commentariis ſe definire velle pollicentur. „ Iudices enim poſtulant eos qui his libris, ſibique, eorum auctoritate fretis, cre„ dant; polliceturque victoriam tam facilem, quam ſi vulpes pirum comedat. „ Quid vero, ſi gens quædam cum Turcis, vel Sinenſibus, vel Iaponibus de vio„ latis fœderum legibus expoſtulet? His ſcilicet facile perſuadebitur, iuſta eſſe o„ mnia quæ, non dicam Iureconſulti, aut Pontifices Romani, vel Thomas A„ quinas, ſed ipſi Prophetæ, ac Apoſtoli ſcripſerunt. At ego id eos credo non „ facilius conſecuturos ac Turcas, ſi Mahumedem, aut Sinenſes, ſi Confucium „ ſuum nobiſcum iudicem capere vellent."

X. De Chriſtiano VVolfio non eſt quod textus tranſcribam. Iam ſupra oſtenſum fuit, Auctorem hunc ſola methodo mathematica iuris naturæ regulas tradere: & facto res conſtat. Percurrito ſex iuris naturæ Tomos: vix unam aut Scripturarum, aut Patrum auctoritatem offendes, ad quam, ceu ad ſupremum tribunal, in cauſa dubia litem revocet. Scriptorum, quos hoc in capite recenſui, methodum ſequuntur ceteri fere omnes heterodoxi Scriptores. Lutherani, qui olim Scripturas, & antiquitatem eccleſiaſticam ubique iactabant, iam Scripturis, & antiquitate amandatis, ad ſolas demonſtrationes mathematicas morum regulas exigunt.

CAPUT IX.

Hobbeſii, Cumberlandi, Puſendorſii, Thomaſii, Heinneccii, Barbeyraci, VVolfii, & aliorum, abſtrahentium a doctrina revelata in exponendo naturæ iure, aberrationes patefiunt.

I. Ut Lutheranorum aberrationes nos methodo opportuna demonſtremus, poſt expoſitum in media luce factum, cui tota innititur cauſſa quæ eſt in manibus, illos nempe, miſſa doctrina revelata, ſolo naturæ lumine dirigere humanam ſocietatem, diſputandi ratio poſtulat ut ideam iſtius humanæ naturæ promamus, eiuſdem vires, morboſque ſincere exponamus. Neque enim idoneam porrigere ægroto medicinam medicus poteſt, niſi infirmitatis naturam compertam habeat: nec perſpicilla apta applicari oculo valent, niſi gradus viſionis, ſeu de-

bilitatis & hebetudinis ocularis pateat. Ut in malorum & infirmitatum naturæ humanæ deſcriptione ordo aliquis ſervetur, primum corporis, poſt animi ægritudines exhibebo.

II. Hieronymus Oſorius eleganti oratione humanæ naturæ infirmitates deſcribit. Ut enim, inquit ille *Lib. I. cap. 1. de iuſtitia cæleſti*, a natali cuiuſque die capiamus exordium, & omnes vitæ partes oratione perſtringentes, tandem ad illius exitum veniamus: horam nullam videbimus aut dolore vacuam, aut labore ſolutam, aut metu liberam, ſed ætatem omnem moleſtiis, difficultatibus, & infinitis calamitatum angoribus involutam. Vitæ initium a fletu ducimus, membriſque devinctis, in terram abiecti, viam dolorum ingredimur. Cetera animantia præſidiis naturæ tecta, atque veſtita in lucem prodeunt. Homines nudi, omnibus egentes, in mundum venientes ſua primordia miſera & ærumnoſa fletibus lamentantur. Si quæ teneram ætatem morborum incommoda comitantur, ſpectes, vix perſequi oratione vales. Quæ cura nutrices, quæ ſollicitudo parentes afficit? Quibus vitæ periculis obnoxii pueri non ſunt? Pubertatem cum attingunt, quæ affectuum perturbatio, quæ amorum, voluptatumque procellæ animum exagitant? Illecebræ, voluptates, pecunia & doloribus emptæ, nervos incidunt. Quid, cum adulta ætate imperandi, dominandique libido animum inflammat, invidia conficit, odium arrodit, conſumitque? Quid, cum varia, multiplex, & infinita cupiditas ſpiritum invadit, ipſamque naturam tot morbis oppreſſam dilacerat? Quid, ſi tempeſtates illas turbulentiſſimas, quæ varios ſtatus nuptorum, mercatorum, imperantium obſident, commemorarem? Adde lubricam amicorum fidem, ſociorum proditiones, rerum civilium turbines, paupertatis, inopiæ, atque miſeriarum fluctus. Adde cædes, inſidias, ſupplicia, dedecus, ignominiam, & reliqua mala, quibus vita florens, vel momento temporis, quaſi impetu quodam turbidæ tempeſtatis obruitur, vel in ſumma laborum omnium contentione tandem abſumitur. Quid autem ipſius ætatis extremæ morbos, atque moleſtias, & corporis exhauſti deformitatem referam? Quid denique cadaveris ipſius horrificam ſpeciem tetris coloribus depingam? Eſt ne aliquid vel in odore putidius, vel aſpectu truculentius, vel contagione peſtilentius, vel deformitate horrendius? Sic igitur in ſumma vitæ brevitate vis ingens malorum circumquaque obſidet: laborem labor excipit: dolor ex dolore nectitur: mœrorem atque luctum ſæpe gravior quidem luctus conſequitur: infinitæ curæ, moleſtiæ, ſollicitudines animum opprimunt, eumque frangunt, atque debilitant, & de omni ſtatu deiiciunt. Quamvis autem animus aliquando in tantis malis falſa quadam boni ſpecie commotus inaniter exultet, & futili lætitia intemperanter elatus geſtiat; non tamen umquam ſolidum gaudium capit. Amittendi enim quæ poſſidet, metu cruciatur: &, cum id quod valde expetendum iudicabat, effluere repente ſentit, dolore conficitur; fruſtraque

tan-

Digitized by Google

tandem intelligit, non veram ſeſe, ſed falſam & inanem voluptatem fuiſſe conſectatum, ac infinitis curis, & morbis animi contabeſcit. Semper itaque breviſſimum gaudium gravis, & diuturna ægritudo contaminat. Licet enim mors animantia cuncta populetur; nullum tamen eſt homine vel pluribus mortis ipſius telis expoſitum, vel graviore eiuſdem ſenſu cruciatum. Unde colligitur, nihil eſſe in terris homine calamitoſius. Eſt enim hominis vita imagini ſimilis & umbræ, atque, ut Pindari verbis utar, cum umbræ ſomnio comparanda. Illius cupiditas nullo termino circumſcribitur. Semper animus humanus eget: ſemper aliquid cum ſollicitudine inquirit. Expetit honores, exquirit voluptates, imperia inſectatur. In ore hominum cum gloria & dignitate verſari deſiderat. Ex quo planum fit, omnes homines impetu quodam naturæ vim ſempiternam, & opes immortales appetere, ipſiuſque Divinitatis imitandæ ſtudio ardentiſſimo concitari, uſque adeo ut ſceleſtiſſimis etiam hominibus hic ardor mentis inſideat. Omnes enim immortalitatem appetunt, ſummamque vim atque ſempiternam deſiderant: eaque de cauſſa multa, & præclara facinora moliuntur. Quid igitur? Num homines ad infinitam nati miſeriam? Numquid melioris conditionis ſpes penitus illis abiicienda? Abſit. Sed illorum furore, & amentia fit ut, quo magis ad beatam vitam omnibus corporis, & animi viribus enituntur, eo magis in vitæ peſtem atque perniciem incurrant. Hactenus, paucis demptis, & immutatis, doctiſſimus Oſorius.

III. Heterodoxorum acuti Scriptores ſeptentrionales ſolo rationis lumine, ſoliſque præſidiis a naturæ iure derivatis, in hoc omnium miſeriarum exilio, in hoc caliginoſo carcere tranquillos, atque felices efficere homines, eoſque per tam procelloſum mare, per tam obſcuram tenebroſamque viam ducere oſtentant ad pacis, & quietis fruitionem. Verum, ut eorum aberrationes evidentius pateant, lubet animi ægritudines, ſeu corruptos mores paullo fuſius recenſere.

CAPUT X.

Corrupti humanæ naturæ mores ex S. Auguſtino deſcribuntur. Myſterium formidandum vitæ hominis. Sapientes Ethnicorum, hominum mala viderunt, cauſſam ignorarunt. Quam ſint cæci Heterodoxi, Hobbeſius, Cumberlandus, Puſendorfius, Thomaſius, Barbeyracus, VVolfius, Heinnecius, ceterique, qui ſolo naturæ lumine moderari hominum ſocietatem inſipienter ſe iactant.

I. CApite ſuperiore mala potius phyſica, quæ naturæ imbecillitatem conſequuntur, quam moralia, quæ animam contaminant, breviter ex doctiſſimo Oſorio delibavi. In præſentia ex Auguſtino morum corruptionem, atque horrendam deformitatem deſcribere lubet. Porro S. Pater *Lib. XXII. de Civ. Dei cap.* XXII. hæc ſcribit. „ Nam, quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc, ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot & „ tantis malis plena, teſtatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profun„ditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo „ quodam ſinu ſuſcipit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non „ poſſit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mor„daces curæ, perturbationes, mærores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, li„tes, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, ra„pina, perfidia, ſuperbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, „ ſævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, „ adulteria, inceſta, & contra naturam utriuſque ſexus tot ſtupra atque immun„ditiæ, quas turpe eſt etiam dicere, ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, periuria, „ oppreſſiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falſa „ teſtimonia, iniqua iudicia, violentia, latrocinia, & quidquid talium malorum „ in mentem non venit, & tamen de vita hominum non recedit? Verum hæc „ hominum ſunt mala, ab illa tamen erroris, & perverſi amoris radice venien„tia, cum qua omnis filius Adam naſcitur. Nam quis ignorat cum quanta igno„rantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifeſta eſt, & cum quanta abun„dantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat ad hanc „ vitam; ita ut, ſi dimittatur vivere ut velit, & facere quidquid velit, in hæc

„ fa-

„ facinora, & flagitia, quæ commemoravi, & quæ commemorare non potui, vel „ cuncta, vel multa perveniat? Sed divina gubernatione non omni modo deſerente damnatos, & Deo non continente in ira ſua miſerationes ſuas, in ipſis „ ſenſibus generis humani prohibitio, & eruditio contra iſtas, cum quibus naſcimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamen etiam „ laborum, & dolorum . . . Nonne hic apparet, in quid velut pondere ſuo proclivis, & prona ſit vitioſa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? „ . . . . *Ab huius tam miſeræ quaſi quibuſdam inferis vitæ non liberat niſi gratia* „ *Salvatoris Chriſti Dei, ac Domini noſtri.*“

II. Pauca alia ex eodem S. Auguſtino *Lib. IV. contr. Iulian. cap.* XII. tranſcribo. *Vide nunc, utrum iſta quæ dicam, non evertant aſſertionem tuam. In Lib. III. de Republica idem Tullius hominem dicit, non ut a matre, ſed ut a noverca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo, animo autem noxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen ineſſet tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc Auctor iſte male viventium moribus dixit effectum, ſed naturam potius accuſavit. Rem vidit* (Tullius,) *cauſam neſcivit.*

III. Liceat & mihi poſt Oſorium, & Auguſtinum nonnulla de vita hominis dicere, ut planiorem mihi ad Lutheranorum, de iure naturæ diſputantium, inſipientiam demonſtrandam viam ſternam. Duas in homine ſubſtantias conſidero, corpoream unam, ſpiritualem alteram. Naturæ ordo poſtulat ut inferiora mediis, media ſupremis obediant, videlicet corpus animæ, anima Deo. Iſtius ordinis perturbationem homines, nemine excepto, ſentiunt. Bellum illud, non dicam civile, non domeſticum, ſed inteſtinum, quod inter has duas ſubſtantias ardet, lucta illa immanis diurna, atque nocturna, qua caro in ſpiritum, & in carnem ſpiritus decertat, turbatum naturæ ordinem oſtendit. Recta ratio pro tribunali ſedet, obedire ſuperiori inferiorem imperat, lites dirimere, turbulenta conſilia, prava molimina, & perduellionis machinationes auferre ſatagit. Imperat animus manui, oculo, pedibus, corpori univerſo; & imperio reſpondet obſequium. Ad nutum animi movetur, ſedet, manducat, bibit corpus. Imperat ſibi animus; & non fit quod imperat. Pugnat ſecum animus, quaſi in duos diviſus hoſtes, qui mutuas, perpetuas, atque vaferrimas adverſus ſemetipſos ſtruunt inſidias. Nihil tam diſtans a ſpiritu quam corpus; & tamen hoc illi faſces ſubmittit, obſequiumque præſtat. Nihil tam ſibi intimum, quam animus ſibi; & tamen imperio animi non paret animus; ſed animus veluti in animum aſſurgit, modo deprimit, & modo deprimitur; nunc hic palmas oſtentat, nunc ille recepta vulnera patefacit; modo concidit, modo erigitur. Pax ſancitur, & ſtatim rumpitur. Doli, fraudes, proditiones, præſtigia continua. Hæc ſunt portenta formidanda, quæ ipſius Auguſtini aciem,

Digitized by Google

ciem, tametſi acutiſſimam, obtundebant. Audiamus eiuſdem verba. *Unde monſtrum hoc? & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus ut moveatur manus; & tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium: & animus animus eſt; manus autem corpus eſt. Imperat animus, ut velit animus, nec alter eſt; nec facit tamen. Unde hoc monſtrum? & quare iſtud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult: ergo non ex toto imperat. Quoniam voluntas imperat, ut ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa; non utique plena imperat: nam, ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia iam eſſet. Non igitur monſtrum partim velle, partim nolle; ſed ægritudo animi eſt: quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Et ideo ſunt duæ voluntates, quia una earum tota non eſt: & hoc adeſt alteri quod deeſt alteri.*

IV. Ediſſerant nobis rectæ rationis falſi exaggeratores hocce naturæ arcanum. Imperat ſibi animus, ut aſſequendæ ſuæ felicitatis viam excogitet, ut ſecum per horam meditetur, ut vulnera ſibi a concupiſcentia inflicta conſideret, ut mentem ſurſum elevet, ut ſuæ naturæ auctorem contempletur, cum eodem colloquatur. Denuntiato imperio a voluntate, mens, imperio excuſſo, terga vertit, & in remotiſſimas regiones avolat, ibique in rebus omnino diverſis, vanis, ineptiſque detinetur; non ſecus ac illi qui ſerio homines alloquentes, vel audientes, ſi feles, aut catellus occurrat, hominum dimiſſo colloquio, cum catello, vel fele colloquuntur, nugantur, iocantur. Suæ abſtractionis, inurbanitatis, atque indignitatis admonitus animus, ad ſe revertitur, & ante Domini maieſtatem denuo proſtratus, veniam rogat. Vix obtenta venia, iterum aufugit, & in longinquiorem pergit regionem. His perpetuis viciſſitudinibus obnoxius animus eſt, & continuis diſſidiis, luctis, pugniſque dilaceratur in partes eo ipſo tempore quo Deum ſuum alloquitur, precatur, atque cum eo unicum ſalutis ſuæ negotium agit. Quid ad hæc novi Sapientes Lutherani? Solo naturæ lumine utique ruſticæ inurbanitatis hominem arguent, & noxæ gravitatem exaggerabunt. At iſtius ſocietatis humanæ naturæ ordinem numquid unico naturæ lumine, rectæque rationis ſolius uſu inſtaurabunt, moderabuntur? An humanam ſocietatem in ordinem redigent, continebuntque, ſi ab ordinis principio, nempe Deo, homines huc atque illuc aberrantes divagantur? Græci, Latinique Sapientes ethnici hæc omnia quæ indicavi, viderunt, ſed cauſſam neſcierunt, inquit Auguſtinus. Verum ad hoc quod pertinet, mox clarius, & preſſius urgebo adverſarios.

V. Interim tu, lector chriſtiane, ſerio meditare (lubet enim te digreſſione paullulum alloqui) quam formidandum, tremendumque myſterium ſit homo ſuper terram. Miles eſt in campo hoſtium circumdatus multitudine. Conflictus perpetui abſque induciis, inſidiæ, proditiones, certamina ſine intermiſſione. Navis eſt in me-

Digitized by Google

medio mari, hinc procellis, fluctibus, turbinibus, illinc piratis, proditoribuſque exagitata. Fremente aquarum ſtrepitu, cælum obnubilatum tonitrua, fulgura, ſagittaſque iaculatur. Fauſto ſidere coruſcante, recta portum verſus tendit, at perpetuo ſubiecta naufragii periculo. Splendidiſſimam ſupra adſpectat coronam, regale diadema, ampliſſimum imperium, felicitatem ſempiternam. Infra reſpicit flammarum voraginem, ſulphuris torrentem, fletus, ululatus, ærumnas, tormenta infinita. Et, dum portu potiri, cælumque tenere credit, en iræ, libidinis, vindictæ turbinem, qui navem ſubmergit; æternoque naufragio periclitatur homo, perpetuis ſuppliciis cruciandus. An non tremendum, formidandumque myſterium illud? Illud profunda animi demiſſione meditare o homo, & cum timore, ac tremore negotium ſalutis tuæ operare, miſſis reculis. Breviſſima digreſſiuncula opportuna viſa eſt: quidquid moroſi homines dicturi ſint.

VI. Lubet hæc omnia auctoritate ethnici Ciceronis confirmare, ut evidentius percipiant Proteſtantes Iuriſconſulti ſuam craſſam aberrationem. Itaque *Lib. III. Tuſcul. ſub init.* hæc ſcribit. *An quod corporis gravitatem, & dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus? Ita ſit ut animus de ſe ipſe tum iudicet, quum ad ipſum, quo iudicatur, ægrotet. Quod ſi tales nos natura genuiſſet, ut eam ipſam intueri & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus; haud erat ſane quod quiſquam ratione, ac doctrina requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimulatque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Quum vero parentibus redditi, ideſt magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat.*

CA-

CAPUT XI.

Uſus rectæ rationis in iure naturali explicando. Duo extrema vitanda. Humana natura fundus eſt, in quo ſuas agit radices naturæ ius. Qui veneficas iſtius ſoli qualitates ignorant, inepti ſunt ad explicanda iuris naturalis dictata. Heterodoxi, Hobbeſius, Pufendorfius, Thomaſius, VVolfius, Heinnecius, a revelata doctrina abſtrahentes, ſoli rectæ rationi innixi, cæciores Ethnicis ſunt, quod medicinam unicam morbo opportunam negligant. Iſtorum methodus Pelagianiſmum, & Naturaliſmum fovet. Errores ab iſtis evulgati contra ius naturale.

I. QUorſum, inquient moroſi cenſores, quæ latius duobus ſuperioribus capitibus diſputata ſunt? Quorſum, percontor ego, exacta infirmitatis deſcriptio, antequam definiatur quæ medicina infirmo ſanando exhibenda ſit? Fundus, in quo Deus iuris naturalis ſemina ſparſit, natura humana eſt, iis gravata morbis, quos duplici capite indicavi. An non ſtultus haberetur medicus qui homines immani lue affectos ſanare deliberaret, nulla peſtis habita ratione? Hac ipſa ſtultitia laborant Hobbeſius, Cumberlandus, Pufendorfius, Thomaſius, Barbeyracus, Heinnecius, VVolfius, qui perturbatam, confuſam, fractamque ſocietatem humanam, & ſæviſſima originalis culpæ peſte ſauciatam ſanare, qui homines felices, tranquilloſque reddere, æquabili devincire ordine, mutua donare pace, ſolo rationis naturalis lumine dirigere, ſuperciliose contendunt. Porro hoc naturæ lumen peccatum originale, omnium malorum principium, nec a longe cognoſcit; quin hoc ipſum lumen ab eodem crimine ſpiſſis circumfuſum tenebris eſt, adeoque obtuſum evaſit, ut vel ipſius iuris naturalis non pauca præcepta ſæpius inexcuſabiliter ignoret. Heinc apparere infit iſtorum hominum inſipientia. Verum, ut hæc omnia in apricum producam, tribuenda ſunt in partes ſuas.

II. Rectæ rationis uſum adhibendum in omni ſcientia eſſe, etiam revelata, nedum in morali Philoſophia, nemo, niſi qui ratione caret, ire inficias poteſt. Hoc argumentum fuſe, ac erudite de more verſant Melchior Cano *Lib. VIII. de loc theolog.* Daniel Huetius in *quæſtionibus Alnetanis de concordia rationis, & fidei*. Animadvertit laudatus Cano, duo in hoc genere fuiſſe extrema, ambo vitanda.

Unum

Unum eorum qui uſque adeo argumentis a ratione ductis addixerunt ſe, ut, ſive diſputent, ſive ſcribant, Scripturam ſacram prorſus negligant. Fuerunr, ſuntque qui ipſas theologicas diſputationes ſophiſticis, ineptiſque rationibus tranſigere in deliciis habent. Alterum extremum illorum eſt qui ſolis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis omnia definiunt. Illi *Pelagianiſmum*, iſti *Quakeriſmum* redolent. Martinus Lutherus, Pſeudopatriarcha Scriptorum quos refellere pergo, & qui omnes omnium hæreticorum hæreſes in unam fecir, ſubdit idem Cano, camerinam confluere, non modo aſſeruit, omnem Philoſophiam eſſe Theologo inutilem, & noxiam, ſed eriam omnes ſpeculativas diſciplinas errores eſſe. Verum hæc, cum præter noſtrum inſtitutum ſint, miſſa facio; illaque dumtaxat indicavi, ut notum facerem, ſemper Lutheranos per abrupta, errorumque extrema incedere. Lurherus ſemper Scripturas iactabat. Lutherani, quibuſcum ſermo eſt, Scripturas divinas omnino negligunt. Negligimus, inquient, in morali Philoſophia, ſeu in iuris naturæ ſcientia tradenda; ſecus in re theologica. Nec ego inficior, principem locum Scripturarum auctoritatem in Theologia, ſecus in iuris naruralis ſcientia occupare merito debere. At non propterea tantæ efficacitatis eſt lumen naturale, ut ſe ſolo reſerare vel ipſa difficiliora iuris naturalis arcana valeat. Homo, cum ſit natura ſua rationalis, ingenita illi ratiocinatio eſt. Hac in quacumque diſputatione, ſive divina, ſive humana, ſive naturali, ſive civili, uti deber; quin ſine ea diſputare in nulla materia valet. Porro, ſi Theologis ipſis vim ratiocinandi, & rectæ rationis exercitium concedimus, ſingulari profecto titulo id vindicamus iuris naturæ interpretibus. Exerant itaque Hobbeſiani, Puſendorſiani, Thomaſiani, VVolfiani, Heinneciani omnes ingenii vires, acuant mentis aciem, ſolidiora Metaphyſicæ principia promant in medium. Ad ratiocinandi certamen, & quidem ex principiis naturæ, illos provocamus: tantum abeſt ut iſtius generis conflictum evitemus. At nos vi rectæ rationis, doctrina revelata præfulgente, evincimus, cæcutire illos, atque turpiter in hac cauſſa ineptire. Ut vero vitilitigatoribus cavillandi anſam eripiam, quo unice tendat oratio mea exponam oportet. Dico itaque turpiter aberrare Iuriſconſultos proteſtantes, qui ut inutilem, & ſuperfluum reiiciunt Scripturarum uſum in inveſtigatione naturalis iuris, eiuſque difficilioribus arcanis enucleandis. Quare ignoranter non minus ac iniuſte SS. Eccleſiæ Patribus, & catholicis Scriptoribus improperant, quod a recta tradendæ ſcientiæ iuris naturæ methodo recedant, propterea quod in ſubſidium Scripturas ſanctas, & ſapientum teſtimonia advocent. E contrario aſſerimus nos præfata omnia ad hanc illuſtrandam ſcientiam magnopere utilia, & valde opportuna eſſe. Quod autem reipſa valde utile, quod commodum, illud cum M. Tullio, & ceteris Sapientibus in morali acceptione dicimus neceſſarium. Si quis poſtea progredi ultra velit, & diſputationem inſtituere, ſit ne doctrina revelata ſcientiæ iuris

na-

naturæ tradendæ ſimpliciter, & methaphyſice neceſſaria: quouſque humanæ mentis vires ſibi relictæ, & hoc externo divino auxilio deſtitutæ pertingere valeant quid in aliquo raro caſu evenire queat, & cetera eiuſmodi in controverſiam adducere : illis hæc enucleanda relinquo qui in vaniſſimis quæſtionibus tempus terunt. Mihi ſat eſt adverſus recenſitos Proteſtantes evincere, non ſuperfluum & intempeſtivum, ſed quam maxime opportunum, atque adeo neceſſarium Scripturarum præſidium, quo utuntur catholici Scriptores, dum iuris naturalis præceptiones interpretantur. Si enim hoc externum lumen negligimus, qua ratione ſperare a Deo poſſumus internam illam peculiarem gratiam, quam Theologi catholici ad difficiliora iuris naturalis arcana penetranda neceſſariam propugnant?

III. Ut igitur ad incitas redigamus Naturaliſtas (ſic enim compellare eos lubet) noſtros, negabunt ne illi, lumen rectæ rationis tenebrarum caligine circumfuſum eſſe? Voluntatis infirmitatem, & intellectus ignorantiam ſi inficientur, contemptione, non ratione vincendi ſunt. Omnes ne veritates iuris naturalis comprehendit intellectus, peccati originalis tenebris obſcuratus? Quid ad hæc? Si eas comprehendit; nullus ergo hominum ſaltem ſapientum in hoc genere erravit? Erraruntreapſe Sapientes, tum Græci, tum Latini : errant ipſi Naturaliſtæ noſtri, contraria inter ſe docentes, & ruſticiſſimis conviciis ſe ſe proſcindentes. Ergo ſuperiori lumine eget intellectus humanus, quo potiſſimum difficiliora naturæ iuris dignoſcere præcepta valeat. Pelagiani ne ſunt Puſendorfiani, Thomaſiani, VVolfiani, aliique? Negant? Concedunt ergo mentis ignorantiam, ex peccati labe contractam. Quo lumine ignoratio iſthæc pellenda eſt? Non naturali, tenebris ſepto. Ergo divino ſupernaturali. Neceſſaria ergo eſt revelata doctrina, divinumque lumen in ipſo naturæ iure recte interpretando.

IV. Inſipientiam, audaceſque conatus Hobbeſii, Puſendorfii, Barbeyraci, Heinnecii, Thomaſii, Volfii, aliorumque Naturaliſtarum evidentius demonſtro auctoritate tum humana, tum divina. Utramque excludunt Naturaliſtæ noſtri. *Barbeyracus* in præfatione ſua ad *Puſendorfium*, non Patres modo Eccleſiæ chriſtianæ, ſed ipſos & Græciæ, & Latii Sapientes omnes reiicit. Idem fere præſtat *Bruckerus*. Hi novi Socrates, Platones, Stagiritæ, Triſmegiſti, Tullii aquilonares iuris naturæ ſcientiam mundo peperere. Porro, ut feſtiva ſane, & iucunda leviculorum hominum perſuaſio quantum aberret a veritate, pateſaciam, duo adverſus illos ex Sapientum auctoritate depromo. Unum, quod ius naturale, cum ſit ipſius naturæ germen, non aliunde melius, excepta doctrina revelata, hauriri quam ex ipſius naturæ voce, quam ex hominum conſenſu, poteſt. Porro Sapientes iſtius naturæ, Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles apud Græcos, Tullius, Seneca apud Latinos, plura iuris naturæ præcepta una voce interpretati ſunt. Inſipienter ergo eoſdem audire recuſant Sapientes Cimbri noſtri. Alterum, quod Sapientes iſti

in

in graviſſimos lapſi errores ſunt, ſolo naturæ lumine hominum ſocietatem moderantes. Alterutrum ergo confiteantur oportet adverſarii: aut ſolum rectæ rationis lumen ſufficiens haud eſſe ad univerſam iuris naturalis ſcientiam aſſequendam, docendamque; aut ſemetipſos Sapientes eſſe, non dicam e cælo delapſos, in naturali iure interpretando, ſed infra Deum ſupra omnes mortales perſpicaciores. Secundum concedent illi. At nos tum ipſorum armis eoſdem conficimus. Mutuo enim & ipſi ſecum pugnant; & quod unus adfirmat, negat alter. Ipſorum ergo experimento rationis rectæ lumen caligat in ſubeundis naturæ receſſibus.

V. Denique divinæ revelatæ doctrinæ auctoritate Naturaliſtarum inſipientiam, atque ineptiſſimam tradendæ iuris naturalis ſcientiæ methodum patefacimus. Eccleſiaſtes cap. III. *Mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem.* Sed, miſſis pluribus iſtiuſmodi teſtimoniis, unum affero ex III. Reg. cap. III. verſ. 7. & ſeq. *Et nunc, Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum. Et ſervus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum iſtum, populum tuum hunc multum? Placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomon poſtulaſſet huiuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum; ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.*

VI. Salomon a Deo petit, non myſteriorum fidei, non arcanorum prædeſtinationis, & reprobationis, ſed regendæ, moderandæque Hebraicæ ſocietatis ſcientiam. Cognovit Salomon humanum ingenium, & quam ſint illius vires imbecilles, inquiens Eccleſ. I. *Cunctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicare ſermone.* Idque repetit Sap. IX. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Animadvertit Melchior Cano ipſum Ariſtotelem hanc eamdem veritatem, experimento, intimoque ſenſu edoctum, declarare. Prudenter quippe inquit, mentis noſtræ aciem non aliter ad ea quæ manifeſtiſſima ſunt, caligare quam noctuæ oculos ad fulgorem ſolis. Nec opus eſt ut fuſiore oratione pandamus quam infirmi ſint ingenii noſtri conatus, quam anguſta, fluxa, & infidelis memoria, quam impeditum, retuſum, & obſcurum acumen. Et tamen licet hæc omnia vera ſint, nihilominus *Naturaliſtæ aquilotares* voce ſcriptoque Chriſtiani

Tho-

Thomaſii clamant loc. laud. cap. IX. num. 7. *Scripturæ ſacræ ſcopum eſſe felicitatem futuri ſæculi ; doctrinam autem moralem , & totam iuriſprudentiam intendere ſaltem VERAM felicitatem vitæ præſentis* . Quod paganus Ariſtoteles huius vitæ felicitatem in mente, quam infirmam faſſus eſt, contemplante veritatem, ſeu beatitudinem temporalem locaverit, graviter utique erravit, cum experientia oppoſitum ſentiret; at, quod *Naturaliſtæ*, Thomaſiani, VVolſiani, Heinneciani, lumine chriſtianæ fidei in baptiſmate perfuſi, & evangelicam legem profitentes, veram felicitatem præſentis vitæ in iuris naturalis meditatione, cognitioneque conſtituant, error eſt eiuſmodi, qui iſtorum hominum indolem manifeſtat. Neminem Salomoni ſimilem ſurrecturum Deus revelavit. Sed ecce pluſquam Salomones ſunt Puſendorfiani, & VVolſiani. Scientia ſe deſtitutum declaravit Salomon, quæ ſatis eſſet ad anguſtam Rempublicam Iudaicam moderandam . Adverſarii autem noſtri ſolo rectæ rationis lumine univerſam totius humani generis Rempublicam ſe dirigere , & quidem irreprehenſibili ordine , oſtentant , atque iactabundi gloriantur.

VII. Ut iam ſupra animadverti, ipſi Ethnicorum Sapientes humani ingenii imbecillitatem agnoverunt. Quid itaque Patres omnium ſæculorum veritatem eamdem confirmantes, referam? Pauca tantum ex Auguſtino, & Thoma delibabo. S. Auguſtinus Lib. II. de peccat. merit. & remiſs. cap. v. *Sicut corporis oculus non adiuvatur luce, ut ab eadem luce clauſus averſuſque diſcedat; ut autem videat, adiuvatur ab ea; neque hoc omnino, niſi illa adiuverit, poteſt : ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adiuvat noſtræ mentis obtutum.*

VIII. S. Thomas Aquinas Lib. IV. contr. Gent. cap. 1 1 1. *Patitur autem communiter humanum genus diverſas pœnas & corporales, & ſpirituales .... Inter ſpirituales autem eſt potiſſima debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus beſtiales omnino ſuperare non poteſt , ſed multoties obnubilatur ab eis .* Similia habet 2. 2. quæſt. 11. art. 4. *Humana ratio in rebus divinis eſt multum deficiens : cuius ſignum eſt, quia Philoſophi de rebus humanis naturali inveſtigatione perſcrutantes in multis erraverunt, & ſibi ipſis contraria ſenſerunt.*

IX. Verum, ut Iuriſconſulti proteſtantes gravius ſentiant craſſam ſuam aberrationem, audiant ipſum Platonem *in Phæd. pag. 85. edit Ser.* ſic loquentem. „ Nam „ mihi quidem, SOCRATES, æque ac tibi videtur de huiuſmodi rebus certam, „ ratamque cognitionem habere , aut eſſe earum rerum quæ nullo modo fieri „ poſſunt , aut certe quæ cum ſumma difficultate contingunt ... Hoc vero unum „ illis in rebus ſtudioſe eſt elaborandum , ut aut diſcamus quomodo hæc ſe ha- „ beant, aut inveniamus; aut ſi hoc fieri non poteſt , humanarum ſaltem ratio- „ num, ea quæ melior, firmiorque , ideſt quæ minus refutari poſſit, delecta, ei

„ quaſi

Digitized by Google

„ quaſi inſideamus, ut illa tamquam rate vecti vitæ iſtius pericula, difficultateſ-„ que enavigemus; niſi quis poſſit certiore, tutioreque modo, firmiore videlicet „ vehiculo, *ideſt divino quodam verbo traduci, atque tranſmitti* &c." Divinæ revelationis neceſſitatem Platonem recenſitis verbis docere fatentur eiuſdem Interpretes ad iuris naturalis ſublimiores veritates cognoſcendas. Et hanc ipſe revelationem ardentibus votis expetebat, ut evidenter conſtat ex *dialog. 2. ALCIB. pag. 150. & 151. Edit. Ser.* ubi *Socratem*, & *Alcibiadem* ſic colloquentes introducit. *SOCR. Neceſſarium eſt igitur expectare, donec quis diſcat, quo animo & erga deos, & erga homines eſſe oporteat. ALC. Ecquando vero tempus illud erit, SOCRATES? Et quis illud docturus eſt? Lubentiſſime enim viderem hunc hominem, quiſnam ipſe ſit. SOCR. Hic ille eſt nimirum qui de te curam gerit. Sed mihi videtur quemadmodum ait Homerus Minervam Diomedi caliginem ab oculis ſemoviſſe:*

Scilicet ut recte norit Divumque, hominemque:

Sic oportet te, excuſſa ea quæ oculis tuis nunc obverſatur, caligine, propius oculorum aciem ad eam rem admovere, ut poſſis noviſſe malumque, bonumque. Nunc enim id quidem poſitum eſſe videtur extra tuam poteſtatem. ALC. Auferat ſive caliginem, ſive quid aliud voluerit. Ita enim me comparavi, ut nihil eorum quæ ille imperaverit, ſubterfugiam, quicumque tandem fuerit vir ille, dummodo melior ſim evaſurus. SOCR. Atqui & ille mirifico quodam erga te eſt affectus animo. ALCIB. Ad illud igitur uſque tempus operæ pretium fuerit differre ſacrificium. SOCR. Et recte tu quidem: ita enim tutius videtur quam ut tanti periculi aleam ſubeas. Plato, Socrates, Alcibiades, & ceteri Ethnicorum Sapientes tenebrarum caligine undique circumfuſos in inveſtigatione naturæ iuris ſeſe fatentur: idcirco neceſſariam divinam lucem eſſe ad eiuſmodi tenebras diſſipandas docent, & eadem ſe perſundi enixis precibus implorant. Puſendorfius, Thomaſius, ceterique Iuriſconſulti proteſtantes e contrario, Socrate, Platone, Alcidiade doctiores, ſapientioreſque ſupra tenebrarum chaos conſtituti ita toti coruſcant, ita undique refulgent, ut, reiecta quacumque cæleſti divinaque revelatione, valeant vel ſublimiora iuris naturæ arcana propria mentis ratione ſola luculentiſſime reſerare.

X. Paucis omnia perſtringam. Lumen intellectus humani caligat in ipſa veritatis naturalis meditatione. Quid, ſi veritas hæc ad morum reformationem pertineat? Hoc in eventu concupiſcentiæ, humanarumque appetitionum lutulenti vapores, atque ſpiſſæ tenebræ obnubilant rationis lucem: impotentis voluntatis impetus ſecum abripit mentem, illamque in caliginoſo carcere ſepultam detinet. Puſendorfius, Thomaſius, Cumberlandus, VVolfius, ceterique naturæ iura interpretantur, ut homines imbuant, dirigantque in Deum, in ſeipſos, in proximos. Duplici ergo ratione lumen intellectus humani foveri ſuperiori lumine debet, & propter mentis infirmitatem in ipſa abſtracta veritate inveſtiganda, & propter mutuam il-

lam coniunctionem voluntatis cum concupiſcentia, ceteriſque pugnantibus appetitionibus. Adhibeatur utique mentis oculus in iuris naturæ inveſtigatione: intendatur intellectus acies, rectæ rationis fax præcedat, ſubeat naturæ receſſus toto virium conatu; verum, cum paſſim ſinus occurrant tortuoſi, anfractus obſcuri, quos mentis oculus non diſcernit, tum lux doctrinæ a Deo revelatæ affulgeat neceſſe eſt, tum cæleſti lumine mentis noſtræ tenebræ diſſipandæ ſunt.

CAPUT XII.

Adverſariorum ſophiſmata profligantur.

I. QUo pertinet tam altius exaggerata oratio? An hæc duo lumina, revelationis, & rationis, ſeparari nequeunt? Individua ne hæc ſunt? Porro, ſi ſeparantur reipſa, quæ lex cogit ut illa nos ſemper in diſputationibus coniuncta adhibeamus? Mens noſtra eſt, inquit Puſendorfius in *Eride Scandica* ad lectorem adverſus Seckendorfium, quæ ius univerſale ex principiis lumine rationis cognitis arceſſit. Lumen iſtud cunctis hominibus opportunum, atque ad moderanda omnium hominum inter ſe officia, nullo habito religionis diſcrimine, ſat eſt. Quo iure media in luce expoſito, cuique licet, quæ ſua religio, ſive chriſtiana, ſive iudaica docet, eidem ſuperaddere. Nos non ſolos alloquimur Chriſtianos, ſed omne prorſus humanum genus. Innumeræ ſunt nationes quæ doctrinam revelatam ne agnoſcunt quidem, nec eam admitterent, ſi eiſdem manifeſtatetur. Quid itaque religionis chriſtianæ intereſt, ſi doctrina natura prior eadem religione, nec ei adverſa, vel repugnans, ſed amice potius cum eadem conſpirans, tradatur iuxta nativam ſuam indolem, quin *alteretur, aut particularis reddatur per aſſumptas e chriſtiana religione hypotheſes, quas alii non Chriſtiani ignorant, aut non agnoſcunt, immo ex ipſis Chriſtianis aliqui in dubium revocant, quibus tamen univerſali iure utique opus eſt*. Verba ſunt Puſendorfii *loc. cit.*

II. Adverſus hoc Puſendorfii ſyſtema ſcripſerunt, ut indicavi ſupra, præter alios Valentinus Alberti, & Seckendorfius, ſimiliter Lutherani. Aſſentiuntur iſti, ut iuris naturalis decreta deducantur ex ſolis principiis quæ recta ratio ſuggerit, abſtrahendo a doctrina relevata, dum Ethnici, ſecus dum Chriſtiani imbuendi ſint. Quam diſtinctionem ptopulſare ibidem Puſendorfius ſtudet. Divina Scriptura, inquit, principia, aut diſciplinam iuris univerſalis non tradit; quin hanc diſciplinam ſupponit. Quapropter S. Paulus *Rom.* I. & 2. gentes arguit, quod flagitiis cum recta ratione pugnantibus ſe inquinaſſent; quod legem, eorum cordibus inſcriptam, ita vitiorum caligine obſcuraſſent, ut vel ipſum Deum verum inexcuſabilitet ignorarent. Porro Ethnici iſti argui iure nequeunt ob violatam naturalem legem, ex prin-

principiis doctrinæ revelatæ minime cognitam. Quid quod ius civile Romanum, cuius in magna chriſtiani orbis parte uſus invaluit, ab Ethnicis conditum primum eſt? Nec cohæret, ſubdit Puſendorfius, ratiocinium iſtud. Turcæ, & Ethnici non legunt noſtros libros. Ergo ius univerſale non eſt aptandum ad captum omnium gentium; ſed ſuperſtruendum eſt hypotheſi, quæ a magna parte generis humani non agnoſcitur. Non cohæret, inquit ille: nam artes formandæ ſunt, & ſcientiæ, prout earum indoles requirit, ſive paucos, ſive multos lectores inveniant. Tandem ad id quod ultimo loco opponebant Valentinus, & Seckendorfius, hoc Puſendorfii ſyſtema in cauſa eſſe cur iuventus verbum Dei faſtidiat, atque in pietate frigeſcat, reſpondet ille, falſum hoc eſſe, cum aliunde iuventutis pietas accendi, & foveri queat.

III. Chriſtianus Thomaſius, Budæus, aliique communiter victoriam adiudicant Puſendorfio, cuius cauſſam & ipſi amplectuntur defendendam. Budæus in *Hiſt. nat. §. 36.* hæc ſcribit. *Ego vero maximopere miror potuiſſe inter viros doctiſſimos ullam hac ſuper re exiſtere diſſenſionem. Puſendorfius illorum exponebat officia qui chriſtianæ religionis ſunt expertes: horum contra inſtruunt vitam & Theologi, & quotquot naturæ aut integræ, aut reſtitutæ conditionem conſiderant. Alio itaque fundamento illum, alio hos niti oportet. Recte utique hæc a ſe invicem diſcernuntur..... Superiorem ex hoc certamine diſceſſiſſe Puſendorfium multa evincunt. §. 37.* ibi.

IV. Hæc omnia ſigillatim referre libuit, ne quidquam nos diſſimulaſſe clamitent. Paucis omnia perſtringam. Utraque pars, ut ego quidem ſentio, erravit. Puſendorfii ſyſtema reipſa falſum erroneumque: illud adverſarii conatu minus felici exagitarunt. Ut Puſendorfianos, Thomaſianos, Heinnecianos, Budæanos, VVolfianoſque preſſius urgeam, unum & alterum præmitto. Et primum iuris naturæ decreta alia perſpicua, & manifeſta omnibus; alia difficilia, alia difficiliora, alia difficillima, & abſtruſiſſima. Splendida, omnibuſque pervia illa de quibus loquitur Paulus *Epiſ. ad Rom. cap.* 1. & 2. Hæc obiicienda ſunt tum Chriſtianis, tum Ethnicis, iſtorumque lumine vitiorum horrorem patefacere. Mentis oculus ſuum exequatur officium, penetret iuris arcana, quoad vires ſatis ſunt. At, ſi oculus infirmus, atque caligans eſt, adiicienda eidem ſunt perſpicilla: lumen inferius ſubobſcurum fovendum lumine ſuperno, & divino eſt. Alterum, mentem humanam, ſeu lumen rationis obnubilatum, obſcuratumque reipſa eſſe, & ad plura iuris naturæ decreta cognoſcenda ineptum. Hanc veritatem omnes Chriſtiani fatentur, ut ſupra demonſtravimus. Doctrina ergo revelata & Chriſtianis, & Ethnicis, & univerſo generi humano neceſſaria eſt ad exactam univerſi naturæ iuris cognitionem. Nec eſt quod reponas, Ethnicos, Turcaſque flocci facere doctrinam revelatam, Scripturas divinas riſu, & ſibilis excipere. Intempeſtiva reſponſio hæc. Quoniam nunc quæſtio haud eſt, ſint ne Ethnici Scripturas divinas amplexuri. Scimus, has

ab illis ignorari, & nihili fieri. In hoc vertitur difficultatis cardo: ſit ne univerſo generi humano, originalis culpæ labe inquinato, tenebriſque obducto, neceſſaria doctrina revelata ad difficiliora iuris naturæ decreta agnoſcenda, ad ordinem iſtius ſocietatis humanæ moderandum? Quo poſito, ſic urgeo Puſendorſianos, VVolſianoſque. Cum aliquam artem docere debeo, ſilere ne iure valeo aliquod potiſſimum eiuſdem artis inſtrumentum, vel aliquod principium; tametſi ſciam a pluribus nationibus illud minime ſuſcipiendum fore? Sat mihi eſt, evidenter conſtare, hoc principio, vel inſtrumento talem ſcientiam, aut artem egere, ut illud manifeſtare debeam. Omnes Chriſtiani fatemur, caligare humanæ mentis aciem in inveſtigatione iuris naturæ, niſi doctrina revelata illuſtretur. Ideo ne negligenda, ſilendaque veritas hæc eſt, quod ſurdi Ethnici audire eam nolint? An medicus alicuius infirmitatis curam præſcripturus, veram, neceſſariamque medicinam ſilentio præterire licite valet, propterea quod plures ægroti nolint eam ſuſcipere? Nonne fatetur ipſe Puſendorfius, artes, ſcientiaſque formandas eſſe, prout earum indoles requirit, ſive multos, ſive paucos inventuræ lectores ſint? Atqui veritas luculentiſſima eſt, & certiſſima, ſcientiam iuris naturæ, qua regitur humana ſocietas, indigere doctrina revelata. Ergo hæc doctrina, hoc cæleſte lumen manifeſtandum eſt, ſive multi, ſive pauci lectores illud ſuſcepturi ſint. Numquid Chriſtus omnibus gentibus ſuam non revelavit doctrinam? Quid ergo tu abſcondis theſauros quos omnibus communes eſſe Dominus imperat? Utique, dum inſtruendi Ethnici ſunt, a iuris naturæ principiis initium ducendum eſt. At numquid ibi ſubſiſtendum?

V. Ex quibus colligas velim, utramque Lutheranorum factionem errare. Siquidem Puſendorfius cum ſuis erravit, quod reipſa doctrinam iuris naturæ a doctrina revelata omnino ſeiunxerit. Valentinus Alberti, & Seckendorfius minus feliciter Puſendorfii errorem profligarunt, quod docuerint, coniungendam doctrinam utramque eſſe, dum Chriſtianis, ſecus dum Ethnicis iuris naturæ decreta explicantur: & ad hoc quod attinet, etiam iſti hallucinantur. Nam veritas, non uni nationi, non uni populo, ſed univerſo humano generi manifeſtari omnino debet. Id ſolum verum eſt, alio modo Ethnicis, alio modo Chriſtianis proponendam veritatem eſſe; ſicut alia via pueri, indocti, ruſticique, alia adulti, experrecti, atque exercitati imbuuntur.

VI. Diſtincta ſunt, & ſeparata hæc duo lumina, rationis, & revelationis; at non ſeparatus homo eſt, qui utroque lumine eget. Quid ergo nugantur Puſendorfiani, Heinneciani, VVolſianique, ſe inſtruere Ethnicos velle? Taceo, quod vix ſive Turcarum, ſive Ethnicorum aliquis umquam lecturus ſit illorum opera. Sed quæro: Ethnici iſti ſuntne homines culpa originali ſauciati? Doctiores ne iſti, eruditioreſque Chriſtianis ipſis? Chriſtiani utroque lumine egent. Potiori ergo iure eodem indigent rudiores, cæcioreſque Ethnici. Indigent; ſed illud non recipiunt.

Quid

Quid inde ? Numquid illorum obſtinatio a recta tradendæ doctrinæ methodo abſterrere viros doctos debet ? Aberrant ergo toto cælo Lutherani Doctos, re dum in exponendo naturæ iure, neglecto revelationis lumine, ad ſolius rectæ rationis tribunal omnia vel difficillima arcana ſolvenda revocant. Et miranda ſane ſecta iſta eſt, quæ, cum olim ubique creparet Scripturas divinas, in præſentia eaſdem faſtidiat, earumque uſum negligat. Verum arcanum iſtud mox reſerabo.

VII. Franciſcus Budæus Lutheranus *Inſt. moral. P. II. in prolegom. §.* 11. laudat conſilium *Valentini Alberti* adverſus Puſendorſium; at ſimul propugnat, Puſendorſium non erraſſe. *Nec tamen erravit Puſendorſius, dum idem ius naturæ tantum ſecundum rationem traderet*. Faſſus quippe eſt Puſendorſius in *præf. Lib. de offic. hom. & civ.* in Theologia morali recte adhiberi doctrinam revelatam. Quid intelligit Puſendorſius nomine Theologiæ moralis? Reſpondet ipſe cit. præf. §. 1. *Tertia Theologia moralis habetur, illi parti Theologiæ contradiſtincta qua credenda exponuntur*. Confinia inter ius naturale & Theologiam moralem deſignat §. 3. *Non quidem*, inquit, *pro auctoritate papali, ac ſi ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum foret... ſed tamquam talis, cui ſpartam ſibi commiſſam pro modulo ingenii exornare cordi ſit*. Nonne opportune hic intruditur *auctoritas papalis?* Sed miſeri homines, dummodo aurito diſcipulorum gregi, & tunicato popello ut deridendum repræſentent Papam Romanum, tum doctos effeciſſe ſuos auditores, lectoreſque gloriantur. Verum, ut nos intra præſtitutam viam conſiſtamus, dicimus, tam *Budæum*, quam *Puſendorſium* craſſa hallucinatione & ſe, & lectores decipere, nugis, & chimæris hominum mentes paſcere. Theologia moralis, credenda non proponit ? Et ea ſcientia, quæ hominum officia moderatur adverſus ſeipſum adverſus Deum, adverſus proximum, non eſt moralis ? Hanc ſcientiam morum, ſeu moralem eſſe, ſoli dementes negarent. Vides, viros iſtos ſummos, vel ipſas communiſſimas notiones implicare, ut fucum faciant imperitis? Hanc moralem doctrinam vocarunt omnes tum Latini, tum Græci Sapientes. Et quoniam iſti doctrinam revelatam ignorarunt, & ex ſolis rectæ rationis principiis morum ſcientiam derivarunt; idcirco in plures errores lapſi ſunt, ut alias diximus, & dicendum ſæpius eſt. Sapientiores ne Budæus, Puſendorſius, Barbeyracus, ceterique commilitones omnibus Græciæ, & Latii Doctoribus, ut abſque doctrina revelata imbuere homines poſſint? Puſendorſius *loc. cit. §. 6.* unum præ aliis diſcrimen inter Theologiam moralem & ius naturale aſſignat, quod illa hominem chriſtianum informet ad æternam vitam comparandam; iſtud vero *hominem formet, prout hanc vitam cum aliis ſociabilem exigere debeat*. Cedo. Solo iuris naturalis lumine efficere ne vales in hac vita hominem honeſtum, civem ſincerum, fortem, fidelem? Homo a te imbuendus commentitius ne eſt, an verus, qui ex-

tet in rerum natura? Verus, inquis, & quidem peccati originalis vulneribus circumquaque ſauciatus. Hunc ergo hominem tu felicem, fauſtumque reddere contendis in hac vita? Pro futura vero comparanda illum docebit Doctor Theologus? An non vides quod duplici ex capite aberras a veritate? Primo, quod hæc iuris naturæ ſcita difficiliora a caligante hominis mente comprehendi nequeant, niſi lumen divinæ revelationis tenebras diſſipet. Secundo, licet reipſa doctrina revelata, & ſcientia naturæ iuris differant inter ſe, ſintque reipſa ſeparatæ, quid inde? Homo imbuendus duabus ſubſtantiis conſtat, quæ mutuo pugnant. Hoc bellum inteſtinum inter has duas ſubſtantias foras erumpit, & ſocialitatem humanam fraudibus, dolis, rapinis, iniuriis abrumpit. Tu ne ſola iuris naturæ ſcientia hominum tum intimam, tum extimam tranquillitatem moderari, & mutuam inter eos conſervare iactas ſocietatem? Nemo id hactenus aſſecutus eſt. *Inſiſtis*: Ego ſocietatem civilem, Theologus moralem ſervabit. Nugæ hæ ſunt, gerræque vaniſſimæ. Moralis quippe eſt actuum humanorum directio: & ut craſſiſſimum errorem defendas, rerum naturas adulterare, ac pervertere ſtudes. Dicas, mi homo: perduellio illa furens carnis adverſus ſpiritum nonne ordini repugnat naturali? An non iure naturæ pars inferior obedire ſuperiori aſtringitur? Velis, nolis, adfirmare cogeris. Hunc perturbatum naturæ ordinem agnoverunt ethnici Sapientes; at cauſam neſcierunt: idcirco erroribus ſcatet eorum moralis. Ab hac cauſſa abſtrahere Puſendorfiani volunt in moderandis hominum officiis. Ergo gravius quam ipſi Ethnici aberrant.

CA-

CAPUT XIII.

ARCANI ſuſpicio, cur novi heterodoxi Scripturarum uſum in iuris naturalis explicatione reiiciant, manifeſtatur. Illorum contra ius naturæ errores graviſſimi. Ineptiſſime exprobrant Caſuiſtis noſtris laxas opiniones, cum ipſi craſſiſſimos errores doceant. Illorum calumnia, quod apud nos Catholicos lumen rationis ſupprimatur, denuo exploditur. Monitum ad ſaperdas quoſdam Italos Grotianos, Puſendorſianos, VVolfianoſque.

I. NUllus dubito quin multorum iam cenſuras ſubierim, quod oratione adeo prolixa ſyſtema Puſendorſianum, aliorumque gregalium exagitaverim. Paucis, inquies, tranſigenda res erat; cum error profligatus, utpote parvi momenti, dignus tam longa diſputatione minime eſſet. Ita ne vero? Imperitorum ſententia hæc eſt. Scopus iſtius ſyſtematis aperiendus, ut & iſti, quo res pertineat, agnoſcant. Docent itaque communiter Auctores laudati, nihil CHRISTUM IESUM in Evangelio prohibere quod non fuerit lege naturali vetitum. Hac ratione licitas *uſuras* moderatas defendunt, licita *falſiloquia*, licitam quoque *polygamiam* ſuſtinent. Quo principio conſtituto, nemo non videt, univerſum evangelicum ædificium a ſummo ad ima dirutum iri. Quoniam licet eorum quæ Chriſtus in Evangelio prohibet, plurima ſint iure naturæ vetita; tamen, ſi leges divinæ ratiocinii naturalis examini ſubiiciantur, actum de Evangelio eſt. Porro ita res ſe habet. Proteſtantes noſtri, neglecta doctrina revelata, & eiuſdem iudice, ſola natura duce iuris decreta ſub examen inducunt; canones iſtius iuris condunt definiuntque. Quid tum? Ad iſtos canones doctrinam revelatam revocant. Exemplis diſputatio evidentior fiat. Uſura, polygamia, divortium &c. inquiunt Proteſtantes ſaltem plures, iure naturali vetita non ſunt. Ergo neque lege revelata, potiſſimum evangelica. Textus itaque doctrinæ revelatæ, qui prohibere videntur fenora, polygamiam, divortia &c. ad legis naturalis præſcriptum interpretandi ſunt. Et quamquam præfata omnia lege naturali reipſa vetita ſunt; tamen, quia demonſtrationes ab iſtius iuris principiis arceſſitæ non ita cuique ingenio evidentes apparent, quin cavillationibus, & ſophiſmatibus nequeant implicari, conſequitur Proteſtantes perpetuo contrariarum opinionum fluctu circumvolvi,

Digitized by Google

cum iudicem, qui definiat ſint ne, an ſecus, recenſita peccata vetita, ipſi non habeant.

II. Hugo Grotius, Scriptor gravis, & quem ſemper a communi Proteſtantium grege exceptum volo, vim argumentationis faſſus eſt Lib. I. de B. & P. cap. II. *§. 6. Illud libenter agnoſco, nihil nobis in Evangelio præcipi quod non naturalem habeat honeſtatem; ſed non ulterius nos obligari legibus Chriſti, quam ad ea ad quæ ius naturæ per ſe obligat, cur concedam, non video. Et qui aliter ſentiunt, mirum quam ſudent, ut probent, quæ Evangelio vetantur, ipſo iure naturæ eſſe illicita, ut concubinatum, divortium, matrimonium cum pluribus feminis. Sunt quidem hæc eiuſmodi, ut eis abſtinere honeſtius eſſe dictet ipſa ratio; at non talia, ut abſque lege divina nefas in illis appareat.*

III. Grotius haud præſenſit, e ſuis Proteſtantibus, & Evangelicis reperiendos fore qui polygamiam, nedum uſuram, ut licitam, & triumphantem propugnarent. At, ut narrat vel ipſe Chriſtianus Thomaſius *in Hiſt. iur. nat. cap.* VI. *§. 16.* prodiit dialogus de polygamia ſub ficto nomine *Sinceri Vahrenbergii*, ſub quo nomine creditus fuit communiter latere *Ioannes Lyſerus*, qui ſub *Athanaſii Vincentii*, & *Theophili Alethæi* nomine poſtea polygamiam, non ſolum licitam, ſed & præceptam eſſe, defendere voluit. Addit Thomaſius. „ Illo vero tempore per non pau„ca Germaniæ loca diſſeminatum fuit a viro non obſcuræ famæ (*Ioanne Adamo* „ *Scherzero*) ac ſi *Pufendorfius* auctor ſcripti *Vahrenbergiani* eſſet. Et, cum Fri„dericus *Geſenius* ſuperintendens Garlebienſis ſub nomine *Chriſtiani Vigilis* diſſer„tationem ſuper polygamia ſimultanea *Sincero Vahrenbergio* oppoſitam ederet, „ de *Sincero Vahrenbergio* ita ſcripſit, ut diſerte quidem Pufendorfium eius aucto„rem eſſe non aſſereret, ſed iis tamen verbis uteretur quæ a quovis impartiali „ lectore ſic intelligerentur, ac ſi *Pufendorfium* argueret, quaſi ſub iſto *Vahrenber*„*gio* latitaret. “

IV. En quo turpiſſimorum errorum adducit *la liberté de penſer*: qua libertate ut fruantur docti noſtri heterodoxi tranſalpini, defectionem a vera Chriſti Eccleſia fecerunt. Sed reſcribamus quæ docet ipſe Chriſtianus Thomaſius in cit. Hiſt. iur. nat. præf. ſec. I. num. 42. pag. 9. *Huius iuris neceſſitas & uſus exinde quoque apparebat, poſtquam diſputatione publica anno 1685. Lipſiæ habita de crimine bigamiæ, oſtenderam, ne quidem muliebris polygamiæ prohibitionem ex ſolo iure naturæ demonſtrari poſſe, murmurantibus quidem multis eruditis, ſed ob deficientiam rationum evidentium publice contradicere non audentibus. Ut iam taceam, nullas libidinis ſpecies ex iure naturali ſufficienter impugnari poſſe, quod oſtendi cap.* II. *Lib. III.* Hic autem Liber tertius eſt illius Tomi inſcripti *Fundamenta iur. nat. & gen.* &c. ubi plura congerit in libidinis favorem. Inter alia hæc ſcribit cap. II. num. 27. pag. 255. *Concubinatus tam antiquus, quam hodiernus vagæ libidini, id eſt beſtialitati, ſcortatio-*

tioni, ſtupro, eſt oppoſitus, atque ab iis qui concubinatu utuntur, ad evitandum concubitum libidinoſum uſurpatur. Saltem in eo differt a matrimonio, quod concubina, & liberi inde nati non ſint iuſta uxor, & liberi. Fit enim ſæpe ad dies vitæ, niſi quod libertas divertendi, & pœnitendi hic ubique maior fuerit. Quod vero ad ſpecies ſcortationis fuerit relatus, iterum debetur CLERO PONTIFICIO, qui, ut diximus, omnia dicebat ſcortationem, cui non acceſſerat benedictio ſacerdotalis. His exceptis, reliqui Scriptores appellant matrimonium ſecundarium, vel ſimile quid.

V. En patefactam arcani ſuſpicionem cur Lutherani noſtri in moderanda humana ſocietate, regendiſque hominum officiis, abſtrahere a doctrina revelata tanto ſtudio adnitantur: ut uſuras, ut polygamiam, ut concubinatum, vel *ſimile quid* honeſtare facilius valeant. *Clero Pontificio* debetur, quod concubinatus ſcortationum flagitiis accenſeatur? Ceterum per Lutheranos eſt *matrimonium ſecundarium*, vel *ſimile quid?* Scitiſſime. Quid eſt *τὸ ſimile quid*? Feſtiva profecto phraſis, & iucunda expreſſio. Et homines iſti vocem exaltare adverſus Caſuiſtarum noſtrorum laxas opiniones audent? In quo Caſuiſta Pontificio tam monſtroſæ aberrationes ut illæ quæ ex Lutheranis Theologis reſcriptæ ſunt? Quis Caſuiſtarum defendit concubinatum, ut *matrimonium ſecundarium*, vel *ſimile quid*?

VI. In huius diſſertationis calce, ad illos quorum initio memini, ſemidoctos quoſdam Catholicos convertere orationem paulliſper volo. Ex paucis quæ hactenus delibavi, colligere iſti valent, quo loco habendi ſint Auctores illi quorum ſtudere operibus ſolent, & non tantum ut magiſtros ſuſpicere. Quam ſint Scriptores iſti delirantes, impudenteſque in univerſi humani generis Sapientes, inde conſtat quod a Luthero, a Zvvinglio, ab Hobbeſio, a Cumberlando, a Pufendorfio purgatam a ſuperſtitione religionem, a barbarie defæcatas litteras, inſtauratam iuris naturæ ſcientiam ovantes iactent. Apud novos iſtos Septentrionis Ariſtarchos Græciæ, Latiique Sapientes, primi Chriſtianorum Doctores vileſcunt, Theologi ſcholaſtici ſtupidi, & trunci ſunt. Doctrina divinitus revelata, ſin baſilice contemnitur, data opera negligitur. Solius naturæ iuris decreta ſe interpretari gloriantur. Inter hæc vero naturalia decreta eminet *Papatus Romanus*, quem ſingulis diſputationibus interſerunt. Huc tandem recidunt illorum maledicta, impotens furor, impoſturæ, & convicia tam ruſtica, quæ vel ſervum pecus, tunicatumque popellum dedeeent. Suppreſſum in Eccleſia Romana rationis lumen calumniantur tanta impudentia, quæ fidem ſuperat omnem. Et, quoniam hunc præ ceteris clavum tundunt, ſub oculos revocare illorum dilemma intereſt. Barbeyracus, ſive quicumque alius ſit Auctor præfationis ad librum Doctoris *Bentley* inſcriptum, *La Friponnerie laique des pretendus Eſprits-forts d'Angleterre* contra libertatem cogitandi Doctoris *Collins* hæc dictatorio ſtilo gallice ſcribit *pag. 31.* quæ latine ſic verto. *Alterutrum fateantur* (Romani) *neceſſum eſt. Aut potiuntur homi-*

mines iure examinandi quæ credunt, aut ſecus. Si ais, Eccleſia, quæ homines hoc iure privat, falſa, iniuſta, tyrannica ſit oportet. Si peccant homines credenda diſcutientes, Eccleſia Romana ad peccandum eos ſollicitat, dum foris extantes ad ſe trahere ſtudet. Eccleſia hæc ſimilis leonum cavernæ, obſcuroque carceri eſt: extra quem oculis opus eſt, ut eumdem ingrediaris; ſed intus extans clauſos tenere oculos debes, ne egrediendi voluntas accendatur. His cavillationibus nugivenduli excantant imperitum vulgus, & his calumniis impudentiſſimis fucum faciunt ſcitulis etiam noſtris. Iure potiuntur homines examinandi credenda, quibus rationabili obſequio ſubiiciuntur hominum mentes. Quiſque in Eccleſia Romana pro modulo ſuo divinas examinare, & interpretari Scripturas valet. Catholicorum volumina in fidei articulos heterodoxorum mendacia profligant. Eccleſia Romana iudex pro tribunali ſedet, ut gliſcentes lites, & contrarias interpretationes, poſt ſeveriſſima peracta examina, poſt diſcuſſiones, oppugnationes, omneſque humanæ mentis conatus, ſtudia, & induſtriam, componat, definiatque. Suppreſſum ne rationis lumen in regno Anglico, Gallico, Germanico, quod ſupremi iudices ſedent, qui lites ſuper varia legum regni interpretatione in dies inſurgentes, componant, definiantque, poſt audita utriuſque partis rationum momenta? Quid? Extrinſecus dumtaxat acquieſcere iſti aſtringuntur, ſecus intrinſecus? Quid heinc? Argumentationis confinia iam tranſiliſti. Diſputatio noſtra eſt, num ſuppreſſum ſit rationis lumen in illa Eccleſia in qua nihil credendum proponitur niſi poſt ſeverum maturumque examen? Quod poſtea, peracto examine, partes captivare intellectum debeant iudicis definitioni, non infert luminis naturalis ſuppreſſionem. Quin contra rectus naturæ ordo præcipit ut iudicium inferioris, ſuperioris iudicio ſubiiciatur. Provoco Barbeyracos, Pufendorfios, Budæos, omneſque heterodoxos tranſalpinos, ut reſpondeant huic interrogationi. Si Chriſtus Dominus nunc, ut olim, ſederet, non Hieruſalem, ſed Romæ, ſi congregato Concilio omnium ſectarum, & cuiuſque ſectæ rationibus, diſputationibus, qua voce, qua ſcriptis auditis, definiret tandem, hanc præ alia ſectam veram profiteri religionem, verumque ſuæ Scripturæ aſſequi ſenſum; ſuppreſſum ne tum eſſet rationis lumen? Quid muſſitas? Quid hiſcis? Deus tum, inquis, iudex eſſet, qui nec fallere, nec falli valet. Bene habet. Sed hoc tantum infert, quod tu divinæ definitioni ſubmittendo iudicium non errares. Quæſtio eſt, num hæc tui iudicii ſubiectio divinæ definitioni rectæ rationis uſum ſupprimat, impediatque? Si ais; ergo Proteſtantes ſubiiciendo proprium iudicium divinæ revelationi, medio ſpiritu privato repræſentatæ, rationis lumen extinguunt. Si negas; ergo ſubiectio iudicii tui, ſuperioris definitioni non ſupprimit rationis lumen. Quid ad hæc? An cavillari audebis, rationis lumen non ſupprimi, quando divino iudici mens noſtra ſubiicitur; e contrario vero rectam rationem deſtrui, ſi hæc hominis definitioni parere debeat, eidemque faſces ſubmittere? Extincta ergo ratio-

tionis fax in electo populo Iudæorum, quando ſummis Sacerdotibus, quando Aaroni, Moyſi, Salomoni, Davidi, Iſaiæ, Ieremiæ, ceteriſque Prophetis mentis obſequium præſtitum ab illo fuit? Finge, diſputandi gratia, Deum conſtituiſſe ſuum Vicarium in terris, qui, poſt auditas diſſidentium partium rationes, quid in hac, quid in illa controverſia iuſtum, quid verum, quid fide credendum, quid reiiciendum ſit, definiat. An negabis, hoc fieri a Deo poſſe? An non factum in electo populo Iudaico? An non factum in Eccleſia chriſtiana, dicam ego loco ſuo? Poſitione autem admiſſa iſtius iudicis, Dei vices in mundo chriſtiano gerentis, inferri ne iure poteſt, eiuſdem in controverſiis componendis definitiones extinguere in litigantibus rationis lumen? Patet ne ad effugium rima aliqua?

VII. Profligato ex hac parte vaniſſimo ſive *Barbeyraci*, ſive *Bentley* ſophiſmate, ex altera parte iugulum Lutheranorum, Calviniſtarumque petimus, omni ad effugium occluſa ianua. Aut admittendus reipſa in vera Chriſti Eccleſia eſt iudex ſupremus, falli neſcius in definiendis religionis articulis, aut in chriſtiana ſocietate tot ſunt religiones, quot ſunt capita. Doctiſſimi Catholicorum viri luculentiſſimis demonſtrationibus hanc evicerunt veritatem. Quare actum agerem, ſi in ea illuſtranda otio abuterer; potiſſimum quod obiter, & provocatus hoc de argumento verba facio. Quid quod vel ipſe impius *Antonius Collins* in ſuo ſermone de *Libertate cogitandi* evincit, aut *Tolerantiſmum* omnium ſectarum, & ipſum denique *Atheiſmum* vi examinis Lutherani & Calviniani admittendum; aut Catholicæ Romanæ Eccleſiæ irreformabile iudicium ſuſcipiendum eſſe? Et, ne quis ſuſpicetur me hæc ex ingenio aſſerere, referam quæ ſcribit Barbeyracus in præf. cit. *ad obſervationes Bentley* pag. 31. *Itaque mirandum haud eſt* (Catholicos Romanos) *Belgii blanditiis ſibi demeruiſſe* D. Collins. *Viro Proteſtante egebant* [Catholici Romani] *qui ad ultimos abuſus gradus cogitandi libertatem urgeret . . . Hac nixus conſideratione* D. Bentley *ſatis clare indicat variis in locis* (D. Collins) *adlaboraſſe pro* communione Romana *contra* Proteſtantes : *ne quid fiat abſque conſilio . Quædam quoque adiicit, quæ ſuſpicandi occaſionem præbent, matrem* D. Collins *fuiſſe* Catholico-Romanam, *quæ filio ſuæ communionis principia inſinuavit.*

VIII. Hæc reſcribenda erant, ut orbis litterarius intelligat, quam amœni ſint Proteſtantes noſtri. Antonio *Collins* Catholicis opus erat, ut evincerent Eccleſias Lutheranas, & Calvinianas turbas eſſe acephalas, fanaticas, furentes, cæcas, abſque duce, abſque capite, abſque iudice, abſque ordine? Turbas confuſione, perturbatione, caligine, & tenebris undique circumfuſas? Turbas, in quibus quiſque id credit quod proprium ſinciput ex Scripturis divinis credendum iudicat? Turbas, in quibus Manichæi, Cerinthiani, Origeniſtæ, Pelagiani, Ariani, Iconoclaſtæ, Albigenſes, Sociniani, Anabaptiſtæ, &, quotquot hæreticorum ſectæ fuerunt, eruntque, tolerandæ ſunt? Impio Antonio *Collins* opus erat Catholicis, ut

hoc

hoc evincerent, ſi vel rudiores, quin vel ipſum catholicæ religionis vulgus has ſplendidiſſimas veritates continenter in ore habent? Dicant potius adverſarii noſtri, Catholicorum cauſſam adeo eſſe evidentem, adeo exploratam, ut vel ipſi impii Athei eam agnoſcant; contra, Proteſtantium errores adeo craſſos eſſe, adeo turbulentos, perniciofos, ut vel ipſi impii, in quorum numero ſunt *Hobbeſius*, & *Collins*, illos derideant, improbentque. Latius hæc trahere inſtituti mei ratio non ſinit. Sæpe e via digredior, Puſendorfii, Barbeyraci, Thomaſii, Heinnecii, Budæi, quos refello, intempeſtivis, nedum falſis, impoſturis adverſus Catholicos ubique intruſis, & ſparſis provocatus, & coactus.

IX. Pauca, quæ in hac prolegomena diſſertatione obiter delibavi, ſummopere confirmant quæ ſupra dicta ſunt, videlicet in univerſo terrarum orbe ſectam haud quaquam reperiri cæciorem, pervicaciorem, & (ſit venia verbo) ſtolidiorem Lutherana & Calviniana. Quod ſit dictum abſque præiudicio doctrinæ & eruditionis qua in aliis a religione ſcientiis harum ſectarum plurimi præſtant. Truncus ſit oportet, & ſtatua, qui tum ex Lutheranis, tum ex Calviniſtis plurimos viros doctiſſimos eruditiſſimoſque non ſuſpiceret. At in religionis adverſus Catholicos controverſiis nec unum me legiſſe ſcio quem ipſo communi ſenſu exutum, cæcum, omnia per impoſturas, & calumnias, atque ex inſidiis agentem non invenerim: quod nemo cordatus negare poteſt.

X. Colligant heinc Italiæ noſtræ ſaperdæ nonnulli, quantum a via hactenus aberrarunt recta, dum in addiſcenda iuris naturalis ſcientia, omiſſis limpidiſſimis fontibus, luculentiſſimas Proteſtantium lacunas adierunt. Plus ex una hac de re S. Thomæ quæſtione doctrinæ, quam ex integris Puſendorfii, Heinnecii operibus indepti fuiſſent. Ex alia parte præiudiciis, & erroribus illorum mentes inquinatæ non eſſent, neque in religionis fervore adeo tepeſcerent. Senſim ſine ſenſu iſtorum librorum lectio quodam erga religionem tepore animos afficit, contemptibilem auctoritatem ſupremam reddit, & infirmas humanæ mentis vires plus iuſto exaltat. Dicteria illa, ſcommata, vellicationes, deriſiones Papatus, Papiſtarum &c. quæ in iſtorum libris paſſim occurrunt, veſtigia in lectorum mentibus imprimunt, queis animus a recta deducitur via; & heinc paullatim langueſcit fides, caritas extinguitur, & tandem aliquando impietas ſuccedit. Atque illud omnium malorum maximum eſt, quod ſcituli noſtri, catholicæ doctrinæ armis denudati, & antequam veræ doctrinæ lumine mens illuſtrata ſit, hæreticorum libros revolvunt, ſatyras, paræmias, cenſuras, ſcommata memoriter addiſcunt, & errores ignoranter epotant. Ipſe audivi plurimos, cum de ſenore in Italia noſtra bellum arderet litterarium, inclamantes, divinas Scripturas ad rectæ rationis tribunal exigendas eſſe, erraſſe Patres, deſipuiſſe Scholaſticos; ſignatum eſſe ſuper noſtrarum animarum mentes rationis lumen, illud conſulendum; nihil iuſſiſſe Chriſtum quod non

Digitized by Google

non ſit lege naturali præceptum. Heinc colligebant, moderatam uſuram haud eſſe prohibitam: quæ graviſſima præiudicia, & iniquas præceptiones e tranſalpinorum hæreticorum lectione didicerant. Pudere autem illos deberet ab hoſtibus ſanandæ infirmitatis pharmaca, & a catholicæ religionis deriſoribus inveniendæ veritatis lumen emendicare. Nunquam ergo hæreticorum libri legendi? Legantur, facultate habita, non repugno. Sed prius chriſtianæ doctrinæ fundamenta altius præiaciantur, prius catholici Doctores conſulantur; & poſtea hæretici legantur, tamquam hoſtes, qui inſigni vafritie fucum lectoribus facere ſtudent. Verum, niſi illos refellendi occaſio adſit, ſi illos penitus neglexeris in religionis controverſiis, ſatius tibi erit. Quoniam vix aut controverſiam philoſophicam, aut punctum eruditionis tractare infenſiſſimi hi hoſtes conſueſcunt, quin religionis cauſſam, & Papatum eidem immiſceant, & impoſturas calumniaſque fide mala excogitatas interſerant, ac Catholicorum privatorum abuſus, vitia, & corruptelas in ipſam Romanam Eccleſiam regerant. Porro imperiti lectores, haud ſuſpicantes tantam in filiis ancillarum fraudem, calumnias pro veritatibus deglutiunt, illorumque fucis, & artificiis non raro capiuntur. Tuta ergo res erit nullum cum iſtis habere commercium.

L I.

LIBER PRIMUS

DE IURE NATURAE, ET GENTIUM, DEQUE POSITIVO DIVINO, ET HUMANO.

DISSERTATIO PRIMA.

DE HOMINIS OFFICIIS, SEU DE ACTIONIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

De Deo, & homine, quatenus ſunt iuris naturæ principia. S. Thomæ doctrina, qua exacta hominis idea refertur, & fundamenta moralitatis præiaciuntur. Eorum quæ de origine entium moralium ſcribit Samuel Pufendorfius, *examen.*

I. PRæpotens univerſi conditor Deus, quemadmodum omnia ex nihilo creavit omnipotentia ſumma, ita ſapientia infinita res omnes tum invicem, tum ad ſeipſum mirabili ordine diſpoſuit, atque ordinavit. Res omnes ratione deſtitutas, ceu partes componentes hoc univerſum, concinna harmonia aptavit, eaſdem hominis ſervituti commodoque ſubiecit, hominem ſibi arctiori vinculo devinxit, atque omnia tandem in ſuæ omnipotentiæ, & providentiæ manifeſtationem direxit. Ordo iſte regula eſt, & menſura actuum humanorum, ſeu moralium. Actus quippe iſti ſunt moralitatis, ſeu bonitatis, & malitiæ ſubiectum, cui inſunt modi iſti morales. In hocce porro ordine ius naturæ, ad quod, ceu ad amuſſim, hominum officia revocantur, & a quo diriguntur, ſitum eſt. Hinc apparet, Deum ut primum, hominem út ſecundum, principia eſſe naturæ iuris. Ordo enim qui elucet in rebus omnibus, a Deo eſt, ſicuti res ipſæ quibus ineſt. Actus vero humani ab hoc ordine dirigendi, & recta ratio ipſa dirigens ab homine proficiſcuntur. Homo, ratione præ ceteris iſtius univerſi creatu-

turis ornatus, tria reſpicit; Deum quem colit; ſeipſum regendum, moderandumque; ceteras creaturas rationales, quibuſcum ſocietatem componit. En univerſum regnum iure naturæ dirigendum, & in Dei, a quo omnia proficiſcuntur, gloriam ordinandum.

II. Hæc omnia explicat Angelicus Doctor perſpicuitate ſumma. Clamabunt Pufendorfiani, Thomaſiani, Heinneciani, VVolfiani, nos, ratione domi relicta, auctoritate armatos in campum progredi. Sed falluntur eruditi homines. Nos AQUINATIS noſtri doctrinam non ideo in medium afferimus, ut eidem faſces illi ſubmittant; ſed ut illorum pudibundam iactantiam, qua ſibi iuris naturæ ſcientiam vendicant, retundamus; ut diſcant, &, velint nolint, fateantur, hanc provinciam unum S. Thomam felicius exornaſſe, ac uberius, non dicam Lutheranis, & Calvinianis, qui eam erroribus craſſiſſimis reſperſere, ſed ceteris omnibus qui aut præceſſere, aut ſecuti poſt ipſum ſunt, illuſtraſſe. Hæc autem, tamquam fundamenta iuris naturæ, & moralitatis, præmittit S. Thomas Aquinas in *Lib. I. Eth. lect.* 1.

III. „ Sapientis eſt ordinare: cuius ratio eſt, quia ſapientia eſt potiſſima perfe„ctio rationis, & cuius proprium eſt cognoſcere ordinem. Nam, ſi vires ſenſiti„væ cognoſcunt res aliquas abſolute, ordinem tamen unius rei ad aliam cogno„ſcere, eſt ſolius intellectus, aut rationis. Invenitur autem duplex ordo in re„bus. Unus quidem partium alicuius totius, ſeu alicuius multitudinis ad invi„cem, ſicut partes domus ad invicem ordinantur. Alius eſt ordo rerum in fi„nem: & hic ordo eſt principalior quam primus. Nam, ut Philoſophus dicit „ in undecimo Metaph. ordo partium exercitus ad invicem eſt propter ordinem „ totius exercitus ad ducem. Ordo autem quadrupliciter ad rationem compara„tur. Eſt enim quidam ordo quem ratio non facit, ſed ſolum conſiderat; ſicut „ eſt ordo rerum naturalium. Alius autem eſt ordo quem ratio conſiderando fa„cit in proprio actu; puta, cum ordinat conceptus ſuos ad invicem, & ſigna „ conceptuum, quæ ſunt voces ſignificativæ. Tertius autem eſt ordo quem ratio „ conſiderando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem eſt ordo quem „ ratio conſiderando facit in exterioribus rebus, quarum ipſa eſt cauſa, ſicut in „ arca, & domo. Et quia conſideratio rationis per habitum perficitur; ſecundum „ hos diverſos ordines, quos proprie ratio conſiderat, ſunt diverſæ ſcientiæ. Nam „ ad Philoſophiam naturalem pertinet conſiderare ordinem rerum quem ratio hu„mana conſiderat, ſed non facit; ita quod naturali Philoſophia comprehendamus „ & Metaphyſicam. Ordo autem quem ratio conſiderando facit in proprio actu, „ pertinet ad rationalem Philoſophiam, cuius eſt conſiderare ordinem partium o„rationis ad invicem, & ordinem principiorum ad invicem, & ad concluſiones. „ Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad conſiderationem moralis Philo-

„ loſophiæ. Ordo autem quem ratio conſiderando facit in rebus exterioribus conſtitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas. Sic moralis Philoſophiæ, circa quam verſatur præſens intentio, proprium eſt conſiderare operationes humanas, ſecundum quod ſunt ordinatæ ad invicem, & ad finem. “

IV. His principiis univerſim conſtitutis in homine, ſuam diſputationem ſiſtit Angelicus Doctor, eumque conſiderat, prout eſt & iuris naturæ, & moralitatis veluti fundus. His quippe verbis, omni ſublato medio, ſuam perſequitur orationem. „ Dico autem operationes humanas, quæ procedunt a voluntate hominis ſecundum ordinem rationis. Nam, ſi quæ operationes in homine inveniuntur quæ non ſubiacent voluntati, & rationi, non dicuntur proprie humanæ, ſed naturales; ſicut patet de operationibus animæ vegetativæ, quæ nullo modo cadunt ſub conſideratione moralis Philoſophiæ. Sic igitur ſubiectum moralis Philoſophiæ eſt operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo, prout eſt voluntarie agens propter finem. Sciendum eſt autem, quod, *quia homo naturaliter eſt animal ſociale*, utpote qui indiget ad ſuam vitam multis, quæ ſibi ipſe ſolus præparare non poteſt, conſequens eſt quod homo naturaliter ſit pars alicuius multitudinis, per quam præſtetur ſibi auxilium ad bene vivendum, quo quidem auxilio indiget ad duo. Primo quidem ad ea quæ ſunt vitæ neceſſaria, ſine quibus vita tranſigi non poteſt: & ad hoc auxiliatur homini domeſtica multitudo, cuius eſt pars. Nam quilibet homo a parentibus habet generationem, & nutrimentum, & diſciplinam. Et ſimiliter ſinguli, qui ſunt partes domeſticæ familiæ, ſe invicem iuvant ad neceſſaria vitæ. Alio modo iuvatur homo a multitudine, cuius eſt pars, ad vitæ ſufficientiam perfectam, ſcilicet ut homo non ſolum vivat, ſed & bene vivat, habens omnia quæ ſibi ſufficiant ad vitam. Et ſic homini auxiliatur multitudo civilis, cuius ipſe eſt pars, non ſolum quantum ad corporalia, prout ſcilicet in civitate ſunt multa artificia, ad quæ una domus ſufficere non poteſt; ſed etiam quantum ad moralia, in quantum ſcilicet per publicam poteſtatem coercentur inſolentes iuvenes metu pœnæ, quos paterna monitio corrigere non valet. Sciendum eſt autem, quod hoc totum quod eſt civilis multitudo, vel domeſtica familia, habet ſolum unitatem ordinis, ſecundum quam non eſt ſimpliciter unum: & ideo pars eius totius poteſt habere operationem, quæ non eſt operatio totius; ſicut miles in exercitu habet operationem quæ non eſt totius exercitus. Habet nihilominus & ipſum totum aliquam operationem quæ non eſt propria alicuius partium, ſed totius: puta conflictus totius exercitus, & tractus navis eſt operatio multitudinis trahentis navim. Eſt autem aliquod totum quod habet unitatem non ſolum ordine, ſed compoſitione, aut colligatione, vel etiam continuitate, ſecundum quam unitatem eſt aliquid unum ſimpliciter. Et ideo nulla eſt operatio partis quæ non ſit totius. In continuis enim

„ idem

„ idem eſt motus totius, & partis: & ſimiliter in compoſitis, & colligatis opera-
„ tio partis principaliter eſt totius. Et ideo oportet quod ad eamdem ſcientiam
„ pertineat talis conſideratio & totius, & partis eius. Non autem ad eamdem
„ ſcientiam pertinet conſiderare totum quod habet ſolam ordinis unitatem, & par-
„ tes ipſius. Et inde eſt quod moralis Philoſophia in tres partes dividitur: qua-
„ rum prima conſiderat operationes unius hominis ad finem, quæ vocatur Mona-
„ ſtica. Secunda autem conſiderat operationes multitudinis domeſticæ, quæ voca-
„ tur Oeconomica; tertia autem conſiderat operationes multitudinis civilis, quæ vo-
„ catur Politica &c.“

V. Hæc pauca ex plurimis quæ ibi perſequitur Doctor ſanctus, reſcribere volui. Ut autem ſpiſſam novatorum caliginem fortius diſſipem, mea refert nonnulla alia ex eodem S. Thoma tranſcribere, quibus hi tres hominis ordines, ſeu reſpectus explicantur, & pax mutua, bello ſublato, inculcatur. Hæc porro ANGELICUS in *cap.* XIV. *Ioann. lect.* 7. ſcribit. „ Sciendum eſt, quod pax nihil aliud eſt quam
„ tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum
„ ordo inperturbatus manet. In homine autem triplex eſt ordo, ſcilicet hominis ad
„ ſeipſum, hominis ad Deum, & hominis ad proximum: & ſic triplex pax in homine.
„ Quædam intrinſeca, ſecundum quam pacificatur ſibi ipſi abſque perturbatione vi-
„ rium. Pſal. CXVIII. *Pax multa diligentibus* &c. Alia eſt per quam homo pacificatur
„ Deo, totaliter eius ordinationi ſubiectus. Rom. V. *Iuſtificati igitur ex fide, pacem*
„ *habeamus ad Deum*. Tertia eſt pax ad proximum. Hebr. XII. *Pacem ſequimini*
„ *cum omnibus Sanctis, & ſanctimoniam*. Sed notandum, quod in nobis tria ordinari
„ debent, ſcilicet intellectus, voluntas, & appetitus ſenſitivus: ut videlicet vo-
„ luntas dirigatur ſecundum mentem, ſeu rationem; appetitus vero ſenſitivus ſe-
„ cundum intellectum, & voluntatem. Et ideo Auguſtinus in Lib. de verb. Dom.
„ pacem Sanctorum definiens dicit: *Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi,*
„ *ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium caritatis*: ut ſerenitas mentis re-
„ feratur ad rationem, quæ debet eſſe libera, non ligata, nec abſorpta aliqua
„ inordinata affectione; tranquillitas animi referatur ad ſenſitivam, quæ debet a
„ moleſtatione paſſionum quieſcere; ſimplicitas cordis referatur ad voluntatem,
„ quæ debet in Deum obiectum ſuum totaliter ferri; amoris vinculum referatur
„ ad proximum; conſortium caritatis ad Deum. Hanc autem pacem hic Sancti
„ habent, & habebunt in futuro: ſed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos, nec ad
„ Deum, nec ad proximum pacem ſine perturbatione aliqua poſſumus habere; ſed in
„ futuro habebimus eam perfecte, quando ſine hoſte regnabimus, ubi numquam
„ poterimus diſſentire. Et utramque hic Dominus nobis promittit. Primam, cum
„ dicit: *Pacem relinquo vobis*, in hoc ſcilicet ſæculo, ut hoſtem vincatis, & ut
„ invicem diligatis; quod eſt quaſi teſtamentum ſervandum nobis ſtatutum a Chri-

„ ſto Eccli. xlv. *Statuit illi teſtamentum pacis, & Principem fecit eum*. Sicut Au-
„ guſtinus dicit, non poterit ad hereditatem Domini pervenire qui teſtamentum
„ eius noluerit obſervare; nec poteſt concordiam habere cum Chriſto qui diſcors
„ voluerit eſſe cum Chriſtiano. Secundam vero, cum dicit: *Pacem meam do vo-*
„ *bis*, ſcilicet in futuro. Iſai. ult. *Declinabo ſuper eam* (ſcilicet Hieruſalem cæle-
„ ſtem) *quaſi flumen pacis.* "

VI. En tibi hominis, quatenus & principium eſt naturæ iuris, & ſubiectum ab ipſo iure dirigendum, delineatam imaginem, accitis & ab ipſa morali Philoſophia, & ab ipſa divina Theologia coloribus. Erumpant Lutherani, & Calviniani omnes iuris naturæ interpretes, ſuamque virgam cenſoriam extendant in hæc quæ ex AQUINATE recitavi. Eſt ne hic quidquam cenſura dignum? Immo quid hic quod illorum non retundat audaciam? Paucis verbis plurima docet Doctor ſanctus, ſed tanta perſpicuitate, nitore, & facilitate, ut in admirationem lectorem rapiat. Quid, quando ex illius ſecunda parte Summæ omnes humanas facultates, intellectum, voluntatem, ceteroſque appetitus, & quæ inde proficiſcuntur vitia, & virtutes explicabo? Et Lutherani, Calvinianique Scriptores iuris naturæ illuſtrationem ſibi, iactatione pluſquam thraſonica, aſſerere audent?

VII. Et, ne gratis hæc dixiſſe videar, expendam quæ de origine entium moralium fuſo ſermone exponit Samuel Puſendorfius *Lib. I. cap.* 1. *de I. N. & G.* Et quæ de rebus ipſis abſolute acceptis ſcribit Ricardus Cumberlandus *cap.* 1. *tract. de legib.* Quæ ibi verborum farragines, qui rerum aggeſtus, quæ confuſio, quæ rerum indigeſta moles? Puſendorfius caput 1. laudatum in 23. *ſſ.* tribuit. De origine entium moralium, eorumque diverſitate inſcriptum caput eſt; & de hac origine vix ibi ſermo eſt. Siquidem moralium entium fontes ſunt intellectus, & voluntas humana, ſeu voluntarium, & liberum. Igitur iſta duo diſtincte explicanda erant, cum proximæ entium moralium origines ſint. Et reipſa Theologi catholici, qui via, & ratione incedunt, primum de voluntario, poſt de libertate, & tandem de moralitate agunt. Quatuor nos veluti entium genera, ſeu quatuor modos in ente conſideramus: primum phyſicum, alterum voluntarium, tertium liberum, quartum moralem. En paucis rem totam expreſſam. Quod autem has entis affectiones appelles, aut modos, aut accidentia, quæſtio metaphyſica eſt nullius momenti. Puſendorfius *ſ.* 4. ova ponit infra excutienda ſui graviſſimi erroris; nempe, moralitatem haud eſſe actionibus intrinſecam; ſed unice ex arbitrio entium intelligentium ſuam nanciſci exiſtentiam: quem errorem mox profligabo. Hæc moralia entia tribuit ille in claſſes quatuor, quas appellat *ſtatum*, *perſonam moralem*, *qualitatem*, & *quantitatem*. Statum vocat *ens morale ſuppoſititium ob analogiam, quam habet cum ſpatio*. *ſ.* 6. Nonnulli ſcituli, cum quid ſimile in Scholaſticis offendunt, commotum ſtomachum, contuſas ex vocum barbarie aures clamant; deliciantur vero, cum eiuſ-

modi

modi elegantes formulas legunt in eruditiſſimo Pufendorſio. Plura ibidem congerit de loco, de ſpatio, de tempore tanta confuſione, & verborum involucro, ut vix legi queant. Integros inſumit ʃʃ. ut exponat *ſtatum* hominis alterum eſſe abſolutum, alterum erga alios homines; alium eſſe ſtatum pacis, alium belli. Advertit, pacem aliam eſſe communem reſpectu omnium hominum, aliam eſſe peculiarem expreſſo fœdere initam; aliam *internam* inter membra eiuſdem Reipublicæ, aliam *externam* erga alios extra Rempublicam. Bellum aliquod eſt *commune* inter omnes homines; aliquod *particulare*, quod certi homines gerunt: & eſt vel *internum*, ſeu civile; vel *externum*. Iterum ʃ. 9. *ſtatuum* partitionem reſumit, admonetque, aliquos ſtatus adiunctam *intenſionem*, vel *remiſſionem* exiſtimationis habere. Poſterius genus *ſtatus* ʃ. 10. dividit in *iunioratum*, & *ſenioratum*, in *maiorennitatem*, & *minorennitatem*.

VIII. Poſt explicationem entium moralium, quæ ad ſpatium analogum pertinent, ʃ. 12. exponit illa entia moralia quæ per analogiam ad ſubſtantias concipiuntur, ſuntque *perſonæ morales ſimplices*, vel *compoſitæ*, *publicæ*, vel *privatæ*. Perſonæ publicæ vel ſunt *politicæ*, vel *eccleſiaſticæ*. Privatas perſonas diſtinguit 1. ex negotio, quæſtu, aut artificio, circa quod quis eſt occupatus. 2. ex conditione, qua quis utitur in civitate, in qua alius civis, alius inquilinus, alius peregrinus. 3. ex familia, in qua ille mariti, patris, heri, hæc uxoris, iſte filii, vel ſervi perſonam ſuſtinet. 4. ex ſtirpe, unde homines nobiles, & plebeii appellantur. ʃ. 13. *perſonas morales compoſitas* dividit in *publicas*, & *privatas*, *ſacras*, & *politicas*. Sacras rurſus partitur in generales, ut Eccleſia catholica eſt; & ſpeciales, ut Concilia, Conſiſtoria, Synodi, Presbyteria. Simili partitione diſtribuit perſonas politicas. ʃ. 14. gradus recenſet, quos eadem perſona ſuſtinere valet, nempe domi patrisfamilias, in curia ſenatoris, in foro advocati, in aula conſiliarii. ʃ. 15. admonet, perſonarum moralium umbras reperiri, & ſimulacra: unde factum eſt ut perſonæ vocabulum ſcena ſibi peculiariter vendicet. Fictæ perſonæ notionem in eo ſitam aſſerit, ut alterius feriæ perſonæ geſtus, habituſque referat. De more perperam intrudit Petrum Alexandrinum Epiſcopum, probantem baptiſmum ab Athanaſio puero inter ludendum collato; & ritum quo Sanctorum Albo accenſentur ſervorum Dei animæ. ʃ. 16. a perſonis ad res tranſit, quas in primæva communione homo ſuis uſibus applicabat; at, partitione illarum facta, quiſque de re ſua, excluſo quocumque alio, diſponit. Res autem ſolam denominationem extrinſecam ſubeunt, quatenus iuris obiectum conſtituunt. Hactenus, inquit ʃ. 17. de entibus moralibus quæ concipiuntur ad analogiam ſubſtantiarum; nunc autem diſputandum de iis eſt quæ formaliter ſunt modi: quos modos diſtribuit in *affectivos*, & *æſtimativos*. Secundum illos perſonæ certa ratione affectæ intelliguntur; ſecundum hos perſonæ, & res æſtimari aptæ ſunt. Illi vocabulo *qualitatis*, hi *quantitatis*, latiſſime

G ij acce-

accepto, veniunt. Has qualitates dividit in *formales*, & *operativas* : illæ non ordinantur ad actum, ſed ſubiecto tantum conveniunt. Operativam qualitatem dividit in primam, & ſecundam. Illa concipitur, prout res apta eſt ad actum : & eſt vel *interna*, vel *externa* ; quam etiam dicere poſſis *patibilem qualitatem moralem*. Secunda eſt quæ oritur a prima. ſ. 18. inter attributa moralia recenſet titulos, puta *Sereniſſimum*, *Eminentiſſimum*, *Illuſtriſſimum* &c. Plura de his titulis congerit, quæ prætereo. ſ. 19. qualitates operativas morales in *activas*, & *paſſivas* dividit. Illarum ſpecies ſunt *poteſtas*, *ius*, & *obligatio*. Poteſtas eſt qua quis legitime quidquam moraliter agere valet : quæque duplex eſt, *perfecta*, & *imperfecta*. Rurſus reſpectu ſubiecti poteſtas iſta dividitur in *perſonalem*, & *communicabilem*. Illa ſubſiſtit in perſona, qualis eſt mariti in uxorem; hæc alteri communicari pro arbitrio poteſt. *Iuris* vocabulum, inquit ſ. 20. valde ambiguum eſt. Ius iſtud inter qualitates *activas*, & *paſſivas* collocat, ſeu utriſque accenſet. *Obligationem* exponit ſ. 21. per quam quis præſtare, aut admittere, vel pati quid neceſſitate morali tenetur. Dantur enim, inquit, *qualitates patibiles*, *quæ certo modo iudicium hominum afficere intelliguntur*. ſ. 22. de *quantitatibus moralibus* ſermonem inſtituit. Quantitas in rebus dicitur *pretium*, in perſonis *æſtimatio*. Tandem ſ. 23. concludit, quod entia moralia, ſicut impoſitioni ſuam debent originem, ita ab eadem ſuam aut ſtabilitatem, aut mutationem ſuſcipiunt.

IX. Paucis perſtringere ſpecimen eorum volui quæ tribus ſupra viginti paragraphis Samuel Puſendorfius ſuſo calamo in capite veluti præliminari ad ius naturæ, & gentium præmittit. Selectiora vocabula, elegantiores phraſes, doctrinas profundiores, magiſque reconditam eruditionem in apricum ex tanto Auctore educere ſtudui. Quod ſi antiquata vocabula, barbaræ phraſes, ineptæ doctrinæ, futilis eruditio tibi videntur, quæ compendiaria oratione dedi; quid, ſi illa in fonte legeres? Opus haud eſt ut evincam, ſummum hunc Lutheranum Doctorem omnia ſuſdeque permiſcere. Res ipſa loquitur. Illius oratio adeo ſtrigoſa, & implexa, diſtinctiunculæ adeo vanæ, doctrinæ adeo diſparatæ, ordo tam perturbatus, ut legi abſque ingenti faſtidio nequeant. Quæ ad Politicam, ad civile regimen, & procurationem ſpectant, cum actuum humanorum moralitate, ſeu malitia, & bonitate confundit. In proluſione ad ius naturæ & gentium ea explicanda ſuſcipit, & quidem ſuſo calamo, quæ ſunt externi quidam ritus, & gradus, quos ius civile invexit : & ICti ſuis in locis præfata omnia eleganti oratione, ordineque perſpicuo declarant. Et hi ſunt illi *PUFENDORFII*, qui buccis inflatis ad ſidera extolluntur? Hi ſunt quos *Bruckerus*, *Budæus*, *Thomaſius*, *Barbeyracus* veluti e cælo delapſos eſſe iactant ad iacentem iuris naturalis ſcientiam erigendam, illuſtrandamque, ad Scholaſticorum barbariem, ignorantiam, & non tantum ſtupiditatem eliminandam? Hi ſunt Platones, Panætii, Terentii, Tulliique ſeptentrionales, qui ſingulis paginis Theologis ſcho-

Digitized by Google

ſcholaſticis inſcitiam, gerras, chimæras, confuſionem, barbariemque exprobrant? Et tamen quis Scholaſticorum, qui ius naturæ & gentium illuſtrarunt, tanta confuſione, tanta rerum perturbatione ſcripſit, ac Puſendorfius ille vir ſummus in ipſo ingentis operis veſtibulo?

X. *Ricardus Cumberlandus* & ipſe prolegomena præmittit ad ſuum *de legibus naturæ tractatum*. Sub initium ſibi blanditur, meliorem præ ipſo *Hugone Grotio* reperiiſſe methodum leges naturales inveſtigandi. Nam Grotius ex effectis manifeſtis naturales leges colligit; *Cumberlandus* e contrario cauſſas ipſas, unde leges iſtæ proficiſcuntur, diſpicit. De *Cumberlandi* doctrina plura infra. Unum in præſens animadverto, videlicet opus iſtud tam lutulento ſtilo, tantaque obſcuritate ſcriptum eſſe, ut, ſua veluti rubigine exeſum, natalitiis tenebris ſepultum iacuiſſet, niſi *Barbeyracus* e Latino in Gallicum idioma vertiſſet, notiſque illud exornaſſet. Quæ tamen enarrationes non minuunt, ſed Auctoris errores, ut mox videbimus, augent.

CAPUT II.

Ricardus Cumberlandus *ad benevolentiam ſingulorum hominum erga alios homines, ad propenſionem propagandæ ſtirpis, ad cerebri humani magnitudinem, ad eiuſdem inclinationem ad venerem non limitatam tempori, ad ampliora vaſa ſpermatica omnes revocat naturales leges. Hi, & alii errores profligantur.*

I. Ricardus Cumberlandus Anglus, Eccleſiæ Romanæ iuratus hoſtis, *nihil infenſius* (inquit *Payne* eiuſdem vitæ ſcriptor) *deteſtabatur quam Papiſmum*; *nihil altius illius animum exulcerabat quam quæ huic Eccleſiæ favere videbantur*. Numquam illi de hac Eccleſia ſermo erat quin eius odium, fractis aggeribus, excandeſceret; tametſi in ceteris negotiis temperato animo eſſet. Cum Carolus II. thronum occupavit, tanto correptus timore fuit, ne ſchiſmatica Anglicana Eccleſia in ſinum Romanæ matris ſuæ rediret, ut mortifera febris eum invaſerit. Celebris fuit hypocrita, qui ore religionis tuendæ ſtudium iactans, morum pravitate eam fœdabat. Hæc pauca delibare volui, quoniam, inquit Ariſtoteles *Lib. I. Ethic. cap. I.* atque eiuſdem interpres S. Thomas, ſummopere ſcire intereſt qui ſint mores illius qui de morum honeſtate ſcribit.

II. In hominis itaque benevolentiam, ceu in primam originem, & fundamentum, naturæ iuris decreta revocat novus iſte Philoſophus. Illius verba in me-

Digitized by Google

dium adducenda, ne quidquam per exaggerationem dictum appareat. In titulo cap. 1. *Leges naturæ omnes ad unam de benevolentia erga rationales omnes reducuntur*. Deinde ipſo primo capite *pag.* 4. hæc præmittit: ***Sufficiet nobis in opuſculi huius initio lectorem monuiſſe, totam moralis Philoſophiæ, legumque naturalium doctrinam in obſervationes naturales, omnium experientia notas, aut in concluſiones a vera Phyſiologia agnitas & ſtabilitas, ultimo reſolvi.*** Nonne firmiſſima hæc ſunt iuris naturæ fundamenta? Meditationes quibus vi Phyſiologiæ explicantur corporum naturalium phœnomena, origines ſunt in quas ultimo tota moralis Philoſophiæ, & legum naturalium doctrina reſolvitur? Sed ultra pergamus. Hoc eodem *cap.* 1. *pag.* 5. §. 4. totius doctrinæ ſuæ propoſitionem præiacit his verbis. „ Quamquam „ autem innumera ſint quæ e cognitione univerſi deſumi poſſint in materia parti„ cularium dictaminum, ad mores formandos dirigentium; viſum eſt tamen pauca „ tantum, eaque generaliſſima ſeligere quæ generalem, quam initio propoſui, legum „ naturæ deſcriptionem aliquatenus explicent, & in unico dictamine, omnium legum „ naturalium parente, paullo apertius continentur. Illud autem ita ſe habet. „ ***Benevolentia maxime ſingulorum agentium rationalium erga omnes ſtatum conſtituit „ ſingulorum, omniumque benevolorum quantum fieri ab ipſis poteſt feliciſſimum; & „ ad ſtatum eorum, quem poſſunt aſſequi, feliciſſimum neceſſario requiritur; ac pro„ inde commune bonum erit ſuprema lex.*** " Quam hæc propoſitio, quæ totius fere capitis doctrinam continet, ſit implexa, atque obſcura, nemo non videt. Nec clarior eſt explicatio quam continuo Auctor exhibet. Nomine ***benevolentiæ***, non quamcumque volitionem languidam, & emortuam, quæ nihil pariat, ſed efficacem, cui effectus reſpondeat, ſe intelligere declarat. Illius interpretes *Maxvvll*, & *Barbeyracus* mutuo pugnant in interpretanda hac voce ***benevolentia***. Ille quippe hoc pacto argumentatur, Tametſi actiones alicuius individui in bonum commune, atque totius humani generis felicitatem tendant, non propterea conſequitur propriam ipſius individui felicitatem illas procurare. Deinde animadvertit, ***Cumberlandum*** hac voce ***benevolentia*** modo inſtinctum quo ad amandum alios ducimur, modo actiones quæ ex eodem inſtinctu proficiſcuntur, intelligere: quo in ſenſu concludit accipi generalem naturæ legem minime poſſe. Barbeyracus in ſuis enarrationibus ad Cumberlandum refutat interpretem Anglum, nempe *Maxvvll*, aitque ineptas eſſe quas opponit difficultates. Contendit Barbeyracus, ***Cumberlandum*** hanc propoſitionem evidenter demonſtraſſe: Benevolentia univerſalis magis magiſque promovet poſſibilem felicitatem generis humani: ergo magis magiſque promovet poſſibilem felicitatem huius, aut illius individui. Ignorantiæ arguit Anglum interpretem, quod in quæſtionem vocaverit ſenſum in quo Cumberlandus benevolentiam accipit. Luce quippe meridiana clarius, inquit, eſt, Auctorem noſtrum *benevolentiæ* nomine actum liberum voluntatis noſtræ, cognitione, deli-

Digitized by Google

deliberationeque productum, intelligere. Nec ipſe inficior, Cumberlandum nomine benevolentiæ non raro amorem deliberatum accipere. At non minus certum eſt ſæpe etiam cum naturæ inſtinctu benevolentiam confundere. Comparat ſiquidem *cap.* 11. *§.* 22. hanc benevolentiam amori illi quo animantia ad propagandam ſpeciem feruntur. *Ego* (inquit) *tantum adiiciam, manifeſtum admodum eſſe, animalia hoc modo in alterius ſexus, & prolis amorem impelli, atque adeo anguſtam* φιλαυτίαν *exui, qua ſemel ſepoſita facile ducuntur ad alia, atque alia adamanda, donec amor tandem omnia congenera ob naturæ ſimilitudinem complectatur; atque adeo in communi animantium natura fundatum eſſe illud, quod multiplici experientia obſervatum eſt, homines poſt ſuſceptam prolem pacis eſſe amantiores, & propenſiones ad prolem ſuſcipiendam omnes ad pacis amorem diſponere.*

III. Ut ab ultimis verbis incipiam, quis crederet, Scriptorem hunc adeo potuiſſe deſipere, ut cum ipſa manifeſta experientia pugnare auſus fuerit? Impotens ille amor quo homines ad concubitum cum mulieribus abripiuntur, primum eſt legum naturalium principium? Eiuſmodi amor quo individua multiplicantur, unice bonum commune ſpectat? Iuvenes illi qui puellarum amore ſuccenſi, contemptis legibus tum naturalibus, tum divinis, humaniſque, nullum non movent lapidem, ut libidinem expleant, numquid bonum promovere commune ſtudent? Numquid iuvenes iſti propagandæ ſtirpis benevolentia aguntur? Tali ne commercio ſocietas coaleſcit? An non & religionis, & ſocietatis leges ſimilem congreſſum quam ſeveriſſime vetant? Nihil itaque tam falſum quam quod ſcribit Cumberlandus, *propenſiones* nempe *ad prolem ſuſcipiendam omnes ad pacem diſponere. Idque in communi animantium natura fundatum eſſe.* Oppoſitum experientia docet. Propagandæ prolis amor animantia ipſa, nedum homines, ſuſpicioſa, zelotypa, anxia, & belligera efficit. Nonne gallus, gallinarum multitudine ſtipatus, ſi occurrentem, atque in ſuas amaſias ingredientem gallum videt, eum confeſtim aggreditur, nec a conflictu deſiſtit, donec aut victus iaceat, aut victor evadat? Similia in ceteris animantibus plus minuſve conſpicimus. Evidens itaque eſt, perridiculum eſſe *Cumberlandi* effatum, videlicet *propenſiones propagandæ ſtirpis pacifica efficere animantia.*

IV. At non minus feſtiva eſt, & ridicularia altera eiuſdem propoſitio, ſcilicet *homines poſt ſuſceptam prolem pacis eſſe amantiores.* Quin nihil magis hominem anxium, turbulentum, cavillatorem, uſurpatoremque efficit, quam prolis multitudo. Quas anguſtias ſuſtinet paterfamilias ut filiabus provideat, ut filios patrimonio ditet? Quæ bella paſſim aliquis non ſuſcitat, ut vicinorum bona capiat, quibus filios opulentos reddat? Amor itaque propagandæ ſtirpis non pacem, non concordiam, ſed rixas, diſcordias, bella, homicidia parit. Amor iſte non bonum commune, ſed privatum, ſummo impetu anhelat. Quid, ſi diſſidia provinciarum,

regnorumque calamitates, quas amor multiplicandæ prolis, ſeu amor explendæ libidinis peperit, oratione complecterer? At ſunt hæc omnibus nota. *Bonum commune* hominibus lex ſuprema? Utique bonum commune eſt id in quod hominum actiones tendere debent. Sed vi illius benevolentiæ, de qua loquitur Anglus iſte, nihil homines minus deliberate curant quam commune bonum. Extra mentem raptus fuerit oportet *Cumberlandus*, dum talia ſcripturiebat. Bonum quippe proprium eſt quod homines agit, & ſibi mancipia efficit. Boni proprii amor dominatur, imperat, iubet. Huc ſtudia, curæ, molimina omnia tendunt. Omnes ſuam propriam, non communem felicitatem quærunt; &, ut beati evadant, miſeri efficiuntur.

V. Sed alia quæ hoc eodem *cap. 11. Cumberlandus* ſcribit, examinanda occurrunt. Iam ſub initium *cap. 1.* monuit, ut vidimus ſupra, legum naturalium doctrinam in naturales corporum obſervationes a Phyſiologia agnitas reſolvi. Quod ut evincat, *cap. 11. §. 23.* inquit. „ Poſtulat methodi noſtri ratio ut nunc non„ nulla expendamus quæ hominum corporibus propria ſunt, ut videamus, an non „ illa homines ceteris animalibus aptiores faciant ad benevolentiam mutuam in„ ter ſe exercendam, atque adeo ad ſocietates magis amicas conſtituendas. “ Proprium autem hominis eſſe ſcribit ingens cerebrum, cuius virtute homines ad pacem, ad ſocietatem aptiores eſſe contendit, his verbis. „ Cerebri magnitudo inſi„ gnis eſt in proportione ſui corporis, ut habet Ariſtoteles. Et, ut plurimum „ homo duplo plus cerebri habet quam bos, nempe ad librarum quatuor, vel „ quinque pondus. Inde vero ſic ratiocinandum eſſe puto. Corporis humani me„ diocris pondus non aſſurgit ultra quartam partem ponderis corporis bovini; & „ tamen duplo plus cerebri ei conceſſum eſt in regimen tantilli corporis. Inde „ ſequitur, octuplum cerebri datum eſſe ad regendum æquale pondus membro„ rum. Ipſe etiam comperi, corpora ovium maiorum, & porcorum corpora pon„ dere corpus humanum æquare. Eorum autem cerebrum tantum octavam circi„ ter partem habere ponderis cerebri humani .... Ex his autem ſponte ſua „ hoc ſequitur, maiorem & molem, & vim cerebri, quæ in homine conſpicitur, „ ei naturaliter inſervire, ut multiplicem actuum, ſeu motuum varietatem inde „ pendentem diligentiore deliberatione, conſilio, & cura (qui uſus ſunt cerebri „ peculiares) dirigat. Hoc autem fieri nequit, quam ſibi maximum proponendo, „ commune nempe univerſi, bonum, entium vero rationalium præcipue; & o„ ptima media commodiſſima ratione ſollicitando, ideſt, efficaci benevolentia ra„ tionales ſibi omnes devinciendo .... In avibus aliquot, & piſcibus cerebri „ quantitas adeo exigua eſt, ut ab oculorum ſuorum mole & pondere æquetur, „ quandoque etiam ſuperetur ... nec his tamen hoc deeſt ingenii, ut pacate a„ gant cum animalibus ſui generis. Quanto minus hoc deeſſe poteſt (ſalva ipſo-

„ rum

Digitized by Google

„ rum felicitate) hominibus univerſim, qui ampliſſimis agendæ cognitionis inſtru-
„ mentis donantur; præſertim cum in cerebri uſu ad proſecutionem veri, bonique
„ maximi, maxima pars felicitatis humanæ conſiſtat? “

VI. Hoc itaque eſt iſtius Britanni Philoſophi ratiocinium. Homines exercendæ benevolentiæ adverſus ſui ſimiles, & ad ineundam cum eiſdem ſocietatem aptiores ſunt ceteris animantibus, quod illorum cerebrum ſuperet in magnitudine aliorum animantium cerebra. Et hoc unum ex principiis eſt quibus refutat Thomam Hobbeſium, inquientem, *homines urſis, lupis, & ſerpentibus eſſe ferociores: ſtatum eorum naturalem eſſe ſtatum belli omnium in omnes: nullam inter eos eſſe naturam boni, vel mali publici, antequam civitates conſtituantur; adeoque nullam eiuſmodi boni notitiam, nullum eius oppoſitum*. Quod ut evincat Hobbeſius, hanc inter ceteras affert rationem *Leviath. cap.* xv. Bruta inter iniuriam & damnum non diſtinguunt: itaque, quamdiu bene ſibi eſt, ceteris non invident. Homo autem tunc maxime moleſtus eſt, quando otio, opibuſque maxime abundat: tunc enim ſapientiam ſuam in regentium actionibus reprehendendis oſtentare amat.

VII. Ut hunc errorem Cumberlandus refellat, præ aliis rationibus unam opponit ex cerebri magnitudine arceſſitam. Unde autem colligit Cumberlandus, hac cerebrum præditum eſſe prærogativa, qua ſocietas, & mutua benevolentia homines inter promoveatur, & cuſtodiatur? Quam iſtius effectus rationem aſſignat? Nullam omnino. Nos contra habemus, unde iſtius principii falſitatem oſtendamus. Nam, ſi illud conſiſteret, inde ſequeretur, homines maiori ornatos cerebro aptiores, & efficaciores eſſe ad benevolentiam, & ſocietatem exercendam, promovendamque. At frequenter evenit, ut magni genii, ſapientioreſque nequiores, turbulentioreſque, pacis, & ſocietatis violatores ſint. Quomodo ſcit Cumberlandus, mentem hominis ita pendere ex ingentiore cerebri quantitate, ut nequeat arcta, & vehemens *benevolentia* haberi ſine ingenti cerebro? *In avibus*, inquit, *& piſcibus cerebri quantitas adeo exigua eſt, ut oculorum ſuorum mole, & pondere æquetur, quandoque etiam ſuperetur: nec his tamen hoc deeſt ingenii, ut pacate agant cum animalibus ſui generis*. Hoc exemplo confirmat ſuum principium, ex maiore cerebri quantitate arctiorem proficiſci benevolentiam, & ſocietatem. Verum, hoc admiſſo principio, conſequitur, eiuſmodi piſces, & aves, parvulo inſtructas cerebro, minus aptas eſſe ad pacem, & benevolentiam. Et tamen, Cumberlando iudice, pacate una vivunt piſces eiuſdem ſpeciei. At, inquit Auctor *Bibliothecæ ratiocinatæ Tom. XXXII. art.* 4. cur piſces iſti, qui tanta benevolentia mutuo ſeſe complectuntur intra eamdem ſpeciem, bello ſemper ardent contra alios alterius ſpeciei? Cur mutuo ſe ſe devorant, degluti͏untque? Duplici ne cerebro inſtructi ſunt? Uno, quo ſui ſimiles diligant, in eoſque benevolentiam exerceant; altero, quo ceteros diſſimiles hoſtiliter perſequantur? Errores itaque *Hob-*

beſii

beſii craſſis aberrationibus labefactare infelici conatu nititur *Cumberlandus*. Non inficior, plura contra eumdem opponere principia vera; ſed tot erroribus hæc permixta ſunt, ut, ſi ille per prærupta, hic per anfractus ambulet. Quod ut evidentius lector colligat, alterum tranſcribo ex hocce Philoſopho *Cumberlando* principium, quo utitur adverſus *Hobbeſium*, ut inde evincat, mutuam inter homines benevolentiam originem eſſe unde leges naturales dimanant.

VIII. Principium iſtud eruit Cumberlandus ex inclinatione ad propagandam ſpeciem. Inquit enim *cap. cit. §.* 28. „ Ad indicium igitur quartum, animalibus „ omnibus commune, a propenſione ad propagandum ſuum genus deſumptum „ hoc ſolum (quod obſervavi) habet corpus humanum, quod ipſi peculiare eſt, „ nempe quod eius *propenſiones ad venerem non limitatæ* ſunt ad quaſdam anni „ tempeſtates, ut ceterorum fere animalium, ſed quodammodo perpetuæ ſunt. „ Hinc autem fit ut hominibus pleriſque neceſſaria ſint connubia, & prolis ſuſci- „ piendæ appetitus vehementior: hinc ſequitur, nec ab his divelli poſſe appe- „ titus, immo & pacta circa alimoniam, & regimen familiæ. Quoniam autem „ hæc omnia a ſanguinis humani partibus agilioribus, & a maiorum vi vaſorum „ ſpermaticorum proveniunt, neceſſe eſt ut pariter maiora ſint inter homines „ quam inter bruta: maior itaque erit familiæ alendæ regendæque cura, quæ ſi- „ ne cognitione legum naturalium, & propenſione aliqua ad earum obſervatio- „ nem nulla eſſe poteſt."

IX. Digna profecto tanto Philoſopho moralis doctrina. In hoc homines brutis præſtant, quod ſingulis & omnibus quatuor anni tempeſtatibus ſemper exercendæ libidini idonei ſint, & parati? Brutorum deſideria ſua habent definita confinia. Tum ſolum bruta libidini indulgent, cum adſit prolis ſuſcipiendæ occaſio Hac ſublata cauſſa, a turpi abſtinent voluptate. Homines vero nullos temporis limites agnoſcunt; ſed quolibet tempore his frui illecebris valent. Dum hæc *Cumberlandus* ſcriptis conſignabat, odio forte raptus erat contra Catholico-Romanam Eccleſiam, quæ cœlibatum colit, & caſtitatem conſulit. Verum non modo deturpare hominum dignitatem *Cumberlandus* tentat; ſed falſa quoque de ipſis animantibus ſcripturit. Siquidem iſtorum plurima non alicui anni tempeſtati ſuam coercent libidinem, ſed pluries in annum generant; ut teſtantur qui de Indis, & Americanis brutis ſcripſere; quin & in Europa in non paucis animalibus id evenire, Naturaliſtæ tradunt, & experientia ipſa teſtatur.

X. Plurima alia ex Cumberlando referre poſſem, ut eiuſdem operis futilitatem evidentius patefacerem. Nec propterea inficior, plures in eodem, ſicut in quolibet opere, contineri veritates; ſed illas innumeris, & craſſiſſimis permixtas erroribus aſſero. Erravit impius *Hobbeſius*, qui Deum ipſum de throno detrudere ſcelerate tentavit. At, ſi *Cumberlandus* ex hac parte profligavit Hobbeſianam

im

Digitized by Google

impietatem, in alios ipſe prolapſus errores eſt. Præterquamquod omnia tam barbara oratione involvit, & tam perturbate omnia collocat, ut vix legi ſine ingenti moleſtia queant. Barbeyracus Gallica ſua verſione delinire dictionis aſperitatem, notiſque illuſtrare obſcuram doctrinam ſategit. At, licet amœnior ſit Gallica verſio, non propterea melior doctrina eſt. Quin prolixis enarrationibus ex arbitrio adiectis, & erroribus reſperſis auxit, non minuit aberrationes. Dum lego Lutheranos, novoſque Reformatos, aut morum, aut fidei quæſtiones verſantes, mihi videre videor homines Andabatarum more ſecum pugnantes, & Turris Babelicæ ædificatores omnia confundentes. Extorres miſeri ſunt, & ſegreges a principio veritatis per abrupta, & anfractus diſcurrunt errabundi, &, creſcente in dies obſtinatione, & rebellione a ſancta matre Eccleſia, denſiori quoque incredulitatis, impietatiſque caligine obducuntur. Quare non aſſentior *Cl. Antonio Genuenſi* in Regia Neapolitana Univerſitate Profeſſori, ſcribenti in Prolegom. ad Elem. Metaph. *§. 14. Sed nullibi melius hæc ſtudia exculta ſunt quam in Anglia; idque non ob aliam rationem, ut puto, quam ob libertatem philoſophandi*. Experientia oppoſitum docet. Ubinam tot Athei, tot Deiſtæ, quot ſunt in Anglia, non ob aliam ſcilicet rationem quam ob libertatem philoſophandi? At, ut ipſe perdoctus *Genuenſis* ibidem animadvertit *§. 6.* ex Verulamio, numquam conſummati, ſed inepti Philoſophi Athei fuere. Quid vero novi attulerunt Angli adverſus impios, quod non fuerat ſapientius a noſtris valde antea dictum? Sed de hoc fuſius alibi.

XI. Ut vero ad *Cumberlandum* revertar, pauca adverſus illius capitale principium, miſſis aliis conſectariis, dicam. In hominum itaque benevolentiam leges revocat naturales. Hanc benevolentiam humanæ ſocietatis fundamentum conſtituit. Multis minime opus eſt ut evincam, hominem hunc prorſus delirare. Quoniam ex iis quæ in diſſertatione ſuperiore dicta ſunt, id luculenter innoteſcit. Animadverti ibidem, duas in homine reperiri ſubſtantias, ſecum pugnantes inteſtino, & non interrupto bello. Utique homo amore in alios homines fertur; & benevolentia, qua mutuo mares, & feminæ ſe complectuntur, fundamentum eſt ſocietatis. Amor iſte ſocietatis non tam liber quam neceſſarius eſt. Quandoquidem homo vivere, & ſtirpem propagare abſque ſocietate nequit. Maritus, uxor, filius una ſint neceſſum eſt. Ex hac parte benevolentia fundamentum eſt ſocietatis; & in eamdem quoquomodo leges revocari naturales queunt. Verum enimvero, cum amor iſte peccato originali perturbatus ſit, impotens, effrenis, & turbulentus factus eſt. Aio & ego, amorem in homine, veluti Regem in throno, Imperatorem in exercitu, dominari, flectere, regere omnia. At quemadmodum Rex niſi legibus regiminis clavum moderetur, niſi amorem ſuum intra æquitatis fines coerceat, tyrannus evadit; ita hominis amor, niſi rectæ rationis lumine dirigatur, niſi ſuperiori & cæleſti igne purgetur, tyrannus eſt, qui omnia pervertit;

Digitized by Google

tit; atque eodem tempore bellum & pacem, fœdera & perduelliones parit, coniungit, & ſeparat, diligit, & odit, blanditur, & inſectatur. Societatis neceſſitas mutuum infert amplexum; at propriæ felicitatis cupido, & præſtandi ceteris ambitio, atque principatus, dominandique libido diſſidia, iurgia, diſcordias, bella perpetua, & crudeliſſima procreant. Rectæ rationis lumen ordinem oſtendit quo inferiora mediis, media ſupremis parere debent. Videt homo experrectus hæc omnia; ſed vires deficiunt quibus tot debellare hoſtes, tyrannoſque valeat. *Video meliora, proboque: deteriora ſequor.*

XII. Qualis ergo amor eſt qui recte omnia dirigit, qui ſocietatem firmat, pacem colit, fœdera ſervat inter homines, & homines Deo aureis vinculis devincit? Amor iſte divinus eſt. Hæc ſola benevolentia cæleſtis pacem ſine bello, ſocietatem ſine diviſione, tranquillitatem abſque perturbatione, ordinem abſque confuſione ſarta tecta cuſtodit. Sed, ut magis *Cumberlandi* falſa doctrina appareat, illud in memoriam revocandum, quod, niſi primus homo peccaſſet, humana ſocietas, mutua fulta benevolentia, tranquilla abſque diſſidio ullo vigeret. Perpetrata culpa, tranquillitas ordinis in diſſidia, bella, & tumultuantium affectuum turbam converſa eſt. Porro omnes mutuo pugnantes paſſiones in amorem proprium inordinatum reducuntur. Hæc amoris proprii perturbatio, ex prima culpa invecta, fons, & origo eſt omnium paſſionum, diſcordiarum, bellorumque, atque calamitatum. Et hunc amorem, diſſidiorum parentem, *Cumberlandus*, Eccleſiæ proteſtantis ſerventiſſimus propugnator, præiacit, tamquam humanæ ſocietatis & concordiæ fundamentum.

XIII. Nos, inquiunt Cumberlandiani, Pufendorfiani, ceterique de iure naturæ agentes, ſola naturæ principia conſulimus, ad Theologos meſſe relicta tractandi ea quæ a doctrina revelata pendent. Ita res ſe habet. Sed hic eſt illorum error, & cæcitas non ferenda. Quod Ethnicorum Philoſophi hac via inceſſerint, venia digni ſunt, quod doctrinam revelatam ignoraverint. At Lutheranorum, & Calviniſtarum cæcitas inexcuſabilis omnino eſt. Vident iſti, ſicut videbant Pagani, humanæ naturæ infirmitatem: &, quam illi neſcierunt medicinam, iſti perſpectam habent. Sciunt hi, benevolentiam humanam perturbatam, & inordinatam, diſcordiarum, litium, bellorumque originem eſſe fecundiſſimam: & in hanc *Cumberlandus* leges regerit naturales? Falleris, inquies. Homo ſuapte natura benevolus eſt: benevolentia ex ipſa proficiſcitur natura. Philoſophus benevolentiam, quæ hanc naturam abſolute conſideratam conſequitur, præ oculis habet, eamque conſiderat, ceteris relictis, quæ ex culpa originali, quæ Philoſophos latet, eidem acciderunt. Cum itaque natura hæc humana ſeiungi a benevolentia nequeat; iure, tamquam fundamentum legum naturalium, & ſocietatis mutuæ, hanc deſignamus benevolentiam.

XIV.

XIV. Exiſtimabam moralem Philoſophiam Proteſtantium eo pertinere, ut hominum, qui reipſa extant in mundo, mores formaret; at mea me fefellit opinio. Iſtorum Philoſophia moralis naturam humanam ſpectat ut abſtractam, & in metaphyſica præciſione exiſtentem. Hi ſunt medici, qui ægrotum inviſentes naturam humanam, ut ab infirmitate qualibet immunem, ſanare ſtudent. Næ iſti peritiſſimi medici? Sinamus ergo Scriptores iſtos Ethnicis cæciores. Utique vires naturæ expendendæ, meditandæque. Conſiderandum, quo natura ex ſe propendeat, quo inclinet, quo tendat. Verum una eiuſdem morbi affectiones, inteſtinæ revolutiones conſiderandæ; &, quid reipſa valeat, tota mentis indagine perſcrutandum eſt. Porro natura iſta ex una parte ad ſocietatem, ex altera ad diviſionem, ſeparationemque fertur. Paganorum Doctores, cauſam iſtius inteſtini belli neſcientes, idoneam ſanandæ naturæ medicinam ignorarunt. Iſtorum veſtigia perſequi novatoribus placet. His itaque in ſuarum tenebrarum ſpiſſa caligine relictis, veritatem paucis manifeſtemus.

XV. Amor eſt qui, veluti clavus navim, hominem, hominumque ſocietatem moderatur, flectit, ſubiicit, erigit, quocumque vult. Rex eſt qui omnibus appetitionibus imperat, qui obſtacula ſuperat, qui grandia molitur, qui non agit perperam, non invidet, non æmulatur, non eſt ambitioſus; ſed omnia ſuſtinet, omnia ſuffert. Amor iſte primum naturali rationis lumine dirigitur: deinde & luce, & flamma cæleſti fovetur, accenditur, & perficitur. Amor iſte Paganos latuit, eumque Lutherani, & Calviniani reiiciunt, repudiantque. Lumen itaque tum naturale, tum divinum benevolentiam humanam dirigit, roborat, & ſurſum effert. Hæc benevolentia, præfato lumine directa, ſocietatem veram inducit, pacem alit, tranquillitatem fovet. Hæc eſt doctrina S. Pauli Apoſtoli Epiſ. ad Rom. cap. 111. *Qui diligit proximum ſuum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, &, ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

XVI. Revocet Britannus Philoſophus Cumberlandus hominum ſocietatem, legeſque naturales in benevolentiam maris cum muliere concumbentis, in libidinem humanam nulli tempori limitatam, in vaſa ſpermatica ampliora in homine quam in brutis. Quoniam hæc philoſophandi ratio, Proteſtante hæretico revera digna, ſat eſt ut heinc colligas, quo in pretio habendi ſint libri quos ad illuſtrandum naturæ ius evulgant Lutherani, & Calviniani. Hæc ſunt opera digna ut *Barbeyraci* penicillo dealbentur. Hi ſunt ſapientes illi aquilonares, qui iacentem, obſcuratamque iuris naturæ ſcientiam ad priſtinam lucem reſtituerunt; qui, excluſa doctrina revelata, ſupernoque lumine, iuris naturalis arcana reſerare contendunt.

C A-

CAPUT III.

Doctrina S. Thomæ *de homine propter finem operante. Finis, qui principium extrinſecum eſt humanarum actionum, notio, & partitio. Plures hoc de argumento quæſtiunculæ. Admonitio ad Puſendorfianos, VVolfianos, & Heinneccianos.*

I. INter præcipuas angelicæ doctrinæ prærogativas, perſpicuitas, & ordo admirandus in primis reſplendent. In prima ſuæ Summæ parte Dei exiſtentiam, naturam, attributa, perſonarum pluralitatem, poteſtatem, vimque creatricem iſtius univerſi, & innumera alia arcana quæ Dei naturam conſequuntur, incredibili claritate exponit. In ſecunda eiuſdem Summæ parte, quam eius Aſſeclæ in partes duas tribuerunt, de homine propter finem operante ſermonem inſtituit; atque eiuſdem officia adverſus ſe, adverſus Deum, adverſus ceteros homines ſingulari perſpicuitate, & ordine declarat. Quid naturæ vires valeant, quibus auxiliis egeant, ut ſe ſe in officia exerant, diſpicit. Intellectus, & voluntatis, quæ ſunt duo iuris naturæ proxima principia, operationes omnes tam ordinate enucleat, tanta luce perfundit, ut in admirationem raptus lector hæreat.

II. Quoniam vero amor eſt qui in homine dominatur, ut capite ſuperiore diximus, ab amore ultimi finis S. Thomas ſuam primam ſecundæ partis auſpicatur]. Initio huius libri doctrinam, qua Doctor Angelicus in Commentariis ſuper *Ethic. Ariſt.* ideam veluti univerſalem hominis, ſe, Deum, & ceteros homines reſpicientis, perhibet, in medium produxi. In præſens, quæ idem Doctor ſanctus in ſua 1. 2. de hominis officiis mirabili ordine tradit, exponam. Primam ſuam quæſtionem in octo partitur articulos. Nos vero ſequentibus quæſtiunculis omnia perſtringemus. Facilia quippe ſunt, & omnibus pervia quæ hoc in capite dicturi ſumus, idcirco paucis expedienda.

III. Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit finis; & an homini agere propter finem conveniat?* Reſp. Vulgari circumfertur proverbio, in omnibus reſpiciendum eſſe finem, qui eſt humanarum operationum extrinſecum principium, & terminus. Principium in intentione, terminus in executione. Huc pertinet quod Propheta David canit Pſal. CXVIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas . . . propter retributionem*. Communis finis notio hæc eſt: *Id cuius gratia aliquid fit*. Duplicem diſtinguit finem Angelicus. Unum appellat *cuius*, alterum *quo*. Ille res ea eſt ob quam conſequendam agens operatur; hic eſt eiuſdem rei adeptio.

Præ-

Digitized by Google

Præter hos duos fines alius nominatur finis *cui*, videlicet *cui* quæritur res illa quæ habet rationem finis *cuius*: æterna retributio eſt finis *cuius* gratia; homo eſt finis *cui* deſideratur illa æterna merces. Alteram diviſionem tradit S. Thomas in finem *operis*, & in finem *operantis*. Finis *operis* res illa eſt quam opus ſuapte natura ſpectat, & in quam tendit. Finis *operantis* eſt in quem agens ex ſuo arbitrio ordinat opus ſuum. Tandem celebris eſt diviſio in finem *ultimum*, in quem voluntas omnia dirigit, & in quo ſiſtit; & in finem *intermedium*, ſeu non ultimum, in quo voluntas non quieſcit, ſed ultra pergit; ut, dum vult laborem propter mercedem, mercedem ob alendam vitam, vitam ob ſalutem animæ, animæ ſalutem ob Dei gloriam, in qua tandem ſiſtit.

IV. Homini agere propter finem convenit. Idque S. Thomas ex ipſius humanæ naturæ finitione evincit. Homo quippe ratione, & voluntate a ceteris creaturis diſtinguitur. Quare actiones illæ humanæ dicuntur quæ a voluntate, rationeque deliberante procedunt. Aliæ enim actiones, quæ ſine rationis deliberatione fiunt ab homine, *hominis*, non humanæ appellantur, quod ab homine ut animali, non ab homine ut ratione prædito dimanent. Porro actiones humanæ propter finem ſint neceſſum eſt: quia, quoties homo deliberate agit, finem ſibi præſtituit, cuius gratia operatur. Eccur præſtituere finem ſibi debet? Quia nequit humana voluntas agere, niſi propter bonum, quod eſt eiuſdem adæquatum obiectum. Ergo, quoties deliberate agit, proponere ſibi bonum debet. Bonum autem propoſitum finis rationem habet. Ergo homini agere propter finem convenit.

V. Quæſt. II. *Solius ne hominis eſt propter finem agere?* Reſp. Negat S. Thomas *art.* 2. ſed omnia agentia propter finem operari docet. Nullum quippe agens in actionem erumpere valet, niſi ab aliqua cauſſa determinetur. Eſt enim indifferens ad hoc aut illud agendum. Ergo, ut hoc potius præ alio agat, determinari ab aliquo debet. Porro hoc eſt diſcrimen rationales inter & irrationales creaturas, quod quæ ratione præditæ ſunt, ſemetipſas movent per propriam voluntatem, prævio rationis iudicio proponente finem, qui in ſui proſecutionem voluntatem allicit; quæ vero ſunt rationis expertes, non movent ſeipſas in finem; ſed moventur ab alio. Nam, ſi ſenſu carent, ab alio diriguntur in finem; ut ſagitta in finem, ſeu ſcopum dirigitur a ſagittante; quæ vero ſenſu prædita ſunt, naturæ inſtinctu in finem ducuntur. Homo finem, & media fini conſequendo idonea cognoſcit. Bruta apprehendunt finem, & abſque omni conſultatione in eumdem naturæ inclinatione rapiuntur. Aliqua bruta, ut canis, equus &c. ita ſe gerunt in mediorum, quæ fini obtinendo viam parant, electione, ut, conſultatione præmiſſa, agere videantur; ſed ex ceteris operationibus liquido conſtat, inſtinctu, non conſilio illa duci. Naturæ auctor omnes creaturas quæ ratione

ca-

carent, dirigit in finem. Bruta utique movent quoquomodo ſeipſa in rem quæ finis eſt; at finis rationem cum reſpectu ad media, & mediorum proportionem cum fine non diſtinguunt, nec conſulere ſuper iiſdem valent. Ceteræ creaturæ ſenſu deſtitutæ extrinſecus tantum in finem moventur. Neque hinc colligas velim, homines a Deo non moveri in finem: moventur enim & iſti, ſed iuxta propriam naturam, libero arbirrio inſtructam.

VI. Hinc colligas, uno in ſenſu agentia omnia propter finem operari, quatenus ab auctore naturæ diriguntur in finem; altero in ſenſu ſolum hominem inter iſtius univerſi creaturas agere propter finem, quia ſolus finem cum mediis, & media cum fine confert. Actiones ridendi, flendi, admirandi, licet ab homine prodeant, ſi tamen rationem præveniant, ſicut & prima cogitatio intellectus, & motus indeliberati voluntatis, non ſunt proprie actus humani; cum non producantur ab homine per rationem agente. E contrario actiones ipſæ quæ brutis competunt, ut comedere, bibere, ambulare, &c. ſi fiant deliberatione imperante, humanæ ſunt.

VII. Diſputare hic Theologi ſolent, operetur ne Deus propter finem. Communis ſententia eſt, illum agere ad extra propter finem, quatenus unum propter aliud ordinet; non quatenus ideo velit hoc, quia vult aliud: ſeu actio qua vult finem, ei cauſſa non eſt cur velit media: quia quo actu finem, eodem & media vult, & omnia in ſeipſum ordinat, ut Salomon ait Prov. XVI. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

VIII. In controverſiam ſimiliter revocant Theologi, num omnes actiones humanæ, tam elicitæ, nempe quas ipſa voluntas producit, quam imperatæ, nempe quæ eliciuntur ab intellectu, aliiſque potentiis, ſint propter finem. Communis ſententia adfirmat. Nam actiones quæ in mediorum executione occupantur, ut conſenſus, electio, & uſus, ſunt eiuſdem finis effectus. Siquidem ideo voluntas eligit media, quia vult finem. Aliæ actiones quæ finem ſpectant, ut ſimplex volitio, & intentio, ſimiliter ſunt propter finem: quia voluntas a finis bonitate vel vera, vel apprehenſa movetur. Bonitas itaque finis illicit, movetque voluntatem in ſui proſecutionem.

IX. Quæſt. III. *Officia humana recipiunt ne a fine ſpeciem, ſeu bonitatem, ac malitiam?* Reſp. Humana officia, ut moralia, S. Thomas conſiderat; ita ut actiones humanas, & actiones morales pro eadem re accipiat. Porro has actiones humanas ſuam a fine ſpeciem capere docent Scripturæ divinæ, & Patres. Inquit enim S. Matthæus cap. VI. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Quem textum ſic interpretatur S. Auguſtinus Lib. II. de ſer. Dom. in mont. cap. XIII. *Oculum hic accipere debemus ipſam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quæ ſi munda fuerit, & recta, & illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt;*

omnia

omnia opera noſtra, quæ ſecundum eum operamur, neceſſe eſt bona ſint. Quæ omnia opera totum corpus appellavit. Luculentius rem hanc explicat S. Doctor Lib. de morib. Manich. cap. 111. *Quod non veſcimini carnibus, & vinum non bibitis, ſignaculum oris mirandum, & laudandum putatis. Quod quæro a vobis quo fine faciatis? Finis enim, quo referuntur ea quæ facimus, ideſt propter quem facimus quidquid facimus, ſi non ſolum inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum facta noſtra laude aliqua digna ſunt. Sin ille iure merito culpatur, quem ſpectamus, & intuemur, cum in aliquo verſamur officio; id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilina memoriæ proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat: hæc erant illi ſpurco, ſacrilegoque etiam cum Apoſtolis noſtris communia. Unde ergo diſcernitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris, niſi fine illo, quem diverſiſſimum ſequebantur?* Hanc S. Auguſtini doctrinam ipſe S. Thomas in hac 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. allegat, & ratione ſua confirmat. Actiones, inquit, humanæ & a principio, & a termino ſpeciem capiunt bonitatis, vel malitiæ. Principium autem extrinſecum actionis humanæ eſt finis movens voluntatem, quæ ſimul in eodem fine, executionis ordine ſpectato, tamquam in termino quieſcit. Heinc concludit Angelicus Doctor. *Et ideo manifeſtum eſt quod principium humanorum actuum, inquantum ſunt humani, eſt finis: & ſimiliter eſt terminus eorumdem: nam id ad quod terminatur actus humanus, eſt id quod voluntas intendit tamquam finem.*

X. Quæſt. IV. *Sit ne aliquis finis ultimus humanæ vitæ?* Reſp. Hanc quæſtionem *art.* 4. proponit S. Thomas, qui abſtrahit a fine vero, de quo in altera ſequenti quæſtione agit, & ficto. Ordinate quippe incedit, & a generalibus ad particularia gradum facit. Quæſtiunculæ his verbis reſpondet. *Impoſſibile eſt in finibus procedere in infinitum quacumque ex parte. In omnibus enim quæ per ſe habent ordinem ad invicem, oportet quod, remoto primo, removeantur ea quæ ſunt ad primum .... Non eſt poſſibile in moventibus cauſis procedere in infinitum: quia non eſſet primum movens, quo ſubtracto alia movere non poſſunt, cum non moveant niſi per hoc quod moventur a primo movente. In finibus autem invenitur duplex ordo, ſcilicet ordo intentionis, & ordo executionis: & in utroque ordine oportet eſſe aliquid primum. Id enim quod eſt primum in ordine intentionis, eſt quaſi principium movens appetitum: unde, ſubtracto principio, appetitus a nullo moveretur. Id autem quod eſt principium in executione, eſt unde incipit operatio: unde, iſto principio ſubtracto, nullus inciperet aliquid operari. Principium autem intentionis eſt ultimus finis; principium autem executionis eſt primum eorum quæ ſunt ad finem. Sic ergo ex neutra parte poſſibile eſt in infinitum procedere: quia, ſi non eſſet ultimus finis, nihil appeteretur, nec aliqua actio terminaretur; nec etiam quieſceret intentio agentis. Si autem non eſſet primum in his quæ ſunt ad finem, nul-*

Digitized by Google

lus inciperet aliquid operari, nec terminaretur conſilium; ſed in infinitum procederet. Ea vero quæ non habent ordinem per ſe, ſed per accidens ſibi invicem coniunguntur, nihil probibet infinitatem habere: cauſæ enim per accidens indeterminatæ ſunt. Et hoc etiam modo contingit eſſe infinitatem per accidens in finibus, & his quæ ſunt ad finem.

XI. Integram argumentationem S. Thomæ reſcribere volui, ut vel ex hac ſola colligant Puſendorſiani, VVolfianique vim, ordinem, profunditatem, atque perſpicuitatem ratiocinii quo utitur Doctor Angelicus in qualibet ſua firmanda ſententia. Innumeri ſunt fines particulares, qui ordinem per ſe, ſeu eſſentialem non habent inter ſe: nec enim unus iſtorum ab altero pendet in movendo appetitu, cum ſint diſparati. Quare voluntas a quolibet particulari fine incipere valet, eumque alteri ſubiicere; cum nullus ex his finibus particularibus ſuapte natura ita determinatus ſit, quin eadem voluntas ab altero incipere poſſit. Hinc voluptuoſus quærere pecuniam valet, ut epuletur, ut fornicetur, ut ludat, ut ædificet, & ad quemcumque alium finem, ob rationem datam, quod nullus ab altero in appetitu movendo pendet.

XII. Quæſt. V. *Unius hominis valent ne eſſe plures ultimi fines?* Reſp. Negat S. Thomas *art.* 5. treſque rationes aſſignat. Prima hæc eſt. Unuſquiſque ſuam appetit perfectionem. Ergo, quoties appetit bonum, tamquam ultimum finem, appetit ultimam, plenamque perfectionem, quæ totum impleat appetitum. Niſi enim totam appetitionis amplitudinem ſatiaret, iam non eſſet ultima perfectio. Si totam implet; nil ergo alteri fini relinquit occupandum. Notio finis ultimi eſt, ut omnia referantur ad illum. Si duo eſſent ultimi fines; vel unus iſtorum amaretur propter alium, vel ſecus. Si primum, iam finis, qui propter alium amaretur, non eſſet ultimus, cum referretur ad alium: quæ ordinatio ultimi finis notioni repugnat. Si ſecundum, neuter eſſet ultimus finis, cuius notio eſt, ut omnia propter ipſum appetantur. Altera ratio. *Sicut in proceſſu rationis principium eſt id quod naturaliter cognoſcitur; ita in proceſſu rationalis appetitus, qui eſt voluntas, oportet eſſe principium id quod naturaliter deſideratur. Hoc autem oportet ſe unum: quia natura non tendit niſi ad unum. Principium autem in proceſſu rationalis appetitus eſt ultimus finis: unde oportet id in quod tendit voluntas ſub ratione ultimi finis, eſſe unum.* Tertia ratio eiuſmodi eſt. *Cum actiones voluntariæ ex fine ſpeciem ſortiantur, ſicut ſupra habitum eſt; oportet quod a fine ultimo, qui eſt communis, ſortiantur rationem generis; ſicut & naturalia ponuntur in genere ſecundum rationem formalem communem. Cum igitur omnia appetibilia voluntatis, inquantum huiuſmodi, ſint unius generis, oportet, ultimum finem eſſe unum: & præcipue quia in quolibet genere eſt unum primum principium: ultimus autem finis habet rationem primi principii, ut dictum eſt. Sicut autem ſe ha-*

habet ultimus finis hominis ſimpliciter ad totum humanum genus ; ita ſe habet ultimus finis huius hominis ad hunc hominem . Unde oportet quod ſicut omnium hominum eſt naturaliter unus finis ultimus , ita huius hominis voluntas in uno ultimo fine ſtatuatur . Nec verbum adiicio tam ſublimi , & luculentæ doctrinæ , quam ipſe Chriſtus Dominus confirmat, inquiens Matth. VI. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, qui ſcilicet ſupremi ſint, nec unus alteri ſubiaceat.

XIII. Quæſt. VI. *Vult ne homo , quæ appetit , omnia propter ultimum finem ?* Reſp. S.Thomas *art. 6.* hanc proponit quæſtionem , & affirmanter reſpondet ob duplicem rationem . Quoniam quidquid homo appetit , ſub ratione boni illud appetit . Porro aut illud appetit ut bonum perfectum ; & tum eſt ultimus finis : aut ut bonum minus perfectum ; & tunc hoc bonum vult, ut tendat in bonum perfectum, quia ſemper inchoatio alicuius ordinatur in perfectionem conſummatam, in ultimo fine conſtitutam . Accedit quod ultimus finis eodem modo appetitum movet quo prima cauſſa ceteras movet . Omnes autem ſecundæ cauſſæ moventes non movent , niſi ſecundum quod moventur a primo motore . Igitur ſecunda appetibilia appetitum non movent niſi in ordine ad primum appetibile , quod eſt ultimus finis . Hactenus S.Thomas totidem fere verbis . Qua de re late diſputat in *diſpp. quæſt. de carit. art. 11. Omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita ; ſicut non eſt poſſibile quod ſemper de Deo cogitetur . . . . Sed quod omnia virtualiter referantur in Deum , hoc pertinet ad perfectionem caritatis , ad quam omnes tenentur .* Ibidem diſtinguit relationem habitualem a virtuali his verbis . *Aliud eſt habitualiter referre in Deum , & aliud virtualiter . Habitualiter enim refert in Deum etiam is qui nihil agit , nec aliquid actualiter intendit , ut dormiens . Sed virtualiter aliquid referre eſt agentis propter finem ordinatum in Deum . Unde habitualiter referre omnia in Deum non cadit ſub præcepto , ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præcepto caritatis ; cum hoc non aliud ſit quam habere Deum ultimum finem .* Verum de hoc plura in *diſſert. de carit.* dicta ſunt, quæ ibi videri poſſunt.

XIV. Quæſt. VII. *Sit ne omnium hominum unus ultimus finis* ? Reſp. Finis ultimus ſub duplici aſpectu conſideratur. Primo ſecundum generalem finis ultimi rationem : & ſub hac conſideratione unus eſt omnium finis ultimus . Altero modo ſpectatur ut res quædam particularis , in qua homo ſuum ultimum finem conſtituit : & ſub hac conſideratione unus non eſt omnium hominum finis ultimus . Quoniam non una omnium eſt ſententia de re in qua boni ſummi , & perfecti , explentis appetitionem voluntatis, ratio ſita ſit . Nam hanc ſummi boni perfectionem alii in divitiis , alii in voluptatibus conſtituunt . Finis vero ultimus ſub priori conſideratione unus eſt omnium : ſiquidem omnes appetunt id quod exiſtimant eſſe bonum ſummum & perfectum , quodque potens ſit ſaturare uſque-

quequaque voluntatis amplitudinem. Et in hoc ratio formalis finis ultimi ſita eſt.

XV. Quæſt. VIII. *Utrum in hoc fine ultimo aliæ creaturæ conveniant?* Reſp. In octavo articulo, quo ſuam claudit S. Thomas quæſtionem, propoſitum diſpicit quæſitum, illudque paucis reſolvit. Finis *cuius gratia*, ſeu res quæ reapſe eſt ultimus finis, unus eſt hominum, & aliarum creaturarum. Omnia quippe Deus propter ſemetipſum operatus eſt. Si vero ſermo ſit de fine *quo*, non unus eſt hominum, & creaturarum irrationalium finis. Nam homines cognitione, & amore Deum indipiſcuntur; aliæ vero irrationales creaturæ ultimum finem, ſeu Deum, aſſequuntur, quatenus aliquam Dei ſimilitudinem participant prout exiſtunt, aut vivunt.

XVI. Perſtringere paucis volui primam quæſtionem, quam in octo diſtributam articulos S. Thomas de homine propter finem operante tractat, ut aliquo ſuffundantur pudore Puſendorſiani, VVolſiani, Heinneciani, ceterique ſimiles, qui Scholaſticis obſcuritatem, iuris naturalis ignorationem, & tumultuariam ſcribendi rationem exprobrant. Quid, ſi omnia argumenta, quæ ſingulis articulis ſibi obiicit, dirimitque Angelicus brevitate, & eruditione ſumma, in medium attuliſſem? Porro hæc omnia viam aperiunt ad naturam humanam, quæ iuris naturæ fundus eſt penitius cognoſcendam. Et tamen ubinam celeberrimi iuris naturæ interpretes heterodoxi hoc primum humanarum actionum principium illuſtrant? Ubi Puſendorſius, Heinnecius, Thomaſius, ceterique hanc doctrinam, omnium primum explicandam, declarant? Quæ idcirco illis vitio verto, quod, cum omnia perturbate, confuſeque permiſceant, temeritate incredibili ſummis catholicæ Eccleſiæ viris inſultare non erubeſcunt.

CAPUT IV.

De beatitudine, quæ eſt verus ultimus finis hominum. In nullo bono creato, ſed in ſolo Deo ſita eſt. Chriſtiani VVolſii *de ſummo bono propoſitiones.*

I. PRimum S. Thomas univerſalem finis ultimi notionem diſpexit: poſt ad rem ipſam, in qua hæc finis ultimi natura ſita eſt, declarandam accedit. Paganorum Sapientes nullum aliud argumentum tanto ſtudio ac iſtud de finibus bonorum, & malorum illuſtrarunt. Huc illorum curæ, & ultimi conatus. Quinque libros inſumpſit Marcus Tullius. At nulla umquam cauſſa inter eos fuit in qua minus convenirent, & de qua magis diſſiderent. S. Auguſtinus *Lib. XIX. de Civ. Dei cap.* 1. advertit, Marcum Varronem numerare ducentas octoginta & octo ſectas

ctas mutuo pugnantes ſuper illa felicitate quæ beare homines valet. *De finibus enim* (inquit Auguſtinus) *bonorum, & malorum multa, & multipliciter inter ſe Philoſophi diſputarunt. Quam quæſtionem maxima intentione verſantes, invenire conati ſunt quid efficiat hominem beatum. Illud enim eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cetera, ipſum autem propter ſeipſum. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo conſumatur, ut non ſit, ſed quo perficiatur, ut plenum ſit; & finem mali, non quo eſſe deſinat, ſed quouſque nocendo perducat. Fines itaque iſti ſunt ſummum bonum, & ſummum malum. De quibus inveniendis, atque in hac vita ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo, multum, ſicut dixi, laboraverunt qui ſtudium ſapientiæ in huius ſæculi vanitate profeſſi ſunt; nec tamen eos, quamvis diverſis errantes modis, naturæ limes intantum ab itinere veritatis deviare permiſit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent, & malorum. Ex qua tripartita veluti generalium diſtributione ſectarum Marcus Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad* CCLXXXIII. *ſectas, non quæ iam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillime perveniret.*

II. Notio beatitudinis abſolute acceptæ bonum eſt plene, & uſquequaque ſaturans appetitum rationalis animæ. Boetius dicit, ſtatum eſſe omnium bonorum aggregatione perfectum. Sicuti duplicem finem diſtinguit S. Thomas, ita duplicem diſtinguit beatitudinem. Altera appellatur *obiectiva*, & eſt res ipſa, ſeu finis *cuius gratia*. Altera *formalis*, eſtque actus quo homo obtinet, & amplectitur ipſam beatitatem obiectivam, ſeu bonum quod ſatiat appetitionem humanam. Beatitudo *obiectiva* duplex. Altera ſupernaturalis, quæ eſt ſummum bonum, viribus divinæ gratiæ obtinendum: altera naturalis, quæ ſimiliter eſt ſummum bonum, viribus naturæ comparandum. Rurſus beatitudo obiectiva altera eſſentialis, quæ eſt Deus ipſe, ut infra dicturus ſum; altera accidentalis, quæ comprehendit cetera bona creata extra Verbum.

III. Doctor Angelicus quæſtionem ſecundam, in octo itidem articulos tributam, occupat in inveſtigatione & examine illarum felicitatum in quibus conſtituere plures ſuam beatitatem ſolent. Et primum definit, non poſſe in divitiis conſiſtere: divitiæ quippe anxium, non beatum efficiunt hominem, ut teſtatur Salomon omnium ditiſſimus. Demonſtrat *art.* 2. beatitatem hanc non eſſe in honore ſitam: quia honor eſt teſtimonium excellentiæ, quæ iam ſplendet in illo cui honor exhibetur. Multo minus in fama; quæ, ſi vera eſt, conſequitur, non confert beatitudinem, ut oſtendit *art.* 3. Dominium, & poteſtas pluribus aliis indigent, & ſollicitudinem afferunt, & curas multas, quæ hominem non beatum, ſed anxium efficiunt: idque probat S. Thomas *art.*4. quemadmodum *art.* 5. evincit, bona corporis non reddere hominem beatum: tum quod hæc brevitati, & mutationi ſint ob-

obnoxia: tum quod hæc ad conſervationem hominis ordinantur. Ipſe autem homo nequit ſibi eſſe ſua beatitudo, nec ultimus finis. Voluptates vero, & delectationes, ut demonſtrat S. Doctor *art.* 6. ſunt effectus felicitatis, & beatitudinis, non cauſſa eiuſdem. Anima autem ipſa nequit eſſe ſua beatitudo, quia nequit eſſe ſuus ultimus finis, ut declarat *art.* 7. Et tandem concludit *art.* 8. in nullo bono creato, neque in omnibus bonis creatis ſimul collectis conſiſtere beatitudinem poſſe. Siquidem beatitudinis eſt plene, & undique explere, ac ſaturare appetitionem voluntatis; quam ſatietatem omnia bona creata ſimul etiam coniuncta præſtare nequeunt.

IV. Excluſis bonis creatis ab hominis beatitudine, quæſtionem tertiam inſtituit AQUINAS, ſimiliter in octo diſtributam articulos, in quorum primo beatitatem noſtram in ſolo increato bono ſitam evincit. Quoniam Deus ſolus eſt bonum infinitum, & perfectum, potens ſaturare animam noſtram, ſancto Davide teſte: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: Pſal. XVI. Diſtinguit, ut ſupra, duplicem beatitudinem: alteram obiectivam, quæ eſt Deus ipſe, increata bonitas; alteram formalem, quæ eſt quid creatum, nempe animæ operatio, qua obtinetur, & poſſidetur ipſa infinita atque immenſa bonitas. Quod in ſolo Deo ea omnia inveniantur quæ ſaturare voluntatem noſtram queunt, patet ex quatuor humani cordis deſideriis, quæ continenter hominem exagitant, flectunt, circumagunt. Primum eſt veritatis deſiderium, cum Angelis commune. Alterum eſt deſiderium voluptatis, commune cum brutis. Tertium eſt deſiderium æternitatis, commune cum omnibus entibus corruptionis expertibus. Quartum deſiderium eſt honoris & dignitatis, proprium hominis, qui vitam politicam, & civilem agere ſuſpirat. Huc recidunt omnia ad quæ cor hominis inclinatur. Porro hæc omnia in unico ſolo Deo viſo, & poſſeſſo ſplendent. Ibi enim apparet veritas ſine ænigmate, cuius poſſeſſio voluptatis torrente ſitim animæ extinguit. Et, cum Deus æternus ſit, perpetua quoque eiuſdem poſſeſſio erit. Quis autem tantam exprimere dignitatem poteſt, qualis eſt evectio ad thronum Dei, ad eiuſdem menſam, imperium, regnumque æternum poſſidendum? Plura diſputant Theologi, potiſſimum, num Deus, ut trinus, ſit beatitudo obiectiva; & in quo actu, intellectus, an voluntatis, beatitudo formalis ſita ſit. Verum hæc omnia præter inſtituti noſtri confinia extant; idcirco illa, ſicut & tres alias quæſtiones, quibus Doctor Angelicus beatitudinem, & ea omnia quæ eamdem comitantur, explicat, miſſa facio.

V. Sat mihi fuit obiter indicare immenſam illam felicitatem, ad quam comparandam creatus homo eſt. Noſter quippe ſermo omnis ſpectare huc debet, ut hunc portum hominibus, qui peregrinantur a Domino, patefaciat. Crocitent Lutherani, Calvinianique, nos doctrinam revelatam cum naturali confundere, ratiociniis, a iure naturæ arceſſitis, Scripturarum, Patrumque auctoritates permiſcere.

Fe-

Felices in hac vita cum ethnicis Philoſophis homines efficiant illi. Exprobrent nobis iuris naturæ ignorationem. Nos interea, hæc illorum deliria recogitantes, eorumdem miſeremur cæcitatis. Iactant novi iſti Sapientes, ſe hominem imbuere velle, ut recte, morateque ſe gerat erga ſeipſum, erga Deum, & erga proximum. Et de principio, hæc omnia officia moderante, vix verba faciunt, aut in ſolis creatis bonis ultimi finis gloriam conſtituunt. Atque adeo miſeros reddunt homines, dum illos efficere beatos contendunt. Separant Doctores iſti quæ coniuncta ſunt, ſuſdeque pervertunt omnia; & dum ſupra ceteros Scriptores ſemetipſos extollunt, ſeſe deridendos propinant. Feſtiva ſunt quæ VVolfius ſcribit in prolegomeno ad ius naturæ. Iuris naturæ ſcientiam neceſſariam aſſerit ad virtutem colendam, ad conſcientiæ cuſtodiam, ad culpas cavendas. *Qui ſummum bonum* (inquit ſ. 7.) *conſequi, & felicitatis compos fieri voluerit, ei iuris naturæ cognitio neceſſaria*. Iuris naturæ cognitionem primum omnium, tamquam fundamentum, quod præire debet, neceſſariam omnes fatemur. At fieri ne poteſt ut homo, hac ſola notitia inſtructus, ſummum bonum aſſequatur, evadatque felicitatis compos? Ubinam hoc ſummum bonum reperitur? In quo ſita eſt felicitas iſthæc? Obmuteſcit. Verborum farraginem conſarcinat, ut id probet quod nulla eget probatione; & ea ſilentio obvolvit quæ imprimis erant declaranda. Subdit ſ. 8. *Qui vitæ perfectæ ſtudet, ei cognitio naturæ neceſſaria*. Satis ne eſt cognitio iſta, ut quis vitæ perfectionem aſſequatur? Chriſtus Dominus dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Quid, inquient VVolfiani, in medium Chriſtum IESUM adducis? Sola nunc naturæ decreta ſcrutamur. Bene habet. At numquid natura iſta habet ſeipſa ſuam felicitatem, ſummum ſuum bonum? Aſſequi ne perfectionem ſuam valet iis ſolis quæ ex ſuo unico colligit ſundo? Quod Ethnicorum Philoſophi in tot ſectas diviſi fuerint, & per tot ambulaverint anfractus in iſtius ſummi boni, & beatæ felicitatis inveſtigatione, aliqua digni fuerunt venia, ut alias dixi. At Lutherani noſtri, talia ſcribentes, omni ſunt excuſatione deſtituti. Lege, ſi per otium licet, laudata iuris naturæ prolegomena VVolfiana, ut ipſe iudex ſis, quam ſint iſtorum ſcriptiones Reipublicæ ſive chriſtianæ, ſive ethnicæ, utiles. Nam, ſi cum ethnicorum ſcriptis in ius naturæ conſeras hæreticorum ſeptentrionalium opera, colliges, pluris faciendum eſſe unius Marci Tullii, unius Plutarchi, unius Senecæ ſcripta, quam omnia iſtorum novatorum ingentia volumina.

CAPUT V.

De officiis voluntariis. Quam præclare hæc S. Thomas, ceterique Theologi catholici exponant. Quam ieiune, imperite, & obſcure de his ſcribant Puſendorfius, Thomaſius, ceterique earumdem ſectarum.

I. HActenus S. Thomas principium extrinſecum, quod voluntatem ad ſua peragenda officia movet, expoſuit: nunc ipſius animæ penetralia ingreditur. Recta id diſputandi methodus poſtulabat. *Proponendum eſt primum* (inquit vel ipſe Seneca de vita beata cap. 1.) *quid ſit quod petamus. Tunc circumſpiciendum eſt, qua contendere illo celerrime poſſimus. Decernatur itaque & quo tendamus, & qua.* Ultimi finis notionem, & bonum illud increatum, in quo ſolo ultimus finis, ſeu beatitudo noſtra reperitur, propoſuit reipſa Angelicus. Nunc ad officia, quibus illuc pervenitur, exponenda procedit. Ultimos ſubit animæ receſſus, ſecretiora penetrat latibula, intentiones, molimina, conatus, deliberationes, conſilia, electiones, uſus, & cetera vel occultiora arcana reſerat. Per immenſam illam voluntatis humanæ profunditatem diſcurrit, anfractus, ſpecus, antra, labyrinthos offendit. Obſervat ibi iniuſtitias, proditiones, vaſerrimas machinationes concipi, atque parari: & omnia patefacit. Tumultuantium affectuum, & rebellantium paſſionum turbas in ſuas digerit claſſes, & incredibili perſpicuitate ſingulas diſpicit, luculenterque enucleat. Totam ſecundam partem ſuæ Summæ, quæ, ut ego quidem arbitror, ceteris partibus præſtat, & quid portentoſum præfert, occupat in explicandis animæ affectibus, vitiis, & virtutibus, ceteriſque, quæ hinc conſequuntur. Vix de hoc divino propemodum opere loqui mihi contingit, quin me rapi ſentiam in eiuſdem elogia texenda.

II. Paucis ille hæc omnia explicat in proœmio ad *quæſt.* VI. his verbis. *Quia igitur ad beatitudinem per actus aliquos neceſſe eſt pervenire, oportet conſequenter de humanis actibus conſiderare; ut ſciamus, quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via. Sed quia operationes, & actus circa ſingularia ſunt, ideo omnis operativa ſcientia in particulari conſideratione perficitur. Moralis igitur conſideratio, quia eſt humanorum actuum, primo quidem tradenda eſt in univerſali, ſecundo vero in particulari.* Plura ibidem habet, quæ generalem quamdam actuum humanorum œconomiam produnt; ſed brevitatis gratia ea prætereo, & eiuſdem quæſtionis doctrinam explicandam aggredior.

III. Quæſt. I. *Quid ſit officium voluntarium?* Reſp. Finitio quam tradit *quæſt.* VI. *art.*

art. I. S. Thomas, hæc eſt : *Voluntarium eſt a principio intrinſeco cum cognitione finis*. Primæ finitionis particulæ diſtinguunt motum voluntarium a motu per vim, aut per artem producto, ſeu a motu *violento* & artificiali, qui a principio extrinſeco producitur. Ceteræ particulæ diſtinguunt officium voluntarium ab actione naturali, quæ, tametſi a principio intrinſeco eliciatur, non eſt tamen cum finis cognitione. Hæc finis cognitio preſſe accipitur, quatenus finis cognoſcitur ut bonum alliciens voluntatem. Quare actus quibus intellectus ex principiis concluſiones agnoſcit, non ſunt abſolute voluntarii, niſi prout a voluntate imperantur : quia actus iſti cognoſcunt concluſiones, & principia ſub ratione veri, non ſub ratione boni. Itaque hæ particulæ, *cum cognitione finis*, ſtrictim intelligendæ ſunt, prout cognoſcitur finis ut finis, ſeu ut bonum, voluntatem in ſui proſecutionem pertrahens. Et inſuper requiritur ut cognitio hæc internoſcat reſpectum finis ad media, & mediorum proportionem ad finem.

IV. Diſputant Theologi, ſitne beatorum amor voluntarius. Adfirmat communior ſententia, quod amor iſte ſit a principio intrinſeco cum finis cognitione. Et, licet neceſſitas iſtius amoris tollat libertatem indifferentiæ ; non tamen impedit quominus ſit voluntarius actus. Nec enim omnis actus voluntarius eſt liber, quamvis omnis actus liber ſit voluntarius. Sed diſputatio hæc vocum, non rei eſt.

V. Actiones brutorum non ſunt voluntariæ : quoniam, tametſi ſint a principio intrinſeco, non tamen cognitione, finem cum mediis comparante, diriguntur. Apprehendunt bruta finem ; at nec illum cum mediis, neque hæc cum fine conferre valent. Diſtinguit S. Thomas *art.* 2. duplicem finis cognitionem : perfectam unam, de qua nunc ſermo fuit ; imperfectam alteram, quæ, inquit Angelicus, *in ſola finis apprehenſione conſiſtit, ſine hoc quod cognoſcatur ratio finis, & proportio actus ad finem*. Unde infert, eo modo in brutis reperiri voluntarium quo reperitur cognitio. Imperfecta hæc eſt, & ſimulacrum cognitionis. Ergo imperfectum quoque in iiſdem reperitur voluntarium, ſeu quædam remota voluntarii ſimilitudo. Lubet iſthuc tranſcribere verba Marci Tullii de officiis Lib. I. cap. IV. *Inter hominem & belluam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paullulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia, & cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adiungit, atque annectit futuras : facile totius vitæ curſum videt, ad eumque regendum præparat res neceſſarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem : ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati ſunt ; impellitque, ut hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit, ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea quæ ſuppedi-*

peditent & ad cultum, & ad victum; nec ſibi ſoli, ſed coniugi, liberis, ceteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria veri inquiſitio, atque inveſtigatio.

VI. Quæſt. II. *Sublato omni voluntatis actu, eſt ne voluntaria omiſſio, advertente ratione, urgenteque præcepto?* Reſp. Ante reſolutionem primum omnium voluntarii partitiones præmitto. Voluntarium, aliud in actu, quod eſt actio reipſa egrediens a principio intrinſeco cum cognitione finis; aliud in poteſtate, quatenus in virtute voluntatis continetur. Sed hæc umbra eſt voluntarii, non voluntarium. Dividitur etiam voluntarium in elicitum, quod a voluntate immediate producitur; & in imperatum, quod imperante voluntate ab aliis potentiis efficitur. Rurſus voluntarium aliud directum, quod voluntas reali influxu producit; aliud indirectum, ſeu interpretativum, quod non producitur poſitivo influxu, ſed ex omiſſione, qua non impeditur, reſultat, & reducitur in voluntatem, inquantum non impedit, cum poſſit, & teneatur. Hoc voluntarium indirectum dicitur interpretativum: quia qui aliquod damnum non impedit, cum poſſit, & teneatur, perinde ſe habet iuxta moralem prudentum interpretationem, ac ſi reipſa concurreret ad illud producendum. Item voluntarium aliud phyſicum vocant, quatenus procedit a propria perſona quæ phyſice elicit actionem; aliud morale, quod pendet a voluntate alterius perſonæ, quæ transferre in alteram perſonam ſuam voluntatem poteſt variis modis. Tandem voluntarium aliud perfectum, aliud imperfectum; aliud neceſſarium, aliud liberum. Neceſſarium duplici ex capite oritur: aut ex perfectiſſima cognitione ſummi boni, clare viſi, & poſſeſſi, ut eſt amor beatorum; aut ex imperfectiſſima apprehenſione finis, ut eſt brutorum appetitio neceſſaria, & imperfecte voluntaria. Quibus delibatis propoſitæ quæſtiunculæ reſpondetur.

VII. *Sublato omni voluntatis actu, omiſſio non eſt voluntaria.* Mirum eſt quam acriter diſputent in utramque partem Theologi ſuper hac propoſitione. Convenit fere penes omnes, reipſa moraliter loquendo, omiſſionem non eſſe abſque omni actu voluntariam: quia in praxi numquam contingit quod aliquis actus voluntatis omiſſionem voluntariam non præcedat. Sed diſputant, utrum id metaphyſice, & attenta quavis potentia repugnet. Aiunt iſti, negant illi. Nos, miſſis his tricis, abſolute evincimus, numquam voluntariam reperiri omiſſionem, quin aliquis actus voluntatis præcedat, vel comitetur. Hanc ſententiam tradit S. Thomas laud. quæſt. VI. art. 3. *Voluntarium dicitur quod eſt a voluntate. Ab aliquo autem dicitur eſſe aliquid dupliciter. Uno modo directe, quod ſcilicet procedit ab aliquo, in quantum eſt agens, ſicut calefactio a calore. Alio modo indirecte, ex hoc ipſo quod non agit; ſicut ſubmerſio navis dicitur eſſe a gubernatore, inquantum deſiſtit a gubernando.*

Sed

Sed ſciendum, quod non ſemper id quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur ſicut in cauſam in agens, ex eo quod non agit, ſed ſolum tunc cum poteſt, & debet agere. Si enim gubernator non poſſet navem dirigere, vel non eſſet ei commiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio, quæ per abſentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & agendo poteſt impedire hoc quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet; hoc quod eſt non velle, & non agere imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens. Et ſic voluntarium poteſt eſſe abſque actu; quandoque quidem abſque actu exteriori cum actu interiori, ſicut cum vult non agere; aliquando autem etiam abſque actu interiori, ſicut cum non vult.

VIII. Ex his ultimis verbis inferri poteſt, iuxta Angelicum Doctorem abſolute non repugnare omiſſionem reperiri abſque actu voluntatis præcedente; quamvis, ſi praxim ſpectemus, vix omiſſio voluntaria deſtituta omni actu ſit. Ut luculentius, quæ ſit mens S. Thomæ in hac controverſia, pateat, referam quæ de hac controverſia ſcribit in hac 1. 2. *quæſt.* lxxi. *art.* 5. ubi, recenſitis utriſque ſententiis, concludit. *Utraque autem opinio ſecundum aliquid veritatem habet. Si enim intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolum quod per ſe pertinet ad rationem peccati, ſic quandoque omiſſionis peccatum eſt cum actu interiori; ut cum aliquis vult non ire ad Eccleſiam: quandoque vero abſque omni actu vel interiori, vel exteriori; ſicut cum aliquis hora, qua tenetur ire ad Eccleſiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Eccleſiam. Si vero in peccato omiſſionis intelligantur etiam cauſæ, vel occaſiones omittendi, ſic neceſſe eſt in peccato omiſſionis aliquem actum eſſe. Non enim eſt peccatum omiſſionis, niſi cum aliquis prætermittit id quod poteſt facere, & non facere.... Quandoque autem actus voluntatis directe fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito: ſive illud in quod fertur voluntas, ſit coniunctum omiſſioni; puta cum aliquis vult ludere, quando ad Eccleſiam deberet ire: ſive etiam ſit præcedens; puta cum aliquis vult diu vigilare de ſero, ex quo ſequitur quod non vadat hora matutinali ad Eccleſiam: & tunc actus iſte interior, vel exterior per accidens ſe habet ad omiſſionem: quia omiſſio ſequitur præter intentionem... Unde manifeſtum eſt quod tunc peccatum omiſſionis habet quidem aliquem actum coniunctum, vel præcedentem, qui tamen per accidens ſe habet ad peccatum omiſſionis. Iudicium autem de rebus dandum eſt ſecundum illud quod eſt per ſe, & non ſecundum illud quod eſt per accidens. Unde verius dici poteſt, quod aliquod peccatum poſſit eſſe abſque omni actu: alioquin etiam ad eſſentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus, & occaſiones circumſtantes.* Conſule quæ ſcribit *quæſt.* 11. *de mal. art.* 1. ubi plura habet huc pertinentia.

IX. Quæſtio hæc tanti non eſt, ut ea omnia quæ in utramque adduci partem ſolent, expendamus. Quod in praxi omiſſio, ſublato omni voluntatis actu, non ſit voluntaria, exinde patet quod, ut ſit voluntaria, a voluntate hanc *voluntarii*

præ-

prærogativam accipere debet. Nihil vero a voluntate otioſa, nullumque influxum præbente producitur. Voluntas actibus ſuam vitam exercet: dum omni caret actione, veluti mortua in actu ſecundo eſt. Qua ergo via omiſſio a voluntate recipit hanc *voluntarii* perfectionem, ſi omnis voluntatis actio ſubtrahatur? Clarius rem explico. Duplex eſt voluntarium: in actu primo unum, & eſt ipſa potentia valens producere actum voluntarium, ſed non producens; alterum in actu ſecundo, ſeu in exercitio. Omiſſio non poteſt voluntaria appellari a voluntate in actu primo: quia nihil ab ea ſub hac conſideratione recipit. Voluntaria ergo evadit ex voluntate in actu ſecundo. At intelligi in actu ſecundo nequit, niſi media aliqua actione. Quæ quidem actio haud eſt neceſſaria ut omiſſio abſolute, & per ſe, ſive ſecundum ſuam naturam ſit vitioſa. Ex intrinſeca natura omiſſionis ſat eſt hominem teneri ad opus præſtandum; & nolle, ſeu ſuſpenſum hærere. Verum id in exercitio minime continget abſque actu, qui ſit cauſſa, vel occaſio eiuſdem omiſſionis, a quo actu accipiat quod ſit voluntaria, & libera. Ut enim ſit culpabilis, voluntaria, & libera ſit neceſſum eſt. Libertas autem, & ratio voluntarii perfectiones poſitivæ ſunt. Ergo ab aliqua cauſſa realiter influente proficiſcantur oportet. Quomodo enim fieri omiſſio libera, & voluntaria poteſt, ſublata omni cauſſa poſitive agente? S. Thomas, quando naturam expendit omiſſionis, omnem actum excludit; quando omnia quæ in exercitio concurrunt, actum neceſſarium aſſerit. Et hæc ſatis ſint.

X. Quæſt. III. *Poteſt ne omiſſio eſſe voluntaria, quin urgeat præceptum?* Reſp. Diſtinguenda omiſſio eſt ab effectu qui illam conſequitur. Omittis panem indigenti dare. Omiſſionem hanc mors indigentis ſequitur. Si teneris impertiri eleemoſynam; & omiſſio, & mors conſequens tibi imputantur. Ad quæſitum reſpondeo. Omiſſio abſque præcepto eſſe voluntaria poteſt. Omiſſio matrimonii, omiſſio veſcendi cibis delicatioribus, & plures ſimiles omiſſiones merito dignæ ſunt, quin nulla præcedat obligatio. Similes quippe omiſſiones procedere poſſunt a voluntate deliberata. Hinc patet non requiri obligationem, ut effectus recenſitas omiſſiones conſequens, ſit voluntarius. Maceratio quippe corporis, temperantia a licito concubitu ſunt effectus præmio digni, ſi cetera adſint. Illud tamen verum eſt quod, ut effectus malus, omiſſionem voluntariam conſequens, aut concomitans, ſit vitioſus, præceptum, ſeu debitum præcedat oportet; ita ut, ſi nulla ſit obligatio vitandæ omiſſionis, nec omiſſio erit vitioſa, nec effectus, conſequens talem omiſſionem, culpabilis erit omittenti. Debitum ergo, & poteſtas omiſſionis vitandæ neceſſaria ſunt, ut omittens reus omiſſionis, & eorum quæ inde conſequuntur malorum evadat.

XI. Quæſt. IV. *Quæ ſint involuntarii cauſſæ?* Reſp. Quatuor communiter aſſignantur. Violentia, metus, concupiſcentia, & ignorantia. Violentia involuntarium pro-

Digitized by Google

producit, cum vis extrinſecus inferatur. Id autem pugnat cum voluntario, cuius natura eſt, ut ſit a principio intrinſeco. Enimvero *violentum* (inquit S. Thomas quæſt. XXII. de verit. art. 1.) *eſt id cuius principium eſt extra, nihil conferente eo qui cogitur*. Duo ad violentiam requiruntur. Alterum, quod principium vim inferens, ſit extraneum. Alterum, quod qui patitur vim, reſiſtat, & repugnet contraria inclinatione: ſi enim indifferens eſſet, vim non pateretur.

XII. S. Thomas in hac *quæſt.* VI. *art.* 4. hanc præbet diſtinctionem. *Duplex eſt actus voluntatis: unus quidem, qui eſt eius immediate, velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle; alius, qui eſt actus voluntatis, a voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus; ut ambulare, & loqui, qui a voluntate imperantur, exercentur autem mediante potentia motiva.*

XIII. Quæſt. V. *Vim ne voluntas pati poteſt in actibus tum imperatis, tum elicitis?* Reſp. Actus imperati a voluntate duplicis ſunt generis: alii ſunt imperati, & eliciti ab ipſa voluntate. Voluntas enim ſibi, non ſecus ac ceteris, imperare valet, & reipſa imperat. Ex intentione finis electionem imperat mediorum, & alios actus, ſive a ſe ipſa, ſive ab intellectu prodeuntes, qui media ſpectant. Voluntas pati nequit vim in actionibus a ſe elicitis, & ſibi imperatis: quia ad eiuſmodi actus naturali propenſione fertur. Suſtinere autem vim poteſt in actibus imperatis, & ab aliis potentiis producendis. Imperare voluntas poteſt ut pes ambulet, ut manus aperiat oculos, vel claudat; poteſt velle ne manus moveatur, ne pes ambulet: & ab exteriori poteſtate vel impediri motus, vel ad eumdem cogi valet.

XIV. Diſputare hic Theologi ſolent, valeat ne Deus vim voluntati inferre. Cui quæſtiunculæ reſpondet S. Thomas pluribus in locis, ſed potiſſimum quæſt. XXII. de verit. art. 8. *Dicendum, quod Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate, non tamen poteſt eam cogere. Quantumcumque enim voluntas immutetur in aliquid, non dicitur cogi in illud: cuius ratio eſt, quia ipſum velle aliquid eſt inclinari in illud: coactio autem, vel violentia eſt contraria inclinationi illius rei quæ cogitur. Cum igitur Deus voluntatem immutat, facit ut præcedenti inclinationi ſuccedat alia inclinatio; & ita quod prima auferatur, & ſecunda maneat. Unde illud ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi iam exiſtenti, ſed inclinationi quæ prius inerat: unde non eſt violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione ſuæ gravitatis ineſt inclinatio ad locum deorſum, hac autem inclinatione manente, ſi ſurſum proiiciatur, erit violentia: ſi autem Deus a lapide auferat inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis; tunc ferri ſurſum non erit ei violentum: & ita immutatio motus poteſt eſſe ſine violentia. Et per hunc modum intelligendum eſt quod Deus voluntatem immutat ſine eo quod voluntatem cogat.*

XV.

XV. Animadvertit autem S. Thomas in hac *quæſt.* VI. *art.* 5. quod, ut violentia efficiat actum involuntarium, debet eſſe abſolute, & ſimpliciter talis, reluctante omni conatu voluntate, etiam exterioribus potentiis, quoad licet. Quare, ſi quis tua manu alium percuteret, & tu indifferenter te haberes, & non efficaciter repugnares, non eſſet violentia. Si puella omni virium conatu non reiicit aggreſſorem, non eſt vim paſſa. Si quis vi compellatur ad adorandum idolum, licet mente reluctetur, niſi exterius, quoad poteſt, repugnet; violentiam non ſuſtinet, nec involuntaria actio dicitur. Sancti Martyres voluntate deliberata ſuſtinebant tormenta, licet repugnarent iniquæ actioni infligenti ſupplicia. Qua de re conſule S. Thomam *cit. quæſt.* VI. *art.* 5. *ad* 2.

XVI. Quæſt. VI. *An quæ fiunt ex metu, ſint involuntaria?* Reſp. Quæſtionis deciſioni præire metus finitio debet. Eſt autem metus *inſtantis periculi cauſſa mentis trepidatio*. In iuſtum, & levem tribuitur. Ille grave malum valde probabiliter menti obiicit; & appellatur cadens *in virum conſtantem*: quia etiam conſtantes viri eiuſmodi percelluntur metu, qui validis rationum momentis imminere repræſentat mortem, membrorum mutilationem, tetrum carcerem, flagellationes, bonorum proſcriptionem, damnationem ad triremes, infamiam, & id genus ſimilia. Maior, aut minor metus gravitas præter imminentium malorum qualitatem, a perſonæ quæ metum patitur, conditione etiam colligitur. Metus qui reſpectu viri eſt levis, reſpectu puellæ, mulieris, adoleſcentis poteſt eſſe gravis. Dupliciter metus reſpectu agentis timidi habere ſe poteſt. Primò tamquam cauſſa obiectiva, moraliter movens hominem ad agendum, vel omittendum; ut cum quis latroni, pugione diſtricto aggredienti, & iugulum petenti, dat pecuniam, ut mortem evitet; vel ad declinandum naufragium merces in mare proiicit. Secundo concomitanter, quando revera non eſt cauſſa, cur homo agat; ſed tantum comitatur actionem, quæ fit *cum*, non *ex* metu. Confiteris veritatem delicti capitalis iudici interroganti cum metu mortis, quia revera mors imminens incutit timorem; at non ex metu mortis (cum potius ex metu negares eamdem) ſed ob præceptum urgens confitendæ veritatis, ob Dei gloriam, animæque tuæ ſalutem: *cum* metu tamen agis. Quandoque timor eſt tota cauſſa cur effectus ponatur; ut dum luxurioſus mortem minatur puellæ honeſtæ, ni conſentiat in ſui deflorationem, tum eſt cauſſa, ut dicitur, totalis: ſi mulier meretrix eſſet, timor diceretur cauſſa partialis: quia, etiam illa ſublata, effectus haberetur. De metu nunc ſermo eſt iuſto, & qui ſit tota actionis cauſſa.

XVII. Reſponſio communis eſt, ea quæ fiunt ex metu, ſimpliciter voluntaria eſſe, involuntaria autem ſecundum quid. Quod hoc pacto evincit S. Thomas cit. quæſt. VI. art. 6. *Quæ per metum aguntur, mixta ſunt ex voluntario, & involuntario. Id enim quod per metum agitur, in ſe conſideratum, non eſt voluntarium;*

ſed

Digitized by Google

ſed ſit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed, ſi quis recte conſideret, magis ſunt huiuſmodi voluntaria quam involuntaria: ſunt enim voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundum quid. Unumquodque enim ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu; ſecundum autem quod eſt in ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Hoc autem quod per metum agitur, ſecundum hoc eſt in actu ſecundum quod fit. Cum enim actus in ſingularibus ſint, ſingulare autem, inquantum huiuſmodi, eſt hic & nunc; ſecundum hoc id quod fit, eſt in actu, ſecundum quod eſt hic & nunc, & ſub aliis conditionibus individualibus. Sic autem hoc quod fit per metum, eſt voluntarium, inquantum ſcilicet eſt hic & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt impedimentum maioris mali quod timebatur; ſicut proiectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempeſtatis propter timorem periculi. Unde manifeſtum eſt quod ſimpliciter voluntarium eſt: unde & competit ei ratio voluntarii, quia principium eius eſt intra. Sed quod accipiatur id quod per metum fit, ut extra hunc caſum exiſtens, prout repugnat voluntati, hoc non eſt niſi ſecundum rationem tantum: & ideo eſt involuntarium ſecundum quid, ideſt prout conſideratur extra hunc caſum exiſtens.

XVIII. Hæc doctrina altius memoriæ commendanda eſt, tamquam apprime neceſſaria ad percipiendam neceſſitatem divini amoris, quo pœnitens ſincere in Deum convertatur. Quæ fiunt ex metu, quid involuntarii admixtum habent. Converſio vero peccatoris, ut ſit vera, & ſincera, totam animam, totum cor, totam ſacrificare Deo voluntatem debet. Quod fit ex metu, eſt voluntarium *hic & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt impedimentum maioris mali quod timebatur*, inquit Angelicus. Sublato malo imminente, metus evaneſcit. Quemadmodum mercator vult mercium iacturam, imminente naufragio; ſublata circumſtantia tempeſtatis, vult conſervationem mercium. Deteſtatur peccator culpam ex inferni metu. At, ſi infernus non eſſet, culpam vellet. Hanc ille hypotheſim expreſſe non format; ſed in eiuſdem timoris natura involvitur. Quoniam iuxta omnes tum Theologos, tum Philoſophos, timor producit involuntarium ſecundum quid. Quid hoc prodit? Hoc ſane, quod ſublatis circumſtantiis, nollet id quod hic & nunc agit. Quod autem ſint ſimpliciter voluntaria quæ fiunt ex metu, evidens eſt. Quoniam mercator, ſpectatis mercium valore, & propriæ vitæ conſervatione, & graviſſimo periculo naufragii, omnibuſque hic, & nunc expenſis, abſolute vult mercium iacturam. Actiones enim ſunt in ſingulari, omnibus circumſtantiis conſideratis. Et de illis iudicium fit, ſecundum quod reipſa eveniunt. Idcirco abſolute, quæ fiunt ex metu, ſunt voluntaria. Secundum vero quod ſunt in apprehenſione, dicuntur involuntaria ſecundum quid. Quoties in S. Thoma, aut in alio Auctore legis, actiones ex metu non eſſe *ſimpliciter* voluntarias,

rias, hoc in ſenſu id intelligas velim, non eſſe voluntarias omni ex parte abſque ulla timoris mixtura: habent enim quid timoris admixtum, quatenus, ſublatis circumſtantiis, homo eadem reſpueret quæ hic & nunc revera vult.

XIX. Argutare in oppoſitum ſolent. Quæ fiunt ex metu, ſunt voluntaria ex ſuppoſitione, ſeu ex hypotheſi imminentis mali: qua ſuppoſitione, ſeu hypotheſi ſublata, non ſunt voluntaria. Hinc pœnitentia ex timore gehennæ non eſt abſolute voluntaria. Habet quippe incluſam conditionem: *Sublato inferno, peccarem*. Atque adeo attritio ex ſolo metu mala erit, & faciet hominem hypocritam, ut docet Lutherus.

XX. Utique operans ex metu agit ex ſuppoſitione imminentis mali. Quid inde? An non propterea actio voluntaria, & libera? Agens, ſpectatis omnibus, & expenſis, abſolute hic & nunc eligit hoc medium, quo evitet maius malum. Quin maxime voluntarius, & liber eſt actus iſte, ut ex gravi, ſeriaque conſultatione, & conſideratione omnium circumſtantiarum proficiſcens. Timor gehennæ bonus eſt; non ſolum hominem hypocritam non facit, ut contendebat Lutherus, ſed donum Dei eſſe docent Scripturæ, & Tridentina Synodus. Quas conditiones exigat, ut ſatis ſit ad veram chriſtianam pœnitentiam, in tractatu de pœnitentia palam fiet. Hoc certum eſt, gehennæ timorem diſponere & parare cor humanum ad pœnitentiam. At, ſublato divino amore, plenam voluntatem peccandi non excludere ibi oſtendetur. Satis mihi nunc eſt palam feciſſe, actiones, timore imminentis mali elicitas, eſſe ſimpliciter voluntarias, & liberas; quamvis quid involuntarii admixti habeant.

XXI. Hinc colliges, non eſſe a peccato mortali immunes homines qui ex quocumque graviſſimo metu aliquid perpetrant natura ſua inhoneſtum, & vitioſum. Quam ob cauſſam graviter peccabant qui ob metum tormentorum fidem negabant tantummodo exterius, licet in corde eamdem retinerent. Quæ enim per ſe mala ſunt, nullo honeſtari metu poſſunt, etiam amittendæ vitæ. Id ſolum verum habet, metum minuere culpæ gravitatem: quemadmodum enim timor diminuit voluntarium, & liberum; ita etiam aliquid malitiæ adimit, & delinquenti facilius veniam conciliat. Quæ vero intrinſecus mala non ſunt, licet lege humana prohibeantur, poſſunt interdum gravi metu urgente abſque culpa executioni demandari. Exempli gratia, quando vitæ conſervatio cedit in maiorem Reipublicæ utilitatem, maiuſque bonum; tum ſervanda eſt vita, lege neglecta. Quando vero legis humanæ violatio infert contemptionem, aut ſcandalum; tum etiam cum vitæ diſpendio ſervanda lex eſt. Si quis in deriſionem catholicæ religionis ad manducandas carnes in Quadrageſima, ad non audiendam Miſſam in die feſto cogeretur; mors ſuſtinenda eſſet potius quam religionis catholicæ præcepta violanda.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Quæſt. VII. *Qui contractus ex metu initi, ſint irriti?* Reſp. Omnes contractus ex metu gravi celebrati, cum ſint voluntarii & liberi, ſunt validi iure naturali; quod metus, ut dictum eſt, rationem voluntarii & liberi non auferat. Sicut enim peccatum ex metu gravi perpetratum voluntarium eſt; ita etiam contractus, quamvis ex metu initi, voluntarii ſunt. Lex tamen tum eccleſiaſtica, tum civilis nonnullos contractus, ex metu celebratos, irritos declaravit. Matrimonium ex metu celebratum nullum eſt, ut habetur *cap.* Veniens *de ſponſalibus*. Nulla eſt promiſſio, aut ſolutio dotis ex metu, ut declaratur *l.* 4. *digeſt. tit.* 2. *l. Si mulier*. Iuriſdictio ex metu data, nulla. *l.* 2. *ff. de iudiciis*. Electio Prælatorum ex metu ſimiliter nulla. *Cap.* ubi periculum, *de elect. §. Ceterum in* VI. Abſolutio ab excommunicatione metu facta pariter nulla. *Cap. unic. de his quæ vi, metuſque cauſa in* VI. Vota ſolemnia ex metu facta, irrita. Difficultas eſt de votis ſimplicibus, de quibus nil iura poſitiva decrevere. Hæc, cum naturæ iure valida ſint, ſervanda videntur. Circumſtantiæ ſpectandæ ſunt, & diſpenſatio peti poteſt.

XXIII. De iuramento metu extorto diſputant Theologi; quorum ſubtilitatibus miſſis doctrina S. Thomæ amplectenda eſt 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 7. ad 3. *In iuramento quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen eius promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ: quia magis debet damnum temporale ſubire quam iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quod contrarium iuravit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiuſmodi iuramentis abſolverunt, non quaſi decernentes eiuſmodi iuramenta non eſſe obligatoria; ſed quaſi huiuſmodi obligationes ex iuſta cauſa relaxantes.*

XXIV. Hanc eamdem doctrinam confirmat quæſt. xcviii. art. 3. ad 1. *Coactio non aufert iuramento promiſſorio vim obligandi reſpectu eius quod licite fieri poteſt. Et ideo, ſi aliquis non impleat quod coactus iuravit, nihilominus periurium incurrit, & mortaliter peccat. Poteſt tamen per auctoritatem ſummi Pontificis ab obligatione iuramenti abſolvi, præſertim ſi coactus fuerit tali metu qui cadere poſſet in conſtantem virum. Quod autem dicitur, quod tales non ſunt puniendi tamquam pro mortali crimine, non hoc ideo dicitur, quia non peccent mortaliter, ſed quia pœna eis minor infligitur.* Quando itaque res promiſſa honeſta, & licita eſt, iuramentum etiam ex metu factum obligat. Quod autem tua bona des aggreſſori, nil mali præterit. Idcirco implendum iuramentum, docet S. Thomas.

XXV. Quæſt. VIII. *Quæ fiunt ex concupiſcentia, ſunt ne involuntaria?* Reſp. Con-

cupiſcentiæ nomine quælibet appetitus ſenſitivi commotio, ſeu paſſio circa bonum intelligitur, excluſa triſtitia, & dolore circa malum. Concupiſcentia duplex eſt. Altera antecedens, quæ præcedit voluntatis actum, eſtque eiuſdem cauſſa. Viſio obiecti delectabilis accendit appetitum ſenſitivum: & voluntas deſiderat, vel delectatur de eo. Altera conſequens, quæ actionem voluntatis conſequitur, quatenus exercitium actionis excitat, accenditque paſſionem concupiſcentiæ. De hac nulla quæſtio. Hæc enim non poteſt eſſe involuntarii cauſſa, cum actionem conſequatur. Solum oſtendit, tamquam ſignum, peccati magnitudinem, ſeu magnam voluntatis delectationem in exercenda actione. Quare hæc non diminuit, ſed auget potius culpam. Propoſitæ quæſtiunculæ reſpondet S. Thomas 1. 2. quæſt. VI. art. 7. *Concupiſcentia non cauſat involuntarium, ſed magis facit aliquid voluntarium. Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo quod voluntas in id fertur: per concupiſcentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiſcit: & ideo concupiſcentia magis facit ad hoc quod aliquid ſit voluntarium, quam quod ſit involuntarium.* Non eſt tamen confundendum voluntarium cum libertate. Nam voluntarium ſitum eſt in inclinatione cum finis cognitione; &, quo maior eſt inclinatio, eo maius eſt voluntarium. Porro, ſi hoc voluntarium ſpectetur, ut liberum, cum libertas iudicii indifferentiam poſtulet, concupiſcentia vehemens, & antecedens obſcurare hoc iudicium poteſt, & ſimul diminuere libertatem, atque adeo malitiam. Quam doctrinam pluribus in locis S. Thomas tradit, & potiſſimum quæſt. 111. de mal. art. 11. *Meritum, & demeritum in electione conſiſtit ex ratione præcedente. Paſſio autem obnubilat, vel etiam ligat iudicium rationis. Quanto autem iudicium rationis fuerit purius, tanto electio eſt perſpicacior ad merendum, vel demerendum. Unde qui inducitur ad bene faciendum ex iudicio rationis, laudabilius operatur quam qui inducitur ad hoc idem ex ſola animi paſſione: hic enim errare poteſt indebite miſerendo.* Concupiſcentia itaque minuit voluntarium, quatenus liberum eſt; auget vero, quatenus naturale. Diſcrimen quod eſt inter timorem & concupiſcentiam, aſſignat S. Thomas cit. quæſt. VI. art. 7. ad 1. & ad 2. *Timor*, inquit, *eſt de malo; concupiſcentia autem reſpicit bonum. Malum autem ſecundum ſe contrariatur voluntati; ſed bonum eſt voluntati conſonum.* Ideo timor ſemper minuit & voluntarium, & liberum; ſecus concupiſcentia, ut dictum eſt.

XXVI. Quæſt. IX. *Utrum ignorantia inferat involuntarium?* Reſp. De ignorantia fuſo calamo agemus *Tom. II.* Apparatus ad Theologiam chriſtianam. Idcirco paucis hanc graviſſimam quæſtionem expediam. D. Thomas ignorantiam dividit in antecedentem, concomitantem, & conſequentem his verbis cit. quæſt. VI. art. 8. *Ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis. Uno modo concomitanter, alio modo conſequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia eſt de eo quod agitur; tamen, etiamſi ſciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia*

non inducit ad volendum ut hoc fiat; ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum; ſicut in exemplo poſito, ſcilicet cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſophus dicit: quia non cauſat aliquid quod ſit repugnans voluntati; ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum quod ignoratum eſt. Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, inquantum ipſa ignorantia eſt voluntaria. Et hoc contingit dupliciter, ſecundum duos modos voluntarii ſupra poſitos. Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud Iob XXI. Scientiam viarum tuarum nolumus: *& hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius quod quis poteſt ſcire, & debet: ſic enim non agere, & non velle, voluntarium dicitur, ut ſupra dictum eſt. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat quod conſiderare poteſt, & debet; quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens: ſive cum aliquis notitiam quam debet habere, non curat acquirere: & ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium iuris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens. Cum autem ipſa ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium; cauſat tamen ſecundum quid involuntarium, inquantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientia præſente. Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi quod alias non vellet; ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret; puta, cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, proiicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem. Et talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter.* Si plura de ignorantia Pelagiana, Ianſeniana, Probabiliſtica cupis, conſule laudatum *Tom. II. Apparat.* & *Tom. I. Hiſtor. Probabiliſ. in Appendice*, ubi ex inſtituto materia hæc diſcuſſa eſt.

XXVII. Samuel Pufendorfius in ſuo *tract. de Hom. & Civ.* ab officiis, ſeu ab actionibus humanis, quæ iure naturæ dirigi debent, initium capit. Verum tam implexe, & ieiune hæc verſat, ut nihil obſcurius ſcriptum apud Scholaſticorum aliquem, etiam inferioris ſubſellii, inventurus ſis. Plures Auctoris iſtius errores infra refellam. Chriſtianus Thomaſius *Lib. I. cap. 1. de natura hominis morali*, pluribus inſumptis §§. quibus phyſicam corporis humani naturam exponit, tandem §. 17. intellectum, & voluntatem definit his verbis: *Igitur intellectus eſt facultas animæ humanæ cogitandi in cerebro, & voluntas facultas eiuſdem animæ concupiſcendi in corde.* Adeo impedite de intellectu, & voluntate ſcribit Lutheranus iſte, ut corpoream potius quam ſpiritualem animam ſe propugnare indicet. Quippe §. 28. aperte ſcribit, *in mundo nihil eſſe, niſi corpora*: & §. 34. repetit, *omnem vo-*

 lun-

luntatem eſſe concupiſcentiam in corde. Omnis concupiſcentia amor eſt. Omnis amor eſt deſiderium uniendi ſe cum re amata. Omne deſiderium conatus eſt agendi. Dum vero voluntas conatus eſt cordis, differt a conatu qui ſentitur in aliis membris corporis, ut conatus eiiciendi excrementa, conatus in ulcere. Hinc ultra pergit, & §.40. improbat communem, certamque doctrinam, quam ſupra confirmavi, voluntatem nempe non poſſe cogi. *Unde falſum eſt*, inquit, *commune dicterium, quod voluntas non poſſit cogi*. Et a quo cogi poteſt? Ab homine? A Deo, cui omnia obediunt? Tranſcribit §. 10. doctrinam *Cumberlandi* de magnitudine cerebri humani, & de hominis propenſione ad venerem, non aliquo tempore limitata. Innumeris iſtius Lutherani aberrationibus prætermiſſis, paucas hic obiter indicaſſe ſufficiat, ut Italiæ noſtræ iuvenes qui iuri naturæ ſtudent, ab iſtorum Proteſtantium lectione abducam. Quoniam nihil ex iſtis addiſcere præter errores valent. Quid quod vel ipſas erroneas opiniones tanta obſcuritate, & tanta imperitia exponunt, ut homo bonis ſtudiis addictus, legere iſtorum opera ſine faſtidio nequeat?

CAPUT VI.

De humana libertate. Hac homo in ſui creatione præditus fuit, nec eam per originalem culpam amiſit. Lutheri, Calvini, Puſendorfii, Chriſtiani Thomaſii, aliorumque Proteſtantium errores.

I. QUæſtionem præ ceteris omnibus neceſſariam inveſtigandam ſuſcipio. Quoniam, ſublata libertate, ſuperfluerent iura omnia, conatus, ſtudia, induſtria, ceteraque hominum molimina vana, & commentitia forent. Sola quippe officia libera, iuris tum naturalis, tum poſitivi directioni ſubiacent. Porro omnium primum, quid libertatis nomine intelligatur, exponendum eſt. Et, quia plures libertas excipit ſenſus, notionem diviſio eiuſdem præcedat fas eſt; quemadmodum & ipſe Marcus Tullius *Lib. I. cap. 1.* officia dividit, antequam definiat. Dividi autem libertas ſolet primum in libertatem *naturæ*, qua homo conditus fuit; *gratiæ*, qua a culpa redemptus eſt, de qua S. Paulus Rom. VI. *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi facti eſtis iuſtitiæ*: & *gloriæ*, ad quam, ex miſeriis ſubducti, deſtinati ſumus, ut ait idem S. Paulus Rom. VIII. *Et ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Libertas *naturæ* vocatur etiam *ſpontaneitatis*, ſeu *complacentiæ*, quæ a violentia, & coactione immunis eſt. Coactio eſt vis extrinſecus illata, paſſo reluctante. Hoc in ſenſu libera dicuntur bruta ipſa; & humana voluntas in omnibus actionibus ſuis internis, & elicitis, tametſi ne-

neceſſariis, libera nuncupatur : quia ad iſtos interiores actus cogi a nemine poteſt. Hanc doctrinam fuſe exponit S. Thomas tum *I. Part. quæſt.* xli. *art.* 2. *ad* 3: tum *quæſt.* x. *de potent. art.* 2. *ad* 5. ubi ait, quod *naturalis neceſſitas, ſecundum quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat . . . Dei libertas enim voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur . . . Libere ergo Spiritus ſanctus procedit a Patre; non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate*. Libertatem hic accipit Angelicus Doctor pro ipſa immunitate a coactione, & pro naturali voluntaria inclinatione, ac neceſſaria propenſione divinæ voluntatis.

II. Alia eſt libertas *indifferentiæ*, quæ non modo a coactione, ſeu violentia; verum etiam a *neceſſitate*, ſeu a determinatione ad unum per modum naturæ immunitatem ſecum affert. Hæc itaque libertas facultas eſt quæ indifferentiam præfert ad oppoſita. Duplex eſt. Una *contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis*, ut aiunt, quæ oppoſitos producere actus, nempe odium, & amorem, bonum, & malum; valet. Altera eſt *contradictionis*, ſeu *exercitii*, quæ agere, vel non agere, elicere actum, vel omittere eumdem abſolute valet. *Tò abſolute* ſignificat quod, ſpectata natura obiecti limitati, atque adeo cum indifferentia ab intellectu propoſiti, ita voluntas proſequitur illud obiectum, ut poſſit ſuſpendere proſecutionis actum.

III. Ad libertatis perfectionem ſola requiritur exercitii indifferentia, ſublata indifferentia *contrarietatis* ad malum, quæ imperfectio libertatis eſt. Quamobrem & Deus extra ſe liber eſt, tametſi malum velle nequeat; & Chriſtus Dominus liber eſt, quamvis malum patrare non poſſit. Quoniam vero ex perſpicua libertatis idea graviorum difficultatum reſolutio pendet, lubet paucis ea hic indicare quæ ſuſius infra dicturus ſum. Voluntas humana ſedes eſt libertatis. Cauſſa, & principium libertatis eſt intellectus, proponens voluntati bonum amandum cum indifferentia iudicii. Toties vero proponit intellectus cum indifferentia iudicii, quoties id quod proponit, finitum & limitatum eſt, non æquans voluntatis poteſtatem. Hæc eſt angelica S. Thomæ doctrina 1. 2. *quæſt.* xvii. *art.* 1. *ad* 2. ubi inquit : *Radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum; ſed, ſicut cauſa, eſt ratio: ex hoc enim voluntas libere poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni*. De variis intellectus actibus, qui liberam præcedere electionem debent, infra dicam.

IV. Quemadmodum varia eſt *libertatis* acceptio; ita multiplex eſt *neceſſitatis* ſenſus. I. Alia eſt neceſſitas coactionis, & violentiæ, quæ extrinſecus inducitur; a qua voluntas, ut dixi, libera eſt, & cui membra exteriora tantummodo ſubiecta ſunt. II. Alia eſt neceſſitas inclinationis naturalis, a principio intimo proficiſcens, quæ ad unum naturaliter determinat; ut inclinatio in natura ſpirituali erga beatitudinem in communi. III. Alia neceſſitas, quæ extrinſecus advenit;

qualis eſt in beatis neceſſitas amandi Deum. IV. Rurſus alia appellatur *antecedens* & abſoluta; alia *conſequens*, & conditionata. Antecedens rationis, & voluntatis uſum præcedit; ut contingit in motibus primo primis, qui involuntarii, ſeu indeliberati nuncupantur. Neceſſitas conſequens, ſeu conditionata, ea eſt quæ conſequitur liberam aliquam ſuppoſitionem, ſeu deliberationem; ut neceſſe eſt ambulare, ſi ad ambulandum me determinaverim. Neceſſitas antecedens nuncupari etiam ſolet neceſſitas *conſequentis*; & neceſſitas conditionata neceſſitas *conſequentiæ*. V. Tandem alia appellatur *phyſica*, & abſolute invincibilis, quæ eſt ipſa ac antecedens; alia *moralis*, quæ in ſumma difficultate (iuxta communem loquendi modum) ſita eſt, abſtinendi a malo, vel faciendi bonum; qualis dominatur in hominibus inveterata aliqua conſuetudine, vel habitu pravo affectis; quem expellere abſolute valent, ſed maxima cum difficultate.

V. Poteſtatis nomine, quæ in voluntate libera requiritur ad oppoſitum, intelligitur poteſtas expedita. Poteſtatem hanc Theologi conſiderant & in actu primo, & in actu ſecundo. Poteſtas voluntatis in actu primo, proxima, & expedita, illa dicitur cui nihil ex parte ſui deeſt ad operandum. Hac ratione in Schola Thomiſtica gratia ſufficiens conſtituit potentiam proxime completam, & expeditam ad operandum, quia ex parte potentiæ nil amplius requiritur; ut vero erumpat in actum ſecundum, requiritur gratia efficax, quæ ex parte actus ſecundi ſe tenet.

VI. Pro libertatis intelligentia præ oculis quoque habenda eſt celebris diſtinctio ſenſus compoſiti, & diviſi: quæ in vero ſenſu explicata a nemine negari iure valet; in ſenſu falſo e contrario ab omnibus ſibillanda. Senſus falſus huius diſtinctionis eſt, ſi quis diceret, hominem, auxilio efficaci determinatum ad bonum, libertatem habere non in ſenſu compoſito cum ipſo auxilio, ſed in ſenſu diviſo, ideſt ſublato tali auxilio. Hoc in ſenſu etiam homo vinculis devinctus libertatem habet ad ambulandum, ſi vincula frangantur: quo nihil abſurdius concipi poteſt. Verus ſenſus eſt, hominem, præfato auxilio efficaci determinatum ad amorem, liberum eſſe ad oppoſitum ſub ipſo auxilio, non in ſenſu compoſito, quatenus ſcilicet valeat coniungere amorem cum non amore, actionem cum non actione, quod repugnat; ſed in ſenſu diviſo, inquantum, dum amat, retinet facultatem expeditam ad non amorem, aut ad odium. Ne multa, ſenſus compoſitus excludit, inquiunt, coniunctionem actionis cum negatione eiuſdem; minime vero excludit poteſtatem ad non agendum, vel ad agendum oppoſitum.

VII. Plures fuere adverſus libertatem errores. Hanc negarunt Stoici, *fato* omnia ſubiicientes. *Fati* nomine omnium cauſſarum influxum ſignificabant. Alii ex divina præſcientia cogi indeclinabiliter homines ad malum aſſerebant. Manichæi, ut refert S. Auguſtinus *Lib. III. cap. v. contr. duas epiſ. Pelag.* libertatem negabant

bant ex natura mala Deo coæterna. Pelagiani, in aliud extremum declinantes, errarunt, libertatem nimium extollentes. Docebant quippe hominem æque ad bonum, atque ad malum ſolis naturæ viribus idoneum eſſe, quin egeat ad bonum divinæ gratiæ ſubſidio: contra quos hæc S. Auguſtinus *epiſ.* xlvii. ad Valentinianum *num.* 4. ſcribit. *Fides catholica neque liberum arbitrium negat ſive in vitam malam, ſive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid*. Contendebant Pelagiani, liberum arbitrium læſum haudquaquam fuiſſe per peccatum originale; ſed, veluti in æquilibrio conſtitutum, æquales habere vires ſive ad bonum, ſive ad malum. Heinc inferebant, libertatem arbitrii cum neceſſitate gratiæ, quæ voluntatem præveniat, componi minime poſſe. *Si alterius ope indigeo, liber non ero*, effutiebat Pelagius. Lutheri, Calvini, Ianſenii, aliorumque errores adverſus libertatem mox referam.

§. I.

Hæreticum Lutheri, Calvini, & Ianſenii ſyſtema de libero arbitrio in æternæ ſalutis negotio.

I. SI nativis, ſinceriſque coloribus Lutheri, Calvini, & Ianſenii de libero arbitrio ſyſtema depingatur, niſi me omnia fallunt, in nihilum occidunt graviſſimæ, quæ inter Catholicos fervent, quæſtiones. Siquidem non raro accidit ut homines longiores contentionum, litiumque funes texant, perpetuaque diſſidia foveant, quod principium unicum, unde tota pendet controverſia, pleno in lumine haudquaquam collocetur. Eadem veritas ſub una oculorum acie adverſantes difficultates explodit, non item ſub altera. Quorſum hæc? Novum ne referandum mihi arcanum eſt in Lutheri, Calvini, & Ianſenii doctrina de libero arbitrio exponenda? Minime gentium. Sed notam illorum hoc de argumento hæreſim ſub eo repræſentare aſpectu deliberavi, ut ex ſolo eiuſdem intuitu in fumum abeant ſophiſmata illa quibus vellicari Catholicorum plurium doctrina ſolet.

II. Et, ne plus iuſto in limine hæream, cauſſam aggredior tractandam. Primum hominem libero præditum arbitrio fatentur vel ipſi hæreſiarchæ; at extinctum, ſublatumque penitus eſſe poſt Adæ peccatum contendunt. Liberum hominem in hoc lapſæ naturæ ſtatu dumtaxat aſſerunt in civili ſocietate, operumque naturalium regimine. In genere vero moris, æternæque ſalutis negotio, excluſa omni eligendi facultate, omnique activa indifferentia ſublata, neceſſario illum peccare docent, nullaſque omnino partes habere in iis quæ divina gratia præventus operatur. Omnino periit libera eligendi poteſtas in Adamo peccante. Er-

go neceſſario homo peccat, neceſſarioque, dum auxilio divino prævenitur, operatur. Quam operationem voluntario quidem, ſeu ſpontaneo motu homo elicit; minime vero libere, libertate electionis, & indifferentiæ. Nullas omnino partes exercere propugnant homines, cum Dei auxilio ad operandum applicantur; ſed mere paſſive ſe habere in morum ſanctitate; quamvis voluntario, ſeu ſpontaneo motu, quemadmodum & bruta, phyſice agant. Paucis accipe totius Lutheranæ, Calvinianæque doctrinæ ſuccum. Non ideo Lutherus, & Calvinus negant in homine liberi arbitrii indifferentiam, & electionem, quia Deus gratia, ſuapte natura efficaciſſima, humanam voluntatem præveniat, & prædeterminet; ſed contra ita ratiocinantur homines iſti: Patrato peccato originali, extincta fuit tum in Adamo, tum in eiuſdem poſteris libertas indifferentiæ: ergo auxilium divinæ gratiæ neceſſario hominem applicat ad operandum. Admiſſo primo errore extinctæ per peccatum originale humanæ libertatis, conſequentia legitima eſt; quemadmodum, quia in brutis nulla eſt electionis, & indifferentiæ facultas, neceſſario a Deo determinantur. Contra Catholici argumentantur. Homines poſt Adami lapſum libero arbitrio, tametſi læſo, infirmo, vulneratoque, inſtructi ſunt. Ergo libere a Deo præveniuntur, & applicantur. En paucis delineatum verum, germanumque Lutheranæ, Calvinianæque hæreſis ſpecimen.

III. Quæ paucis perſtrinxi, oſtendenda nunc ſunt propriis Lutheri, Calvinique verbis. De Ianſenio infra dicam. Et, ut a Luthero initium arceſſam, hic eſt illius de libero arbitrio articulus, quem LEO X. in Bulla, *Exurge Domine*, anno 1520. edita contra eundem Lutherum *num. 36.* damnavit. *Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo. Et dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Pauca tranſcribam, non ex univerſis eius operibus, ſed tantum ex opuſculo de *ſervo arbitrio* adverſus *Eraſmum*, ubi ex inſtituto cauſſam verſat. In aliis quippe opuſculis iampridem omnem ſuſtulerat libertatem: in quem errorem calamum acuit *Eraſmus*, & Lutherum ſtrenue exagitavit, proſtravitque. Lutherus vero inſita ſua protervia adverſus *Eraſmum* opuſculum edidit, inſcriptum de *ſervo arbitrio*, inſertumque eſt *Tom. III.* operum Lutheri. Inquit ergo. *Sequitur nunc liberum arbitrium eſſe plane divinum nomen, nec ulli poſſe competere, quam ſoli divinæ maieſtati . . . Quod ſi hominibus tribuitur, nihilo rectius tribuitur quam ſi divinitas quoque eis tribueretur: quo ſacrilegio nullum eſſe maius poſſit.* Libero arbitrio donatum Adamum fuiſſe, quis neget? Nullum itaque ſacrilegium, quod arbitrio præditus homo ſit. Larvam arbitrii, quam in homine admittit Lutherus, paullo poſt explicat his verbis. *Quod ſi omnino vocem eam omittere nolumus, quod eſſet tutiſſimum, & religioſiſſimum; bona fide tamen eadem uti doceamus, ut homini arbitrium liberum, non reſpectu ſuperioris, ſed tantum inferioris ſe rei concedatur; hoc eſt, ut ſciat ſe ſe in ſuis facultatibus, & poſſeſſionibus habere ius utendi, facien-*

ciendi, omittendi pro libero arbitrio, licet & idipſum regatur ſolius Dei libero arbitrio, quocumque illi placuerit. Ceterum erga Deum, vel in rebus quæ pertinent ad ſalutem, vel damnationem, non habet liberum arbitrium; ſed captivus, ſubiectus, & ſervus eſt, vel voluntatis Dei, vel voluntatis ſatanæ. Hoc eſt capitale Lutheri principium. Homines in civili commercio, in officiis humanis, in comedendo, in bibendo, in ſaltando liberi ſunt. In æternæ vero ſalutis negotio nulla libertate inſtructi ſunt, nullas in eodem habent partes; ſed ſolus Deus, cuiuſque humanæ libertatis cooperatione reiecta, ſalutem operatur noſtram, paſſive tantum hominibus ſe habentibus. Quin contendit, nihil Patres de libero definiiſſe arbitrio: ſic enim pergit ibidem. *Rogamus itaque per Chriſtum, mi Eraſme, tu cum tuis nobis ſaltem concedite, ut periculo conſcientiæ noſtræ abſterriti, liceat metu trepidare, vel ſaltem aſſenſum differre dogmatis, quod tu ipſe vides eſſe nihil, niſi inanem vocem, & ſtrepitum ſyllabarum: ſcilicet, vis liberi arbitrii eſt, vis liberi arbitrii eſt; etiam ſi ad ſummum veneritis, & omnia veſtra probata ſint, & conſtent. Deinde adhuc incertum apud ipſos tuos, an ea vox ſit, vel non ſit, cum ipſi inter ſe ſe varient, & ſibi ipſis non conſtent. Iniquiſſimum eſt, immo longe miſerrimum, ſolo phantaſmate voculæ unius, eiuſdemque incertæ, noſtras conſcientias vexari, quas Chriſtus ſanguine ſuo redemit. Ac, niſi vexari nos ſinamus, rei accuſamur ſuperbiæ inauditæ, quod tot Patres tot ſæculorum contempſerimus, qui liberum arbitrium aſſeruerint, cum verius, ut ex dictis vides, nihil prorſus de libero arbitrio definierint; ac ſub prætextu & nomine illorum, liberi arbitrii dogma erigitur, cuius tamen neque ſpeciem, nec nomen poſſunt oſtendere, & mendaci vocabulo ſic deludunt orbem.* Quæ diſputatio eſſe cum homine poteſt qui, omni fronte poſita, blaterat, Patres, Auguſtinum, Hieronymum, Fulgentium, Proſperum, ceteroſque nil de libero definiiſſe arbitrio?

IV. Luculentius paullo poſt ſuam exponit ſententiam, dum & Eraſmi, & Catholicorum improbat doctrinam. Eraſmus in ſuo adverſus *Lutherum* opere, ut liberum propugnaret arbitrium, in Semipelagianiſmum declinavit, cum liberum arbitrium ſuis ſe præparare viribus, ſeſeque applicare ad gratiam accipiendam aſſeruerit: contra quam doctrinam hoc pacto Lutherus invehitur. *Vides ne, mi Eraſme, hac definitione teipſum prodi? . . . quod harum rerum nihil omnino intelligis . . . &, ut ſupra dixi, minus dicis, & plus tribuis libero arbitrio quam omnes alii; neque totum libero arbitrio, omnia tamen illi tribuis. Tolerabilius longe tradunt Sophiſtæ, vel ſaltem Pater eorum Petrus Lombardus, qui liberum arbitrium dicunt eſſe facultatem diſcernendi, deinde & eligendi boni quidem, ſi adſit gratia, mali vero, ſi deſit gratia . . . Tu vero utrinque parem vim facis liberi arbitrii, quod ſuapte, ſine gratia, vi, & ſeſe applicare poſſit ad bonum, & ſeſe avertere a bono . . . Non hæc dico, quod Sophiſtarum ſententiam de libero arbitrio*

pro-

probem ; ſed quod tolerabiliorem eſſe ducam quam Eraſmi : propius enim accedunt ad veritatem. Non enim illi liberum arbitrium, ſicut EGO, NIHIL eſſe dicunt ; tamen, cum ſine gratia ipſum nihil poſſe dicunt, præſertim Magiſter Sententiarum, pugnant Eraſmo, immo videntur ſibi ipſis quoque pugnare, & ſola verbi controverſia torqueri. Ita ergo Lutherus extinctum in ſalutis negotio liberum arbitrium contendit, ut nihil, vel ipſa gratia præditus, homo agere valeat. Et profecto quod non eſt, nec ſanare, nec erigere, nec prævenire, vel determinare gratia poteſt. Pergit Lutherus. *Nihil niſi inanis vox liberi arbitrii reliqua ſit, velint, nolint . . . Ego ex his verbis nihil poſſum concipere, quam liberum arbitrium eſſe inanem voculam, cuius res amiſſa ſit.*

V. Scripturarum teſtimonia ab Eraſmo producta deludit Lutherus incredibili fatuitate. Ad illud Ioannis, *Poteſtatem dedit eis filios Dei fieri*, reſpondet: *Ioannes non loquitur de ullo opere hominis, neque magno, neque parvo, ſed de ipſa innovatione, & transmutatione hominis veteris ..... Hic homo MERE PASSIVE, ut dicitur, ſe ſe habet, nec facit quidpiam, ſed fit totus.* Poſt multa folia iterum clamat. *Igitur ipſum ORIGINALE PECCATUM liberum arbitrium prorſus nihil ſinit poſſe, niſi peccare, & damnari ...... Ego ſane de me confiteor, ſi qua fieri poſſet, nollem mihi dari liberum arbitrium.*

VI. Tranſcribendum integrum opuſculum, alioquin ſpiſſum, mihi eſſet, ſi ea omnia congerere vellem quibus probare contendit liberum arbitrium titulum vanum eſſe ſine re, purum putumque Sophiſtarum (ſic vocat Scholaſticos) figmentum : & ſolam admittit *ſpontaneitatem*, quam etiam *lubentiam* vocat. Dum hos, & alios ſimiles errores in Luthero lego, ſatis mirari nequeo Lutheranos, qui tam delirantem Sycophantam ut propriæ ſectæ Patriarcham venerantur, & ut Theologiæ reformatorem extollunt vel ipſi inter eos doctiores. Quid ? Errantem Lutherum non ſequimini ? Cur ergo ut legiſlatorem ſuſcipitis ? Si erravit in fundamento univerſi iuris naturæ adeo manifeſto ; quanto impudentius in obſcurioribus arcanis deliravit ? Sublato penitus per peccatum originale libero arbitrio, legitima conſecutione infert hæreſiarcha Lutherus ibidem, divinum decretum omnia neceſſario præfinire, & determinare. Decretum Dei *fulmen* vocat, ſub quo liberum arbitrium penitus contritum, & extinctum in Adamo peccante aſſerit. Verum Lutherus, ſicut ceteras, ita quoque iſtam controverſiam ſumma confuſione, & perturbatione implicat, & involvit; ac paſſim antilogiis manifeſtis ſemetipſum conficit. Ad Calvini, qui ſuos errores clariori methodo exponit, & ſibi magis conſtat, doctrinam deſcribendam accedamus.

VII. Calvinus Lutheri de libero arbitrio doctrinam adoptavit. In hoc tantum diſcrepant. Lutherus in ſuis ſcriptis iudicio caret, & immani furore abreptus, huc atque illuc irruit, modo ut inſanus, modo ut ſannio, & ſtilo lutulento, & implexo

Digitized by Google

plexo errores ſuos exponit. Contra Calvinus profundus, acutus, vafer, verſutus, arte ſcribendi peritiſſimus. Iram qua vexabatur, ſuo tempore exercet. Ut Lutherum verſutia, eruditione, & elegantiſſimo ſtilo ſuperat; ita facilius lectoribus imponit, & errores ſuos fucat, atque catholicorum dogmatum veritatem adulterat. Fatetur Calvinus, eamdem cum Luthero cauſſam ſe habere. Numquam, ſicut nec Lutherus, ex divinæ gratiæ efficacitate, ſed ex primi peccati mortali vulnere extinctum liberum humanum arbitrium colligit.

VIII. Verba Calvini tranſcribo. Is in *ſecundum Lib. Pighii* de libero arbitrio hæc ſcribit. *Reſpondeo, & Lutherum, & nos omnes duplicem conſtituere naturam: priorem, qualis a Deo condita fuerat, quam puram & integram fatemur fuiſſe; alteram, quæ lapſu hominis vitiata, ſuam integritatem perdidit*. Et paullo poſt. *Iam vero, ut nihil prætermittat* (Pighius) *quod odium quolibet modo conflare queat Lutheri ſententiæ, aut noſtræ, originem trahere a veteribus hæreticis commemorat* &c. Poſt multa, libertatis, quam cum Luthero defendit, notionem exhibet. *Sed quoniam aſtute Pighius cum neceſſitate coactionem perpetuo confundit, quarum diſcrimen tenere, & diligenter meminiſſe plurimum ad propoſitam quæſtionem refert, hæc quatuor, quid inter ſe differant, obſervare convenit, voluntatem aut liberam eſſe, aut ſervam, aut ſpontaneam, aut coactam. Liberam voluntatem vulgo intelligunt, & ſic Pighius quoque definit, quæ bonum aut malum eligere habeat in ſua poteſtate. Coacta voluntas nulla eſſe poteſt, cum alterum alteri repugnet. Verum docendi cauſa, quid ſignificet, dicendum eſt, ut intelligatur, quid ſit coactio. Eam ergo ſic vocamus quæ non ſponte ſua, nec interiore electionis motu, inclinatur huc, vel illuc; ſed externo motu violenter fertur. Spontaneam dicimus quæ ultro ſe flectit, quocumque ducitur; non autem rapitur, aut trahitur invita. Serva poſtremo voluntas eſt quæ propter coruptionem ſub malarum cupiditatum imperio captiva tenetur, ut nihil quam malum eligere poſſit; etiamſi id ſponte, & libenter, non externo motu impulſa faciat. Secundum has definitiones homini arbitrium concedimus, idque ſpontaneum, ut, ſi quid mali faciat, ſibi, ac voluntariæ ſuæ electioni imputare debeat. Coactionem, & violentiam tollimus, quia pugnet cum natura voluntatis, nec ſimul conſiſtat; liberum autem negamus, quia propter ingenitam homini pravitatem* (N. B.) *ad malum neceſſario feratur, nec niſi malum appetere queat. Atque hinc colligere licet, quantum ſit neceſſitatis, & coactionis diſcrimen. Neque enim hominem dicimus invitum trahi ad peccandum; ſed, quoniam vitioſa ſit eius voluntas, ſub peccati iugo teneri captivam; ideoque neceſſario male velle. Ubi enim ſervitus, illic neceſſitas: ſed plurimum intereſt voluntaria ne ſit ſervitus, an coacta. NOS AUTEM NON ALIBI* (N. B.) *STATUIMUS PECCANDI NECESSITATEM QUAM IN VITIO VOLUNTATIS*. Luculenta hæc ſunt. Non alibi Calvinus cum Luthero neceſſitatem voluntatis conſtituit quam in malitia contracta ex peccato originali.

IX.

IX. Sed alia teſtimonia in medium afferamus. Calvinus Lib. I. Inſt. cap. xv. §. 8. *Potuit igitur Adam ſtare, ſi vellet, quando nonniſi propria voluntate cecidit: ſed, quia in utramque partem flexibilis erat eius voluntas, nec data erat ad perſeverandum conſtantia; ideo tam facile prolapſus eſt.... Hinc tanta Philoſophis obiecta caligo, quod in ruina ædificium, & in diſſipatione aptas iuncturas quærebant. Principium illud tenebant, non fore hominem rationale animal, niſi ineſſet libera boni, & mali electio. Veniebat illis in mentem, alioqui tolli diſcrimen inter virtutes & vitia, niſi proprio conſilio vitam homo inſtitueret. Probe quidem hactenus, ſi nulla fuiſſet in homine mutatio, quæ dum ipſos latuit, nihil mirum, ſi cælum terræ miſceant. Qui vero Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo, plane deſipiunt.* In margine vero adiicitur. *Pelagianorum, & Papiſtarum delirium*. At delirare Calvinum cum toto ſuo grege, vel ipſi ethnici Philoſophi evincunt. Non de primi hominis dotibus, quas ignorarunt Sapientes ethnici, ſed de corrupti hominis libertate, qualem in ſemetipſis experiebantur, locuti ſunt. Perſpiciebant, quin manibus fere tangebant, virtutes inter & vitia diſcrimen auferri, ſi ab homine auferatur libertas indifferentiæ. Natura rationalis ex peccato non periit. Ergo neque liberum arbitrium, ſeu neque mens, neque voluntas, quæ animam ſpiritualem neceſſario conſequuntur, evanuerunt. Vitiata utique, & inquinata voluntas eſt: idcirco ſanari, & ſordibus ablui indiget; præparari, & determinari ad bonum opus habet. Quod autem mortuum extinctumque eſt, neque ſanari, neque corroborari, neque applicari ad opus poteſt. *Lib. II. Inſt. cap.* 11. *& ſeqq.* particulam quampiam libertatis, ſicut & Lutherus, in officiis humanæ ſocietatis admittit. Philoſophorum effata, præcipue Marci Tullii, expendit. Morbos quos homines ex culpa contraxere, comparat ferocibus equis, qui, exturbata ratione, ceu auriga excuſſo, intemperanter, ac ſine modo laſciviant. Titillatur quippe animus nunc voluptatum illecebris, nunc falſa bonorum imagine deluditur, nunc immoderatis abripitur affectibus. Inter tantam malorum multitudinem ardere virtutum igniculos, & ſemina animæ inſita teſtatur Cicero, quæ opinionum pravitate frequentiſſime inficiuntur. Philoſophorum ſententiam ſummam hanc eſſe fatetur. Subdit, Eccleſiæ Patres, ne Philoſophorum, quibuſcum certamen erat, cachinnos contra ſe provocarent, carnique ſuapte natura torpenti novam deſidiæ ad bonum occaſionem præberent, plus æquo humanæ voluntatis vires extuliſſe, & Scripturas divinas Philoſophorum dogmatibus conciliare ſtuduiſſe. S. Ioannem Chryſoſtomum omnium primum hac in parte erraſſe, quod doceat, mala, & bona in noſtra Deum poſuiſſe voluntate: omnes Patres Græcos in extollenda voluntate nimium exceſſiſſe: ceteros veteres omnes, uno excepto Auguſtino, vacillaſſe, atque perplexe fuiſſe locutos effutit, Lutherum

rum

rum omnino imitatus. Ad Scholaſticos tandem devenit, de quibus hæc ſcribit §. 4. *Principio conſentiunt, nomen arbitrii magis ad rationem referendum, cuius eſt diſcernere inter bona & mala: epithetum liberi ad voluntatem proprie pertinere, quæ ad utrumque flecti poſſit. Quare, cum libertas proprie voluntati conveniat, THOMAS optime quadrare dicit, ſi liberum arbitrium dicatur vis electiva, quæ mixta quidem ex intelligentia, & appetitu, magis tamen ad appetitum inclinet. Iam habemus, in quibus ſitam eſſe doceant vim liberi arbitrii, in ratione ſcilicet, & voluntate. Nunc, quantum utrique tribuant, breviter videndum ſupereſt.* Poſt animadvertit, triplicem ab Scholaſticis diſtingui libertatem, a neceſſitate primam, ſecundam a peccato, a miſeria tertiam. Quarum primam ita inhærere voluntati contendunt, ut avelli ab eadem nequeat; duas alteras per peccatum amiſſas concedunt. *Hanc diſtinctionem* (inquit §. 5.) *ego libenter recipio, niſi quod illic neceſſitas cum coactione perperam confunditur. Inter quas quantum ſit diſcriminis, & quam neceſſario conſiderandum, alibi apparebit.* Fatemur & nos, maximum eſſe diſcrimen coactionem inter & neceſſitatem. Illa cum ſpontaneitate, hæc cum indifferentia pugnat. Tota ergo libertas calviniana a coactione, ſecus a neceſſitate immunis eſt. Quod fuſius explicat in opere de *libero arbitrio* contra *Pighium*, ubi prolixa apologia ſuam libertatem a ſola coactione propugnare nititur. *Ego vero* (inquit) *quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor quod in tota mea inſtitutione teſtatus ſum, non adeo me ſuperſtitioſum eſſe in verbis, ut eius cauſa velim contentionem aliquam movere, modo rei intelligentia ſana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.* Verum, ut dictum eſt, etiam bruta ſponte aguntur ſua; nec ipſa externo violento motu trahuntur. Non plus ergo libertatis homo habet quam bruta? Sed bruteſcentem Calvinum iterum audiamus, qui incredibili fraude depravare Auguſtini doctrinam ſtudet. Inquit ergo loco cit. *Verum iam ſæpius dictum eſt, quam ut repetere opus ſit, ideo liberi arbitrii nomen concedere* (Auguſtinum) *hoſtibus ſolitum, ne ob vocem paſſim receptam, moroſitatis invidiam ſubiret. Aliud ergo afferat oportet, ſi premere nos velit. Nec ſe, nec quemquam dubitaſſe orthodoxorum teſtatur, quin nemo peccet, niſi libere volens. His ſubſcribimus nos quoque, ſi LIBERE pro SPONTE poſitum interpreteris, ut mens Scriptoris fuit accipere. Sequitur poſtea: & quod Deus nihil præceperit quod non ſit in poteſtate noſtra ſitum, nempe ſi ſana eſſet voluntas.... Nunc vero, cum prorſus corruptæ ſint totius animæ facultates, & ad bene agendum inutiles, non amplius in nobis quærenda, ſed e cælo petenda eſt poteſtas illa quæ legis iuſtitiæ ſufficiat. Hæc, non mea, ſed ipſius Auguſtini verba ſunt. At ſemper verbo adiuvandi utitur, quo videtur innuere, non ipſum agere omnia, ſed nobis partes in agendo aliquas relin-*

linquere... Primum aut non animadvertit, aut animadvertere ſe diſſimulat hic nugator (Pighius) *Auguſtinum illis in libris non ex inſtituto tractare quid ſit, aut quidnam valeat liberum arbitrium; ſed obiter eius facere mentionem.* Quæ eſſe cum tanto cavillatore diſputatio valet? Modo Auguſtinus voce arbitrii utitur, ut communem declinet invidiam; modo obiter, & non ex inſtituto liberi arbitrii quæſtionem verſat. Quid eſt vel in divina Scriptura, vel in Scriptore quolibet tam perſpicuum, tam luculentum, quod eludi his effugiis nequeat? Sed finge, Auguſtinum in *libris ad Marcellinum*, laudatis a *Pighio*, obiter rem hanc tractare. Adeamus librum *de gratia & libero arbitrio* ſcriptum ad *Vitalem*, ubi ex inſtituto controverſiam diſpicit tanta perſpicuitate, ut ſolus Calvinus implicare Auguſtinianam doctrinam valeat. Pauca producam ex Auguſtino: poſt Calvini adiiciam commenta. Quamquam enim eo oratio mea nunc pertineat, ut exponam dumtaxat, non ut confutem Calvini de libertate ſyſtema; tamen pauca obiter ſaltem illius commenta explodere opportunum iudicavi.

X. Innumera Scripturarum teſtimonia in medium promit Auguſtinus, ut arbitrii libertatem evincat. *Cap.* 11. ſic infit. *Revelavit autem nobis per Scripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vobis, non humano eloquio, ſed divino. Primum, quia ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret. Ideo enim data ſunt, ut homo excuſationem de ignorantia non haberet.....* „ Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu „ conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & ſpem bonam placiti. Apponet „ tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In con- „ ſpectu vita, & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei." *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri iubet Deus?...* „ Nolite fieri, ſicut equus, & „ mulus, quibus non eſt intellectus: & noli repellere conſilia matris tuæ... noli „ negligere legem... noluit intelligere, ut bene ageret... noluerunt accipere diſcipli- „ nam." *Et innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum quid oſtendunt, niſi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis evangelicis, & apoſtolicis quid aliud oſtenditur? ubi dicitur:* „ Nolite vobis condere theſauros „ in terra: & nolite timere eos qui occidunt corpus: & qui vult venire poſt „ me, abneget ſemetipſum: & pax in terra hominibus bonæ voluntatis:" & *quod dicit Apoſtolus Paulus:* „ Quod vult, faciat: non peccat, ſi nubat; qui au- „ tem ſtatuit in corde ſuo non habens neceſſitatem *poteſtatem autem habens ſuæ* „ *voluntatis*, & hoc ſtatuit in corde ſuo ſervare *virginem* ſuam, bene facit." *Item dicit.* „ Si autem volens hoc facio, mercedem habeo." & *alio loco:* „ So- „ brii eſtote, iuſti, & nolite peccare..." *Et alibi:* „ Omnes qui pie volunt vi- „ vere in Christo IESU, perſecutionem patientur:" & *ipſi Timotheo:* „ Noli

„ ne-

„ negligere gratiam quæ in te eſt: " *& ad Philemonem*: „ Ne bonum tuum „ velut EX NECESSITATE eſſet, ſed ex voluntate .... " *Item Ioannes in Epiſtola ſua*: „ Nolite diligere mundum: " *& cetera huiuſmodi; nempe, noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.*

XI. Arrigite aures Calviniani, adeſte animis. Notionem liberi arbitrii exponit Auguſtinus, ſitam non in actione ſpontanea, ſed in facultate indifferenti agendi hoc vel illud. Quoties divina Scriptura dicit: *Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.* Quibus aliis luculentioribus vocibus exprimere S. Doctor poterat indifferentiam ad agendum, vel non agendum, ad faciendum hoc, vel faciendum illud, ad arbitrii libertatem neceſſariam eſſe? Et hanc doctrinam integro hoc libro repetit. Subdit cap. IV. *Proinde, cariſſimi, ſicut ſuperioribus teſtimoniis Scripturarum probavimus ſanctarum ad bene vivendum, & recte agendum eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium; ſic etiam de gratia Dei, ſine qua nihil boni agere poſſumus, quæ ſint divina teſtimonia, videamus .... In hac re poteſtatem voluntatis oſtendit, ubi ait*: „ Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, ut ſervet virginem ſuam: " *& tamen non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*. Quid? Paulus Apoſtolus excluſit ne neceſſitatem? Aſſeruit ne, voluntatem noſtram habere ſervandæ virginitatis poteſtatem, ut declinaret Phariſæorum invidiam? Ne vero effutire quiſquam valeat, Auguſtinum plus iuſto extollere humanæ libertatis vires, ſemper addit in toto illo libro, & ubique, ubi de arbitrio ſermonem habet, ſibi illud nequaquam ſufficere, ſed gratia Dei egere. Nec tamen (continuo ibi ſubdit) *ſufficit arbitrium voluntatis humanæ, niſi a Domino victoria concedatur oranti; ne intret in tentationem.... Homo ergo gratia iuvatur, ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur.*

XII. Quid ad hæc explorata Auguſtini teſtimonia reponit Calvinus? Audi, & obſtupeſce. *Faciam* (inquit loco cit. in reſpon. ad Pighium) *quod hactenus ſolitus ſum. Nemini enim alteri aptius quam Auguſtino ipſi mandari poſſe has partes exiſtimo, ut mentem ſuam interpretetur. Quid ergo, cum homini liberum arbitrium tribuit, ſub hoc nomine comprehendat, poſtea definit his verbis.* „ Voluntas (*inquit*) „ in homine ſemper eſt libera; ſed non ſemper bona: aut enim a iuſtitia libera „ eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala; aut a peccato libera eſt, quando „ ſervit iuſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona, quæ prius „ mala fuerat: per quam etiam fit ut ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, „ augeatur. " *Habemus, non alia cauſa liberam dici voluntatem, niſi quia ſpontaneo movetur affectu. Pighius autem longe aliud requirit, ut ſcilicet liberam habeat vel boni, vel mali eligendi facultatem. Libera eſt, inquit Auguſtinus, quia ſponte mala.*

Ver-

Verba deſunt, quibus Calvini auſus exprimatur. Nos, cavillatoris verba uſurpantes, vere Auguſtino partes mandamus, ut cauſam ſuam agat. Non modo S. Pater verba illa, *ſponte mala*, ab ipſo Calvino adiecta, non adhibet; ſed tanta evidentia indifferentiam voluntatis exponit, ut unus Calvinus imponere ſimplicibus oppoſitum audeat. Subdole, & inſigni fraude Auguſtini textum detruncatum exhibet, ut fucum facere imperitis poſſit. Integrum Auguſtini teſtimonium exſcribo, initium capiens ab ultimis verbis adductis a Calvino. *Per banc etiam ſit ut ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur*. Hic ſiſtit Calvinus, pergit vero Auguſtinus: *Et tam magna fiet, ut poſſit implere divina mandata, quando voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt:* Si volueris, conſervabis mandata: *ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur, ut faciat quod iubetur . . . .* Integer Auguſtini liber tranſcribendus mihi eſſet, ſi vellem ea omnia referre quæ ſcribit, ut indifferentiam effectricis voluntatis ad utrumque extremum patefaciat. *Adiuvatur*, inquit S. Auguſtinus, *liberum arbitrium, ut, declinato malo, eligat bonum*. Si adiuvatur, ergo vivit, ergo operatur, ergo eligit unum præ alio.

XIII. Heinc colligas velim, quam iucundæ ſint, & feſtivæ Lutheranorum, & Calviniſtarum ſectæ, quæ vel ipſa prima principia, intimo ſenſu cognita, perfracte negare non reformidant. Non modo ſublatam libertatem a neceſſitate clamant Lutherus, & Calvinus; ſed eo prolapſi ſunt, ut tanti erroris patronum prædicent Auguſtinum. Tolerari utcumque illorum inſipientia poſſet, ſi in explicanda libertate errarent. At, cum facti veritatem negent luculentiſſimam, omnium contra ſe indignationem concitant. Calvinus ad ſidera uſque Lutherum exaltat, tubamque, divino inflatam ſpiritu, vocat. Scribit enim adverſus Pighium Lib. I. *Non Lutherum initio locutum, ſed Deum per os eius fulminaſſe. Neque nos hodie loqui, ſed Deum e cælo virtutem ſuam exerere..... Nam, ſi quis temporis illius ſtatum prudenter conſideret, quo exortus eſt Lutherus, eum alias fere omnes difficultates habuiſſe cum Apoſtolis communes videbit; una vero in re iniquiorem, ac duriorem fuiſſe eius conditionem quam illorum, quod nullum erat tunc in mundo regnum, nullus principatus, cui illi bellum indicerent. Hic autem emergere nullo modo poterat, niſi eius imperii ruina, & interitu, quod non modo potentiſſimum erat, ſed reliqua omnia, quaſi obnoxia, tenebat*. Communes ergo cum Apoſtolis difficultates *Lutherus* habuit? Communia ieiunia, itinera, preces, martyrium? Communes ſuſtinuit labores in æquandis ſolo monaſteriis, in conſtuprandis ſacris virginibus? Commune ne convivium in modio ſalis cum diabolo comedendo? Quicumque Lutheri ſcripta legit, videt hominem mero ingurgitatum, modo huc, modo illuc furentem, bacchantem, atque deſpumantem, furiis agitatum, & ira. Nunc ſcurram, ſannionemque

agit;

agit; nunc præconis evangelici perſonam ſuſtinet. Non ex hiſtoricis hæc colligo; ſed illius opera typis prodita eiuſmodi nobis coloribus depingunt *Lutherum*. Calvinus Lutherum extollit, potiſſimum quod docuerit, *liberum arbitrium rem eſſe poſt primi hominis lapſum de ſolo titulo .... figmentum eſſe in rebus, & titulum ſine re*.

XIV. En quam verum ſit, nullis nos egere teſtibus, ut evincamus, Reformatores iſtos Ethnicis peiores eſſe. Illorum ſcripta, illorum opera teſtimonium perhibent de ipſis. Bellum indicunt non Evangelio, non doctrinæ divinitus traditæ modo, verum etiam ipſi libero arbitrio, lumine naturali, & intimo ſenſu cuique noto. Lubet pauca alia ex Calvino tranſcribere, ut novum præbeam lectoribus eiuſdem dementiæ argumentum. Audi illum loquentem Lib. II. Inſt. cap. 11. §. 11. *Semper ſane mihi vehementer illud Chryſoſtomi placuit, fundamentum noſtræ Philoſophiæ eſſe humilitatem. Magis etiamnum illud Auguſtini. Quemadmodum, inquit, Rethor ille rogatus, quid primum eſſet in eloquentiæ præceptis, reſpondit pronuntiationem; quid ſecundum, pronuntiationem; quid tertium, pronuntiationem: ita, ſi me interroges de religionis chriſtianæ præceptis, primo, ſecundo, & tertio, & ſemper reſpondere liberet humilitatem. Porro humilitatem non intelligit, ubi homo, aliquantæ virtutis ſibi conſcius, a ſuperbia faſtuque abſtinet; ſed ubi talem ſe vere ſentit, qui nullum habeat, niſi in humilitate, refugium*. Ut hanc porro humilitatis virtutem in homine excolat, foveat, atque perficiat, hæc illi meditanda proponit *cap.* IV. ubi hæc ſcribit §. 1. *Hominem peccati iugo ita captivum teneri, ne ad bonum aut voto aſpirare, aut ſtudio contendere ſuapte natura queat, ſufficienter, niſi fallor, probatum eſt. Præterea diſtinctio inter coactionem & neceſſitatem poſita fuit, unde liqueret eum, dum neceſſario peccat, nihilo tamen minus voluntarie peccare. Sed quoniam, dum in ſervitutem diabolo addicitur, illius arbitrio videtur magis agi quam ſuo, quale ſit actionis utriuſque genus, expediendum reſtat: tum ſolvenda quæſtio, an aliquid in malis operibus Deo ſit tribuendum, in quibus nonnullam eius actionem intercedere Scriptura inſinuat. Alicubi Auguſtinus humanam voluntatem equo comparat, ſeſſoris nutum expectanti: Deum, ac diabolum ſeſſoribus. Si Deus illi inſidet, inquit, perinde ac moderatus & peritus ſeſſor, compoſite illam regit, tarditatem incitat, nimiam celeritatem compeſcit, petulantiam, luxuriamque coercet, pervicaciam retundit, in viam rectam deducit. Quod ſi eam diabolus occupavit, inſtar ſtolidi, ac petulantis ſeſſoris, per invia rapit, impellit in foveas, per præcipitia devolvit, ad contumaciam, ferociamque inſtigat*. Tandem concludit, voluntatem, *Satanæ præſtigiis faſcinatam, illi ſe ad omnem ductum obſequentem neceſſario præbere*.

XV. Verum, ut paucis rem expediam, dicant nobis Lutherani, Calvinianique: in quo differunt a brutis Chriſtiani in genere moris? Spontanee agunt bruta; ſpontanee tantum operantur Chriſtiani, iuxta Lutherum, & Calvinum. Nullo ergo

pacto in æternæ ſalutis negotio a brutis differunt Chriſtiani. Spoliatus cæleſtibus donis fuit primus homo, læſa natura ipſa; at extincta anima non fuit. Ergo neque liberum arbitrium, quod neceſſario animam conſequitur. Qua ergo ratione extat anima, & arbitrium? Læſa anima, ſauciatum arbitrium. Nihil, ſuis viribus relictum, ſupernaturale valet; quemadmodum nec infirmus ſe erigere ſuis viribus poteſt; at alterius ope adiutus valet. Infirma eſt anima, infirmum arbitrium; verumtamen tum anima, tum arbitrium vivunt, vita utique naturali, & graviſſime infirma; at vivunt tamen. Ergo divini medici gratia ſanata anima, ſanatum arbitrium vivunt vita ſupernaturali. Vivunt? Ergo agunt. Agunt? Ergo iuxta ſui naturam. At natura liberi arbitrii, teſtibus Luthero, & Calvino, ut a Deo conditi, ante peccatum in hoc ſita erat, ut, excluſa neceſſitate, indifferentiam haberet. Hæc indifferentiæ eſſentia extincta non eſt, ſicut non eſt extincta anima. Ergo natura liberi arbitrii etiam poſt peccatum ſuam retinet eſſentialem indifferentiam, infirmam quidem, & impotentem ex ſe ad quodcumque opus ſupernaturale. Ante peccatum ſanum erat arbitrium, robuſtum, validum. Poſt peccatum infirmum, imbecillum, vulneratum. Gratia ſanante eget, ut aſſurgat, ut opera, æterna mercede digna, producat. Et ut preſſius urgeam, & ad incitas redigam Lutheranos, Calvinianoſque, ſi qui tamen hæreſim hanc Lutheri, & Calvini hodie ſequuntur (nam moderni Lutherani Pelagiani potius quam Lutherani ſunt) Lutherus, & Calvinus libertatem indifferentiæ admittunt ad opera naturalia, & civilia, ut ſunt ædificare domos, colere vineas, politicam ſocietatem moderari &c. Hæc homo libere libertate indifferentiæ operatur: ergo propter aliquem finem honeſtum, vel inhoneſtum. Actiones quippe humanæ deliberatæ hic & nunc, ſeu, ut dicitur, in individuo, non ſunt indifferentes, quemadmodum vera ſententia docet, de qua infra. Bonæ ergo, aut malæ ſint neceſſe eſt. Præterea quid impedit quominus, Dei gratia ſanante, hoc indifferens arbitrium, ad ordinem ſupernaturalem evectum, bonum operetur libere? Libere libertate indifferentiæ voluntas operatur in ordine civili. Ergo hoc liberum arbitrium, gratia divina elevatum, & roboratum, libere libertate indifferentiæ, quacumque neceſſitate reiecta, bonum morale operabitur. Antilogiis ſemetipſos perimunt hæreſiarchæ iſti.

XVI. Ut plenius Lutheri, Calvinique ſyſtema de libertate pateat, pauca ex Concilio Tridentino, & ex *Antidoto Calvini* in præfatum Concilium delibanda ſunt. Sacra Synodus tribus canonibus ſequentibus Lutheri, & Calvini doctrinam de libero arbitrio proſcribit *ſeſſ.* VI. Can. IV. inquit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed, veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; anathema ſit.*

Can.

Can. v. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt* ADAE PECCATUM AMISSUM, ET EXTINCTUM *eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam; anathema ſit.*

Can. vi. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe, adeo ut ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quam vocatio Pauli; anathema ſit.*

XVII. Audiamus nunc ſupercilioſum Calvinum, qui inflatis tibiis Patres Tridentinos ſibilandos aggreditur. *Hæc* (inquit) *moderatio eſt, quam tenent venerandi Patres ad errores corrigendos, quos de iuſtificatione hominis noſtra ætate exortos eſſe dicunt. Sic quidem præfantur, ut initio nihil ſpirent præter Chriſtum. Sed, cum ad rem ventum eſt, multum abeſt quin illi relinquant quod ſuum eſt. Immo nihil tandem aliud continet eorum definitio, quam tritum illud Scholarum dogma, partim gratia Dei, partim operibus propriis iuſtificari homines, ut aliquanto ſe magis verecundos oſtendant quam fuerit Pelagius.* De more ſutelis & cavillis, ne dicam mendaciis, rem agit vafer homo. Totum iuſtificationis opus Dei eſt, non partim Dei, partim creaturæ: quia quidquid in hoc negotio homo agit, vi divinæ gratiæ prævenientis, & adiuvantis agit. Verum, non eo meum ſpectat inſtitutum, ut Calvini errores convellam, quod docti Catholici præclare iam præſtitere, ſed ut Calvinianæ doctrinæ de libero arbitrio ſyſtema nativis coloribus depingam. Quare quæ perſequitur ille, tranſcribo. *Liberum arbitrium pronuntiant viribus fuiſſe attenuatum, & inclinatum, non tamen* EXTINCTUM. *De nomine non litigabo; ſed, cum libertatem minime fuiſſe* EXTINCTAM *contendunt, hoc ſane intelligunt, aliquid reſtare facultatis humanæ voluntati ad bonum eligendum. Ubi enim non eſt* INTERITUS, *illic ſaltem aliqua eſt vitæ portio. Tollunt deinde omnem ambiguitatem, cum attenuatum dicunt, & inclinatum.* Debacchatur in Patres, quod attenuatum dumtaxat eſſe, non extinctum definiant liberum arbitrium. Adverſus hanc Tridentini catholicam doctrinam adeo furenter irrumpit, ut ſpiritum videas ferocem, radianti luci obluctantem. Perfracte extinctum penitus liberum electionis & indifferentiæ arbitrium contendit. Quare ſubdit: *Sed inſiſtunt Prophetæ verbis, quod converſionem a nobis exigendo liberum arbitrium compellet; quod fruſtra faceret, eorum quidem opinione, niſi aliquod eſſet liberum arbitrium. Fateor ſane abſurdas fore eiuſmodi locutiones, niſi eſſet aliqua in homine voluntas. Non tamen propterea concedo, liberam obſequendi facultatem inde poſſe colligi. Valde enim novitios eſſe oportet venerandos iſtos Patres, ſi ex præceptis æſtimant quid valeat homo; cum ideo potius requirat a nobis Deus quod ſupra vires noſtras eſt, ut, imbecillitatis noſtræ convicti, ſuperbiam omnem exuamus. Meminerimus ergo, aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberam boni ac mali electionem. Sublata enim poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola volun-*

Digitized by Google

tas relicta eſt , quæ ſub peccati tyrannide captiva uſque adeo tenetur , ut nonniſi ad malum feratur. Audiſtin' humillimum Calvinum, qui, ut, ſuperbia pulſa, humilitatis virtus colatur, extinctam aſſerit arbitrii libertatem? *Ut ſuperbiam omnem exuamus*, truncos, & ſtipites in boni electione nos Deus voluit? Quam fuerit hac ſuperbia exutus, & denudatus Calvinus, ex iis quæ recenſui , & ex iis quæ continuo adiicit , colligere quiſque poteſt . Scholaſticorum nugas amplexatos eſſe Tridentinos Patres effutit urbaniſſimus hæreſiarcha : ſic enim clamat. *Aſſerunt* (Tridentini Patres) *gratia Dei nos præparari ad percipiendam iuſtitiam ; ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi , & adiuvandi , ut ipſi libere cooperemur . Nempe putidas nænias hic audimus, quas in Scholis deblaterare Sophiſtæ ſolent*. Ita ex tripode definit ſapiens iſte Plato. Sophiſta ne Paulus? inquiens I. Cor. xv. *Gratia eius in me vacua non fuit ; ſed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, ſed gratia Dei mecum* . Sed quid divinas Scripturas oppono homini , vel ipſis primis naturæ lumine notis principiis protervε reluctanti? Voluntatem animæ rationalis non extinctam Adami culpa fatetur: & hanc liberam a neceſſitate eſſe inficiatur? Hæc duo non minus pugnant quam hominem non eſſe hominem , lapidem non eſſe lapidem. Voluntas enim animæ rationalis aut non eſt, aut, ſi eſt, libera ad bonum, malumve eligendum ſit oportet; niſi extra hunc viæ ſtatum conſtituta, aut infinita beatitate clare viſa , ita pleniſſime ſaturetur , ut nequeat niſi bonum velle; aut æternum damnata, ita obſtinetur in malo , ut prætergredi iniquitatis confinia amplius non poſſit. Acutum ſæpe dixi Calvinum ; elegantem, eloquentiſſimumque Scriptorem ſæpius appellavi : ſed, dum religionis dogmata exponit , ſive odio percitus, ſive cæcitatis caligine obductus, ſtipitem & truncum frequentiſſime ſeſe exhibet . Nihil de libero arbitrio ſcripturit quod a ſuo magiſtro Luthero elegantiori quidem ſtilo non tranſcripſerit ; & non minus ac Lutherus proprio ſe conficit mucrone.

XVIII. Ut ſuperius dixi, non eo oratio mea pertinet , ut Calvinianam doctrinam profligem , cum id ſapientes Theologi peregerint ; tamen, occaſione data , temperare mihi haud valeo , quin obiter ſaltem lectorum oculis immaniſſimæ, unaque ſtultiſſimæ doctrinæ horrorem, atque feritatem exponam. Quid? Abs ſtirpe primi criminis , libertatis iacturam repetunt? Amiſſam tum primum libertatem, everſas cæleſtes opes, extinctum rationis lumen, cupiditatum dominatu captivum animum , libidinis tyrannide conſtrictam voluntatem , totam denique vitiatam , corruptamque humani generis naturam vociferantur novi Septentrionis Apoſtoli? Natura illa, quæ primum cæleſtium donorum copia affluebat, non aliud nunc eſt quam lutulenta vitiorum, & omnium ſcelerum , atque flagitiorum perpetua ſentina? Quid inde? Pœnas ergo luant homines, quod voluntate primi parentis peccaverint . Deus per Moyſem , deinde per Chriſtum Dominum graviſſima præcepta ,

pta, & ſublimem divinamque legem ſervandam impoſuit, quibus? Hominibus omni eligendi libertate deſtitutis? Deum ergo, non modo iniuſtum, ſed iniquum, ſævum, crudelem, truculentumque facis. Novit Deus homines compedibus devinctos teneri; & eos ad percurrendum in ſtadio, ut bravium accipiant, urget? An iniuſtus ille non foret qui ebriis hominibus novum aliquod præceptum, novamque legem imponeret? Præterea, quid, Luthere, & Calvine, reformare Chriſti Eccleſiam molimini; ſi deſtitutos libertate mali vitandi homines blateratis? Quid crocitas Calvine? Pœna dignus eſt homo, quoties voluntas adeſt; tametſi neceſſitatis catena obſtricta? Qui enim vult peccare, quamvis neceſſario velit, peccat. Quid; ſi tales nugas a Sophiſta quopiam audires? Digna ergo bruta ſunt præmio, & pœnarum ſeveritate plectenda, quod non coacte, ſed ſponte agant? Quid intereſt quod ſponte agant, ſi tamen neceſſario operantur homines? Cur qui coactus peccat, a ſupplicio liber eſt? Non alia ratione, niſi quod vitare peccatum, quod committit, non poteſt. Sed neque qui neceſſario delinquit, evadere delictum valet. Sed quid ultra provehor adverſus homines qui humani generis iudicium contemnunt, qui naturæ vocibus aures occludunt, qui omni exuta fronte, quidquid in buccam venit, effundunt? Cuinam in mentem veniſſet, tam monſtroſa errorum portenta confingi vel a dementiſſima plebecula potuiſſe?

XIX. Si ad Turcarum, Iaponum, & cuiuſque efferatæ nationis tribunal hanc cauſſam orarem, omnibus ſuffragiis definiretur, Lutheranos, & Calviniſtas omnium, quotquot in mundo ſunt, ſectarum eſſe dementiſſimos, quod magiſtrorum loco habeant Lutherum, Calvinumque, tantorum parentes errorum. Quid? Lutherani, Calvinianique plures hodie liberum fatentur arbitrium, & a pſeudopatriarchis ſuis recedunt. Ita'ne vero? Agnoſcunt ergo ſuorum Patriarcharum errores craſſiſſimos, qui funditus diruunt pietatis, iuſtitiæ, fortitudinis, & cuiuſque religionis fundamenta. Sublata quippe libertate, corruat religio omnis neceſſum eſt; ut fatentur totius humani generis Sapientes. Porro quæ ſtolidior reperiri ſecta valet præ illa quæ tales duces ſequitur? Fatentur Lutherani, Lutherum negaſſe libertatem voluntatis humanæ: & Lutherum hunc *Beatum Martinum* appellant, & a Deo electum ad reformandos corruptos Eccleſiæ mores aſſerunt? Similes ne umquam Prophetas Deus elegit, qui populum deciperent in capitali religionis principio? Non eſt ergo quod reponant, ſe errores deteſtari Lutheri, eiuſque veras tantum doctrinas amplecti. Quoniam, ſi errorum, & quidem graviſſimorum, magiſtrum fatentur Lutherum, eumdem mendacem reformatorem, verumque ſeductorem fateantur oportet. Plurima, quæ dicenda occurrerent, prætereo, quod iam fuſo calamo Theologi catholici delirantium Calviniſtarum, & Lutheranorum abſurda de libertate commenta penitus profligaverint.

§. II.

Chriſtiani Thomaſii, Budæi, Pufendorfii, & aliorum Lutheranorum de libertate opinationes.

I. IN libertatis dogmate cæcus, & furens cum fuerit Lutherus magiſter, cæci ſint oportet diſcipuli, qui diverſas trahuntur in partes, more ſcilicet turbarum, quæ abſque duce vagantur. Lutheranorum pars maior, Luthero neglecto in hac controverſia, libertatem indifferentiæ propugnant. Hos inter eſt Pufendorfius, qui de *iur. nat. & gent. Lib. I. cap.* IV. libertatem defendit. Contra Chriſtianus Thomaſius in ſuo *de iur. nat. tract.* libertatem abſolute negat. Pauca tranſcribam. Et primum redarguit *Budæum*, quod modo adfirmaverit, modo negaverit libertatem. Inquit ergo Lib. I. cap. 1. de nat. homin. moral. §. 132. *Hic diſputo contra dominum Budæum, qui, cum ei placerent quidem nonnulla a me in doctrina morali inventa, quæ ipſe cogitabat cum Ethica ſcholaſtica combinari poſſe; ſed facile tamen videret doctrinam de pluribus voluntatibus unius hominis cum multis ſyſtematibus ſcholaſtico-theologicis non facile combinari poſſe; peculiari diſputatione defendere voluit, unam eſſe ſingulorum hominum voluntatem.... Optarem ut vir clariſſimus ipſe operam dediſſet inveniendi veritatem, & inquirendi in naturam voluntatis..... In prima editione Ethices ſuæ hanc communem ſcholaſticæ Philoſophiæ doctrinam ſecutus, ſequentem inter intellectum & voluntatem poſuerat differentiam cap.* 11. *§.* 30. „ Inter intellectum & voluntatem diſcrimen intercedit ratione modi operandi. Intellectus enim eſt potentia neceſſaria &c.... Aſt a voluntate homo habet tum „ quod ſponte agat... tum quod libere agat. "

II. Refert Thomaſius alium locum Budæi, in quo libertatem coarctat ad actiones externas. *Id vero tantum intelligendum eſt de actionibus externis, quas ita temperare homo poteſt, ut, licet neceſſario appetat, ad quæ per ſuas cupiditates fertur, pœnarum tamen, & præmiorum cogitatione moveat voluntatem in alteram partem; & ſic a criminum perpetratione eamdem retrahat. Ex quo patet, quomodo, ſublata licet omni libertate, leges nihilominus pœnæ atque præmii locum habere queant. Multo itaque minus homo libertate gaudet virtutis veræ operandæ, ſaltem quamdiu ſibi relictus, nec divino lumine colluſtratus eſt.*

III. Deinde ſic reſumit ſuam orationem Thomaſius. *Cur tam aſtute diſſimulat vir eruditus, quod ſententiam melius edoctus mutaverit? Cur per verba*, inquiunt, mihi videtur *&c. lectorem ſeducit?... Agitur de libertate non iſtius hominis, ſed in ſpecie de libertate interna voluntatis. Vulgaris illa & perpetua libertas interna voluntatis fuit deſtructa per confeſſionem, quod voluntas ſit potentia neceſſaria, non libera.* *Et*

Et tamen iam contra aſſeritur, hominem habere libertatem. Quo vero intuitu? Si intuitu voluntatis, aperta eſt contradictio; ſi intuitu alterius cuiuſdam potentiæ, mutatur ſtatus controverſiæ. Adde, quod nec ſecundum propriam confeſſionem, nullius partis, aut facultatis reſpectu, arbitrium vel libertas homini poſſit tribui. Contendit vero Lutheranus iſte, tres in homines reperiri voluntates. Inquit enim §. 132. *Eadem ratio oſtendit quod actiones voluntariæ non poſſint oriri ex communi & una voluntate.* Subdit §. 135. *Quod vero voluntates iſtæ tres non ſolum ſint oppoſitæ, ſed & revera pugnantes, monſtrat partim earum natura, partim effectus, tum in ſingulis, tum in diverſis hominibus.* Si tres voluntates diverſas admittit, tres quoque animas differentes admittat oportet. Rationem vero cur hominem libertate denudet, aſſignat §. 97. *Nam, ſi voluntas ſequi deberet intellectum, neceſſe eſſet ut intellectus ſemper eſſet rectus. Atqui fatentur dari etiam intellectum corruptum. Hunc ergo voluntas non debet ſequi. At voluntas non habet potentiam iudicandi, uter intellectus ſit rectus, vel corruptus; cum omne iudicium pertineat ad intellectum. Ergo voluntas neſcit quem ſequi debeat. Ergo, ſi dum neſcit, tamen ſequitur, imprudenter facit.* Tandem §. 118. hæc adiicit. *Illi vero, qui libertatem electionis omni voluntati humanæ tribuunt, ex eo in errorem hunc delapſi ſunt, quod toti humano generi unam eamdemque naturam tribuerint; & cum obſervarint, quoſdam homines ſingulos non ita difficulter, id eſt voluntate ſua parum repugnante, omittere quaſdam actiones, putarunt & alios æque facile id facere poſſe, & nolle ſaltem ſua libertate uti. Porro, cum unam voluntatem tribuerint etiam ſingulis hominibus, & tamen ſenſerint actiones hominum externas ſæpe præcedere pugnam in animo internam, & tamen nulla facultas animæ poſſit pugnare cum ſeipſa; vel ſimpliciter dixerunt pugnare cum appetitu, vel inſuper tertium quiddam finxerunt, pugnare appetitum ſenſitivum cum intellectu; voluntatem vero hic eſſe, tamquam tertiam quamdam facultatem liberam, & eligere poſſe, utrum appetitum velit ſequi, utrum intellectum.*

IV. Hæc referre libuit, ut novum argumentum reſipiſcendi præberem illis qui Proteſtantium libris delectantur in addiſcendis iure naturæ officiis. Monſtroſa commenta Thomaſii palam faciunt, apud novos Septentrionis hæreticos quemque pro ingenio ſuo cudere dogmata nova. Nihil apud eos certum, nihil fixum, ordo nullus, confuſio perpetua. Tot ſectæ, quot cerebra. Diverſarum naturarum homines effingit Thomaſius. Tres in quolibet homine commentus eſt voluntates, omneſque deſtitutas libertate. Budæus modo propugnavit, modo de medio ſuſtulit libertatem. Nulla apud Proteſtantes lex, quæ petulantia, & inſoleſcentia ingenia coerceat. Providentia, quæ in ordinem, & intra definita confinia retineret effrenem opinandi temeritatem, *Papiſmum* redoleret: idcirco, excuſſo cuiuſque moderaminis iugo, vides novas Lutheranorum, Calviniſtarumque turbas, Anda-

batarum more belligerantes, non de rebus quæ abſque religionis diſpendio in utramque diſputari partem valeant, ſed de ipſis primis religionis capitibus, atque fundamentis. Feſtiva commenta trium voluntatum, humanæque naturæ diverſæ, a *Thomaſio* fabricata, riſu & ſibilo, non argumentatione, refellenda cenſemus. Quæ contra libertatem opponit, vaniſſima ſunt ſophiſmata. Voluntas, inquit, potentia cæca eſt, quæ intellectus errores corrigere non poteſt. Intellectus potentia eſt neceſſaria, & erroribus obnoxia. Ubi ergo libertas indifferentiæ? Nugæ hæ ſunt, Lutherano viro dignæ. Si arenam ex una parte, lapides ex altera, & ex altera calcem colloces, parietem ne conſtrues? Non ſeparatim, ſed ſimul conjunctæ hæ duæ potentiæ, intellectus, & voluntas, liberum conſtituunt arbitrium. Adeo quippe confœderatæ ſunt, & reciproca indigent ope, ut una abſque altera nequeat libertatem conſtituere; quemadmodum nec oculus ſine lumine, nec lumen abſque oculo producere viſionem poteſt. Si Lutherani nugis ſimilibus veritates, intimo ſenſu cuique notas, negare audent; quid mirum, ſi tanta inſoleſcunt audacia adverſus religionis divinæ myſteria?

§. III.

Hæreſis Ianſeniana de libertate, in tertia propoſitione contenta: Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione: *paucis perſtringitur.*

I. DUobus præcedentibus paragraphis idcirco pravam & impiam doctrinam Lutheri, Calvini, & aliorum hæreticorum contra arbitrii libertatem propriis ipſorum verbis fuſo calamo expoſui, ut viam mihi pararem facilliorem ad conſtituendum pleno in lumine *Ianſenianum* ſyſtema contra libertatem indifferentiæ, non minus quam ovum ovo, Lutherano, & Calviniano ſimile. Lutherus, ut vidimus, omni freno excuſſo, laxatiſque habenis, & familiari ſuo furore abreptus, impotenter contra libertatem humanam debacchatus eſt. Ita extinctum per originale peccatum contendit liberum arbitrium in genere morali, ut ſit merum *figmentum*, purum putumque *nihil*. Admittit tamen ſpontaneam libertatem a coactione immunem. Lutheri doctrinam adoptavit Calvinus; ſed ſuæ ſingularis eloquentiæ vi, elegantiæ lenocinio, verborumque fucis horridam eiuſdem aſperitatem delinire exquiſita ſua vafritie ſtuduit. Deperditam, penituſque extinctam per originale crimen in genere morali & ille propugnat libertatem indifferentiæ

ad

ad bonum & ad malum, quam libertatem pleniſſime ante lapſum protoparens humani generis poſſidebat. Liberum tamen hominem viatorem eſſe defendit; atque elata voce clamat, ſe pro hæretico habere illum qui liberum eſſe hominem pernegat. Quo in ſenſu? Quia homo *non coacte, ſed ſponte*, licet neceſſitate ad unum dererminante devinctus, & veluti actus, agat. Ex quo infert, humanam libertatem ſub gratia divina mere *paſſive* ſe habere. Hæc eſt ſincera imago hæreſis Lutheranæ, & Calvinianæ de libero humano arbitrio, ut ex utriuſque hæreſiarchæ productis teſtimoniis manifeſte conſtat.

II. Porro, quemadmodum Calvinus doctrinam Lutheri, ita Ianſenius doctrinam Calvini amplexus eſt, totamque adoptavit. Et qua arte Calvinus temperare Lutheranæ hæreſis horrorem conatus eſt, eadem prorſus Ianſenius longe quæſitis pigmentis Calvinianam hæreſim delinire, atque cavillatoriis commentis incruſtare verſute pertentavit. Poſt ſedulam tum Calvini, tum Ianſenii lectionem, & utriuſque comparatione facta, evidenter deprehendi, doctrinam Calvini totam immigraſſe in *Auguſtinum* Ianſenii; atque Ianſenium de libero arbitrio continenter *calviniʒare*, & medullitus Calvinianum, non ambigue, ſed evidentiſſime ſeſe prodere. Eadem argumenta, eadem obiecta, reſponſa eadem, effugia, latebræ, ſophiſmata, & in Theologos, quos Scholaſticos vocant, ſcommata, dicteria omnino eadem. Diſcrimen unicum eſt, quod Ianſenius plurima conſarcinat S. Auguſtini teſtimonia; præcipua tamen, quæ faceſſere imperitis negotium poſſent, iam Calvinus prius mediam in lucem produxerat. Ne multa: quæ Calvinus preſſe, & Attica oratione complexus eſt, Ianſenius amplificavit, auxit, inflavit. Si ex inſtituto oppugnare Ianſenius canones Concilii Tridentini, quos ſupra reſcripſi, & bullas S. Pii V. Gregorii XIII. atque adeo Eccleſiæ catholicæ doctrinam deſtinaſſet, effrenatius ſcripturire nequiviſſet, ut mox conſtabit. Non inficior, quandoque Ianſenium ſcripto ſuo intexere & interpretamenta, & diſtinctiunculas, quibus & Concilii canones, & Pontificum bullas revereri, & cum eiſdem ſuam conſociare doctrinam iactat, eamque ut catholicam divendere imperitis curat. Verum reipſa omnia deridet, contemnit, & tam aperte & directe ſe ſe & Concilio, & bullis opponit, ut illiberalius ſcribere nequiviſſet, ſi data opera, quemadmodum Calvinus in *Antidoto*, & Kemnitius in *Examine*, carpere canones Concilii Tridentini, præfataſque bullas voluiſſet. An bona fide id egerit, Deo reſervatum iudicium eſt. Si proteſtationem in calce operis adiectam ſpectes, Catholicum; ſi opus ipſum legeris, Calvinianum manifeſte deprehendes. Si eiuſdem acumen, eruditionem, ſcribendique artem expenderis; colliges, ipſum latere minime potuiſſe Eccleſiæ catholicæ doctrinam, neque illi deſuiſſe phraſes, modoſque opportunos, quibus exprimere, interpretari, & declarare pro dignitate tum Concilii, tum apoſtolicæ conſtitutionis articulos potuiſſet, ſi huc ſua molimina ſpectaſſent.

III.

Digitized by Google

III. Quare diligens ſeveraque Calvini, & Ianſenii lectio, amborumque conlatio duo in me ſummopere miranda excitavit. Primum, repertos fuiſſe homines adeo partium ſtudio obcæcatos, quos pernegare minime puduerit, hæreſim quinque famoſarum propoſitionum in Auguſtino Ianſenii reperiri. Siquidem non minus patenter, atque baſilice Ianſenius, ac Lutherus, & Calvinus, adfirmat, penitus extinctum eſse in genere moris liberum arbitrium poſt Adæ lapſum. Ex quo hæretico articulo cetera proficiſcuntur. Porro hunc articulum non obiter, non latenter, ſed claritate proterva, & fuſa oratione probare, & confirmare adnititur, ut mox evincam. Heinc colligit, peccatores homines æque ac dæmones ad peccandum neceſſario obſtringi, liberoſque dumtaxat dici, non quia a peccato abſtinere valeant, ſed quia hoc, vel illud peccatum patrare poſſint. Quamobrem, ſicuti dementes haberentur illi qui negarent, in libris Lutheri, & Calvini reperiri hæreſim contra libertatem humanam in ſenſu Lutheri, & Calvini; ita profecto mentis ſanitate laborant alii qui negant, præſatas propoſitiones extare in Auguſtino Ianſenii, & quidem in ſenſu Ianſenii, ſeu in ſenſu quem produnt in opere Ianſenii; cum germanus ſenſus hæreticæ doctrinæ, non ex corde, ſed ex opere Auctoris colligi valeat. Alterum, quod me admiratione defixum ſuſpendit, eſt, Theologos catholicos extitiſſe, qui ſyſtema Calvino-Ianſenianum confundere cum doctrina Thomiſtarum, ſive quorumque Catholicorum auſi fuerint, & Calviniſmo-Ianſeniſmi teterrimam maculam obieciſſe Thomiſtis; ut inter alios obiecit *P. Annatus*. Prolixam, eruditamque apologiam Thomiſtarum P. Gonet edidit, & P. Annatum falſe defricat, atque pluribus latiſſimum Thomiſtas inter & Calvino-Ianſenianos diſcrimen patefacit. Omiſſis ego omnibus quæ P. Gonet, & ceteri Apologiſtæ adduxerunt pro Thomiſtica Schola, ſola deſcriptione doctrinæ hæreticæ Calvino-Ianſenianæ, tanta evidentia demonſtrabo, Thomiſticam Scholam, omneſque catholicos Theologos non minus ac infernum a Paradiſo diſtare a ſyſtemate Ianſeniano, ut ii ſoli qui aut ſenſu communi carent, aut ſupina doctrinæ Calvino-Ianſenianæ ignorantia obcæcati ſunt, audeant in Calviniſmi, & Ianſeniſmi ſuſpicionem invidioſiſſimam Thomiſtas, ſive quamcumque catholicam Scholam adducere. Optime P. Gonet advertit, ſolam propriæ afflictæ cauſſæ defendendæ neceſſitatem obſtrinxiſſe P. Franciſcum Annatum cum ceteris, ut hanc chimæricam impoſturam excogitaret. Ad rem accedamus.

IV. Sola tertia damnata Ianſenii propoſitio evincit, eamdem prorſus eſſe Calvini, ac Ianſenii de libertate hæreſim. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Hic autem eſt totus ſuccus hæreticæ Calvinianæ doctrinæ, ut confitetur vel ipſe Honoratus Turnely de grat. Chriſti p. 1. pag. mihi 265. *Hæc autem ſententia eadem eſt ac CALVINI, qui numquam eo ſenſu negavit liberum arbitrium, quaſi*

quaſi actiones noſtræ voluntatis liberæ non eſſent voluntariæ; ſed eo in ſenſu, quod negaret nobis ineſſe indifferentiam ad utrumlibet. Conſule quæ ſupra ex Calvino adduxi; & inde colliges, hanc facti veritatem extra diſputationis aleam conſtitutam eſſe.

V. Habemus itaque Ianſenium, non ſecus ac Calvinum, negare libertatem indifferentiæ, a neceſſitate immunem, in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Illud nunc eſt reliquum ut videamus, num ex eodem principio quo Calvinus, ſuum quoque Ianſenius deducat errorem. Supra evidenter patefeci, Calvinum, non ex gratiæ efficacitate, non ex decreto prædeterminante negare libertatem indifferentiæ. Nullibi in operibus Calvini, niſi oculi me fefellerint, vel leve de hoc veſtigium. Sed contra, quia extinctum per peccatum originale arbitrium indifferentiæ contendit, ideo cum Luthero colligit, hominem neceſſario agere, gratiamque divinam ita voluntatem humanam, *paſſive* ſe habentem, impellere, ut hæc diſſentire nequeat. Ex hoc venefico fonte ſuos derivavit Ianſenius rivulos. Luculentiſſimis Ianſenii teſtimoniis, quod propoſui, evidenter demonſtro. Hæc autem Ianſenius *Lib. III. de ſtatu nat. lapſæ cap.* XIII. ſcribit. *Ex quibus omnibus recte colligas, non alio ſenſu poſt lapſum ante reparationem ſupereſſe libertatem arbitrio ad bonum, niſi quia arbitrium eſt tantummodo capax boni, hoc eſt quia, Deo quod AMISSUM eſt reparante, actualem libertatem arbitrii boni faciendi recipere poteſt*. Luculentius hoc idem explicat *Lib. IV. de grat. Chriſt.* cap. IX. ubi hæc habet. *Vera itaque ratio, cur cæleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit, ex natura medicinæ, ſeu medicinalis adiutorii petenda eſt. VOLUNTAS ENIM PER PECCATUM PRIMI HOMINIS IN LIBIDINUM IMPERIUM PRAECIPITATA EST. Ex quibus ſit, ut in OMNIBUS actionibus ante gratiam delectatione quadam libidinoſa præeunte, ac titillante provocetur, cui conſentiendo peccat.*

VI. Hæc eſt clavis prima, & potiſſima Calviniani, & Ianſeniani ſyſtematis, quæ præ oculis habenda ſemper eſt ab iis qui veram Calvinianæ, & Ianſenianæ doctrinæ imaginem contra arbitrii libertatem exprimere velint. Heinc eſt quod Ianſenius in ſtatu innocentiæ Molinianus ſit, gratiamque verſatilem propugnet. Hanc vero libertatis iacturam, a peccato originali invectam, collocat in *libidinoſo imperio*, ita dominante, & captivante voluntatem humanam, ut nullam hæc retineat activam indifferentiam ad utrumlibet. Heinc infert duplicem illam delectationem, terrenam unam, cæleſtem alteram, ceu duo pondera, quibus, veluti captiva, premitur, agitur, urgetur humana voluntas. Si delectatio carnalis prævalet, neceſſario voluntas peccat; ſi delectatio cæleſtis ſuperior & victrix ſit, neceſſario voluntas bonum operatur. Has duas delectationes ſimul belligerantes, & de victoria certantes, effuſa oratione deſcribit *de ſtat. nat. lapſ. Lib. IV. cap.* IX. ubi hæc habet. *Conflictus ille delectationum ſopiri non poteſt, niſi altera alteram de-*

le-

lectando ſuperaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat; ſecundum id operemur neceſſe eſt. Vigente enim delectatione carnali, IMPOSSIBILE eſt ut virtutis, ac honeſtatis conſideratio prævaleat. Rurſus *Lib. VIII. de grat. Chriſt. cap.* 11. inquit: *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adiutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter umquam volet quod volendum eſt.* En paucis, & perſpicuis verbis expoſitum Ianſenianum ſyſtema. Præcipitatum, extinctumque eſt liberum arbitrium, Adamo peccante. Quid hcinc? Delectatio carnalis, excuſſo rectore, & moderatore, libero nempe arbitrio, cui ante peccatum ſubiecta ad nutum parebat, poſt peccatum originale continuo imperii habenas uſurpavit, & captivam voluntatem, libertate indifferentiæ deſtitutam, ſumma & plena tyrannide premit, opprimit, & volvit, veluti paſſivam lancem, quæ maiori ponderi ſuccumbit. Hæc eſt clavis, hæc baſis hæreſis Calvino-Ianſenianæ contra libertatem. Quamobrem manifeſte fallitur, niſi me omnia fallant, *D. Honoratus Turnely* Doctor Sorbonicus, cum aliis pluribus, immo plurimis, qui ſolam delectationem victricem relativam clavim hæreſis Ianſenianæ eſſe adfirmat. Ex qua manifeſta aberratione inferunt, omnes eſſe Ianſeniſtas qui gratiam divinam *delectationem cæleſtem, ſanctamque inſpirationem* appellant. Adverſus has voces Andabatarum more belligerant plurimi, & ingentia volumina edunt, ut eas urbe & agro explodant; ac ſi voces iſtæ, ſua natura innoxiæ, ſentina eſſent Calvino-Ianſenianæ adverſus libertatem hæreſis. Quorum argutationes ſi ſtarent, Ianſeniſta Auguſtinus, Ianſeniſtæ eſſent Catholici maiori ex parte, ne dicam omnes, ut infra declarabo.

VII. Clarius Ianſenius Lutheri, & Calvini errorem a ſe adoptatum propugnat *Lib. III. de ſtat. nat. lapſ. cap.* 11. ubi cum ſuo Calvino hanc eſſe S. Auguſtini ſententiam effutit. *Sententia igitur Auguſtini, quam tantopere Pelagiani deteſtati ſunt, non alia quam iſta eſt: quod arbitrium voluntatis poſt lapſum primi hominis, antequam divina gratia viſitetur, hoc eſt antequam chriſtianam ſuſcipiat fidem, unde incipit gratia, ſub eupiditatibus terrenis ita arcte captivum poſſideatur, ut libertas illa voluntatis, velut ferreis vineulis adſtricta, nullo modo ſurgere poſſit, ut bonum velit, aut faciat; ſed ut TANTUMMODO CAPTIVO MOTU VERSETUR IN MALO. Qua de cauſa liberum arbitrium toto illo tempore non tam eſſe liberum quam ſervum, hoc eſt liberum eſſe iuſtitiæ, peccati autem ſervum, SUBLATA FUNDITUS INDIFFERENTIA PROXIMA AD BONUM, ET MALUM. Doctrina iſta in Auguſtini ſcriptis tam luculenta, & perſpicua eſt, ut auſim dicere, nullam in hac tota materia eſſe clariorem, quam ipſe, non tamquam opinionem, ſed tamquam immobilem chriſtianæ fidei BASIM docet.* Subdit eodem Lib. cap. VI. *Senſus enim ipſius* (Auguſtini) *eſt, ante gratiam victricem cupiditatum, hoc eſt ante infuſam per Spiritum ſanctum caritа-*

vitatem, multoque magis ante fidem, NULLAM ſupereſſe in voluntate libertatem ad bonum, NULLAM POTESTATEM, ut RESISTAT concupiſcentiarum carnalium deſideriis; ſed illis pleno iure dominantibus miſerabili ſervitute ſubiacere captivam. Rurſus ſub finem eiuſdem capitis hæc adiicit. *Docet* (Auguſtinus) *hæc omnia fieri non ex animi quadam INDIFFERENTIA, & quaſi libertate ad bonum & ad malum, ſed mere ex imbecillitate: quia videlicet, ut ipſe loquitur, præcepti capax eſt, non efficax, quia non poteſt implere legem.... Docet proinde, talem hominem, non ſolum eſſe liberum, ſed peccato ſervire ſubditum, captivum ſub lege peccati; carnalibus deſideriis obſtrictum teneri, ſub paſſionibus agi, ut ſub viro dominante; iacere in vinculis peccatorum; ſubiugatum eſſe concupiſcentiæ, ut faciat quidquid illa compellat; tamquam emptum mancipium ſervire libidini, trahi a concupiſcentia ad quidquid illicitum eſt; ſervum eſſe dominantis cupiditatis, etiam delectari contra legem facere. Docet, concupiſcentiam ipſam eſſe robuſtiſſimam, eſſe inviſſimam, concupiſcentiam dominari, ſuperare pugnantes, dominatum & quaſi regnum obtinere, habitare cum principatu. Quis dixerit, niſi catholicæ fidei parum conſcius, hominem in tam miſerabili ſtatu captum, ſervum, mancipium libidinis, carentem viribus reſiſtendi invictiſſimæ dominantique concupiſcentiæ, fide, & gratia, & ſcientia mali, eſſe arbitrio liberum ad faciendum bonum?... Supra toties dixit* (Auguſtinus) *victam vitio naturam libertate caruiſſe: NON MANERE AMPLIUS LIBERTATEM: AMISSUM ESSE LIBERUM ARBITRIUM.*

VIII. Ultra pergit, & cap. IX. hanc conſtituit theſim probandam, quæ eſt titulus illius capitis.

Periit non ſolum libertas ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendi a peccato.

Quam theſim ſic evincit. *Hactenus abunde ex Auguſtino demonſtravimus, arbitrium poſt lapſum primi hominis, antequam per gratiam a dominantis cupiditatis ſervitute liberetur, non eſſe liberum ad opus bonum. Sed hac occaſione merito dubitari poteſt, an ſit ſaltem liberum, ut recedat a malo, etſi non faciat bonum. Hoc eſt, utrum ſit liberum ſaltem ut abſtineat a peccato; an vero in peccandi neceſſitatem, viribus ſuis ineluctabilem, præcipitatum ſit... Itaque ſanctiſſimus, & profundiſſimus Doctor Auguſtinus, non contentus declaraſſe, hominem poſt lapſum OMNI boni operis faciendi LIBERTATE privatum, eadem fiducia partem utramque docet, non eſſe etiam ei iam liberum a peccatis abſtinere, ſed in peccandi neceſſitatem peccando cecidiſſe.... Et quidem non eſſe iam liberum a peccando abſtinere, quamvis olim liberrimum fuerit, ita perſpicue, & conſtanter, frementibus licet Pelagianis, docet, ut in dubium revocari nequeat.* Hanc doctrinam confirmat integro hoc *cap.* IX. & X. deinde *cap.* XI. hunc alium articulum, qui titulum format eiuſdem capitis, probandum ſuſcipit.

Loco libertatis abſtinendi a peccato inducta eſt peccandi neceſſitas.

IX.

IX. Ex plurimis quæ in præfatæ theſis confirmationem adducit, hæc pauca perſtringo. *Si enim non eſt liberum a peccato abſtinere, profecto neceſſe eſt peccatum facere, ut per ſe patet liquidiſſime : nam propterea iſta duo promiſcue, & pro iiſdem ab Auguſtino uſurpari ſolent. Invectam igitur eſſe peccato primi hominis peccandi neceſſitatem, ferre non poterant Pelagiani . . . . Sed hanc arbitrii libertatem ad bonum, & malum funditus Auguſtinus pro utraque parte ſubvertit. Docet enim contra Pelagianorum iſtas aſſertiones, libertatem arbitrii non ſolum cum neceſſitate ſolius boni faciendi poſſe conſiſtere, ſed etiam cum neceſſitate ſolius mali.* Quem errorem ut confirmet, plures conſarcinat S. Auguſtini textus, in quibus Doctor ſanctus neceſſitatem uſurpat pro gravi difficultate, ut illa eſt quæ ex inolita conſuetudine proficiſcitur. Rurſus integro *cap.* XII. eadem oberrat chorda, & errorem ſuum Auguſtini auctoritate incruſtare contendit.

X. Errorem hunc, adeo luculenter cum Tridentini Concilii canonibus pugnantem, conſociare cum doctrina catholica non reformidat Ianſenius *capp. ſeqq.* XIII. & XIV. Exquiſito artificio obtegere illum imperitis ſtudet ; reipſa tamen hæreſis ſuæ venenum apertius pandit illo ipſo loco quo illud abſcondere ſatagit. Sophiſmata *cap.* XIII. huc recidunt. In hoc ſtatu naturæ lapſæ ad libertatem non eſt neceſſaria indifferentia contrarietatis; ſed ſat eſt a coactione immunitas. Liberum eſſe peccatorem verſute aſſerit. Cur? Quod bonum agere, quod abſtinere a malo abſolute poſſit? Minime gentium. Cur ergo? Quia, inquit, *liberum arbitrium liberrime peccare poteſt. Nam ad actum liberum non requiritur indifferentia contrarietatis.* Audiſtin'? Ianſenius tandem hominem peccatorem ſimillimum diabolo effecit. Obfirmati in malo dæmones ſunt; libere tamen hoc, vel illud malum ſeligere valent; ampliſſimam vero iniquitatis circumferentiam prætergredi nequeunt. Pariter homo peccator tranſilire imperii libidinoſi confinia nequit . Per ſeptem provincias peccatorum mortalium, ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ &c. excurrere valet : quia delectatio terrena dominans, & imperans ſuam iuriſdictionem, & poteſtatem in totum iniquitatis regnum extendit . Libertatem contradictionis , ſeu exercitii hanc vocat, quam ſicut ad merendum, ita ad peccandum ſufficere ait Ianſenius, ut infra clarius explicat.

XI. Fuſius *cap.* XIV. exponit amiſſam libertatem faciendi bonum , & abſtinendi a malo. Diſtinguit duplex boni genus : aliud ſpirituale, ad vitam æternam utile; aliud morale naturale. Omnes, inquit, fatentur liberum arbitrium impar eſſe ſe ſolo ante gratiam ad primi generis bonum. *Huc igitur* (pergit ille) *redit iſta diſputatio, utrum ſenſerit Auguſtinus, ac diſcipuli eius . . . arbitrium poſt lapſum hominis ita captivum eſſe, & boni faciendi libertate ſpoliatum, ut quidquid fecerit ante gratiam, hoc eſt ante fidem, unde libertas a peccato incipit, non tantum nihil ad pietatem, & ſalutem conferat, ſed neque ſit moraliter bonum, utpote quod ſit verum, &*

pro-

Digitized by Google

proprie dictum peccatum : a qua controverſia reipſa non differt illa in qua communiter quæri ſolet, utrum omnia opera infidelium ſint peccata.

Itaque in hac quæſtione indubitatum exiſtimamus, eſſe illam ſententiam S. Auguſtini, atque diſcipulorum eius, quam iam iam diximus, nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio poſſe fieri, niſi per gratiam, non quamlibet liberetur; ut proinde ante fidem non ſit ei liberum a peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abſtinere; ſed, quocumque ſe ſe verterit, quadam humanis viribus INSOLUBILI peccandi NECESSITATE teneatur. Qua ſententiæ Auguſtinianæ expreſſione ſatis indicamus, quo pacto illa tria quæ ſupra ex ſanctiſſimi Doctoris lucubrationibus demonſtravimus, iuxta mentem eius intelligenda ſint : periiſſe ſcilicet libertatem ad bonum, non ſolum ut non poſſit ante gratiam totam iuſtitiæ moralis legem implere, ſed nec unum quidem opus eius : periiſſe libertatem abſtinendi a peccato, ut nec in ullo quidem opere, peccati culpam poſſit effugere : inductam eſſe neceſſitatem peccandi, non tantum in aliquibus actibus... ſed ſenſus eius eſt, inductam eſſe peccandi neceſſitatem in OMNIBUS actibus . . . Hanc eius doctrinam, quam breviſſime fieri poterit, variis argumentorum claſſibus confirmabimus. Et reipſa confirmare illam perſequitur pluribus capitulis uſque ad libri finem, immo toto *Lib. IV.*

XII. Opponit ſibi *Lib. IV. cap.* XXV. hanc a S. Pio V. damnatam theſim*: Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſario facit* . Hoc autem reſponſum præbet. *Neceſſitas peccandi ab Auguſtino tradita ſolum eſt neceſſitas in genere, ex qua fit ut non poſſint homines ante gratiam agere niſi male. Hæc autem non impedit quominus in peccatis ſingularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum, & abſtinendum habeant voluntatem. Sic enim & demones neceſſario peccant; quamvis in ſingulis actibus peccatum non neceſſitate, ſed voluntatis libertate committant; ſicut non ignobiles etiam recentiores Auctores docent.* Hoc idem reſponſum retulit *cap.* XXII. aliud tamen addit, nempe quod neceſſitas iſta hypothetica ſit, libere in Adamo volita. *Talis enim neceſſitas* (inquit) *non niſi ex hypotheſi præcedentis liberæ determinationis naſcitur. Nec aliud revera eſt, niſi primæ liberæ voluntatis perpetuitas, & immobilitas . . . . Non loquitur ergo illa proſcripta propoſitio de tali neceſſitate malæ voluntatis ex hypotheſi . . . ſed de neceſſitate potius abſoluta.* Interpretamentum iſtud non dico craſſum ineptumque eſſe, ſed addo bona fide a Ianſenio obtrudi non potuiſſe. An ignorabat ille, omnes ad unum Theologos negare, ſat eſſe libertatem quam habuerunt poſteri in primo parente ad peccata actualia? Hoc eius interpretamentum damnavit Alexander VIII. *propoſit.* I. Calumnia nimium impudenti Ianſenius tum hoc *cap.* XXV. tum *cap.* XXII. tum alibi imponit Scholaſticis, quaſi iſti docuerint, ad peccandum ſat eſſe hominibus viatoribus libertatem contradictionis, aut libertatem illam qua fruuntur dæmones, patrandi videlicet hoc, aut illud peccatum, ſed neceſſitate iniqui finis ob-

ſtri-

ſtricti & devincti. An latuit Ianſenium, catholicos Doctores omnes requirere libertatem contrarietatis? Purgent, ſi valent, eiuſdem diſcipuli hunc ſuum magiſtrum ab iniquo decipiendi animo.

XIII. Ad hanc propoſitionem xxv. Baii proſcriptam, *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*, hæc reponit cap. xxvii. eiuſdem Lib. IV. *Utramque partem enim tam conſtanter, & luculenter, tot modis Auguſtinus tradidit, ut, ſi ulla eſt doctrina in univerſis lucubrationibus eius manifeſta, & minus obnoxia cavillationibus, illa emicet inter omnes. Unde etiam tricas omnes, quibus doctrinam eius obvolvere nituntur quidam recentiores, minus verſati in principiis eius, diſſipavimus. Quod, ſi, illis non obſtantibus, liceat Auguſtinum alio detorquere; fidenter auſim dicere, nos fruſtra hæreticos ſanctorum Patrum auctoritate premere, quos tam licenter ad noſtri temporis doctrinas detorquemus. Nihil enim eſt in toto Auguſtino tam clarum de gratia, vel de quolibet doctrinæ capite, quod non probabilioribus gloſſis in alienos ſenſus pervicacior quiſque adverſarius verterit. . . . . Cur ergo, inquies, proſcriptæ ſunt? Idcirco, inquam, quod altera ſententia Scholaſticorum ſtudiis, humanas magis rationes, quam eccleſiaſticam traditionem attendentibus, in ſcholis eſſet receptior, atque tritior. Quis enim neſciat, eſſe nubem Scholaſticorum, qui nonnulla opera bona in infidelibus agnoſcunt, & Philoſophorum virtutes, non vitia, ſed virtutes eſſe profitentur? Sed, quamtumvis illi numeroſi fuerint, non poſſunt eccleſiaſticæ doctrinæ per Auguſtinum adverſus Pelagianos conſtitutæ . . . uſque ad ætatem circiter primorum Scholaſticorum, quaſi per manus traditæ, ulium afferre præiudicium. Hoc tamen egit ſummorum Pontificum prudentia, ut, quia Scholaſticorum diſputationibus Auguſtini doctrina ita erat obſcurata, & interpretationibus plauſibilibus quidem, ſed ab eius mente remotiſſimis, quaſi obruta, ut, quænam eſſet vera illa, & ab Auguſtino aſſerta ſententia, difficillime diſcerni poſſet, altera pars ſine præiudicio veritatis tantiſper vetaretur, tamquam quæ vetuſta, quaſi novitate noſtri temporis Doctores, vetuſtatis eius inſcios, offenderet, ſcandaloque perturbaret. Non enim veritas tantummodo, ſed & pax Eccleſiæ Præfectis cura eſt, cuius interitu etiam veritas apud homines plerumque periclitari ſolet.*

XIV. Hæc omnia, licet aliquantulum prolixiora, reſcribere volui. Quorſum? Ut illa convellam? Id ſi præſtarem, ab inſtituto meo recederem. Cur ergo? Ut id quod propoſui, evidentiſſime demonſtrarem, nempe, Ianſenium in articulo de libero arbitrio perpetuo *calvinizare*, & eamdem prorſus, ad hoc quod attinet, cum Luthero, & Calvino docere hæreſim, extinctum nempe penitus eſſe per peccatum originale liberum hominum arbitrium. Huc dumtaxat inſtitutum meum pertinet, ut heinc poſtea concludam, quanta laborent ignorantia illi qui Calviniſmum & Ianſeniſmum obiicere ſive Thomiſtis, ſive cuicumque Catholicorum ſcholæ, audent.

XV.

XV. Ceterum adeo monſtroſa commenta ſunt, quibus ſuam (adulterare, dixerim, an fucare?) hæreſim Ianſenius conatur, ut abſtinere vix poſſim quin obiter, & per tranſennam unum & alterum verbum faciam. Quis non ſe commotum ſentit, dum ſola interpretamenta legit in damnatam propoſitionem Baianam? Quid? Romana Sedes damnavit illam propoſitionem, doctrinam Eccleſiæ continentem, Ianſenio iudice, ne Scholaſticorum nubem offenderet? Ubinam, quæſo, ſunt extra hanc Scholaſticorum nubem ſoles, ſeu Doctores Theologi in univerſa Romana catholica Eccleſia, qui oppoſitum aliquando docuerint? Errarunt ergo omnes Eccleſiæ Doctores a ſæculo XIII. uſque ad Lutherum, Calvinum, & Ianſenium? Ea eſt Epiſcopi Iprenſis moderatio, & humilitas, ut omnibus ſui temporis Eccleſiæ Theologis Doctoribus bellum denunciet, & Auguſtinianæ, immo catholicæ, doctrinæ, ut ipſe ait, ignorantiam exprobret? Et hanc Auguſtiniano-catholicam doctrinam Romana Sedes *tantiſper* vetavit, proſcripſit, utpote vetuſtam, ne Doctores noſtri temporis, vetuſtatis illius inſcios, offenderet, & perturbaret? Præfectis Eccleſiæ non veritas modo, ſed pax etiam curæ eſt. Dubio procul. At numquid Romana Sedes catholicæ veritatis diſpendio pacem curabit? Anathema in innocentiſſimam, ſanctiſſimamque evangelicæ doctrinæ veritatem intorquebit Romana Eccleſia, ne turbam Scholaſticorum commoveat? Tam monſtroſa commenta evulgare auſus eſt Ianſenius? Si hæc admittantur, quid certi, quid tuti a Romana Cathedra prodibit? Si damnationi ſuarum propoſitionum ſupervixiſſet novus iſte Auguſtini commentator, quæ in Romanam Sedem non eructaſſet? Ianſeniſtæ improperant Caſuiſtis pluribus, quod in pravos ſenſus detorqueant damnatas propoſitiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. Sed iure longe ſuperiore nos improperamus illis, quod omnes pontificias bullas, ſibi adverſantes, adulterent. En quam verum ſit bullas adverſantes uni factioni exaltari ab altera, & contra. Sed quinam fuere Scholaſtici iſti, qui propoſitionis Baianæ doctrinam impugnarunt? S. Thomas, S. Bonaventura, Alenſis, Albertus Magnus, Scotus, Durandus, omneſque non Scholaſtici tantum, ſed Eccleſiæ Doctores a ſæculo XIII. ad hæc uſque tempora. Porro numquid Doctores Eccleſiæ ſæculi XIII. quidquam in hac controverſia innovarunt? An ignorarunt iſti anteceſſorum Patrum doctrinam? An ſanctum Thomam Aquinatem ſancti Auguſtini doctrina latuit? Teſtem advoco Ianſenium, qui *Tom. II. de ratione, & auctoritate Lib. proœmial. cap.* XXII. hæc de S. Thoma ſcribit. *Quemadmodum novum teſtamentum nihil eſt aliud niſi vetus revelatum; & Auguſtini doctrina nihil præter fidei principia in ſuas deducta concluſiones: ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit pro magna parte, nihil aliud eſt niſi Auguſtinus contractus. Ex quo profecto magnitudo S. Auguſtini multo ſplendidius eniteſcit. Si enim a nonnullis de S. Thoma recte dictum eſt, quot articulos, tot eſſe eius miracula: quot miraculis ille tandem claruiſſe dicendus eſt*

qui S. Thomam tot miraculorum patratorem fecerit? Nihil hic invidiam cuiuſquam, vel ne S. Thomas ſucceſſeat mihi, pertimeſcendum puto, qui, quantum ſanctiſſimo Auguſtino anteceſſori ac magiſtro ſuo debeat, facilius ipſemet forſitan pro humilitate ſua, quam quiſquam alius amator eius ardentior quam prudentior fateretur ... Hanc laudem qui S. Thomæ ſurripere volunt, potiſſimam ex eius doctrina margaritam avellunt.

XVI. Nemo noſtrum hanc ſplendidiſſimam margaritam avellit a S. Thomæ Summa. Omnes eius diſcipuli grates ſummas Ianſenio habent, quod S. Thomæ Summam *Auguſtinum contractum* appellet. At S. Thomas in hoc ſuo Auguſtino contracto 2. 2. *quæſt.* x. *art.* 4. ex inſtituto diſputat, *utrum omnis actio infidelium ſit peccatum*. Definit vero his verbis. *Manifeſtum eſt quod infideles non poſſunt operari bona opera quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet quod in omni opere ſuo peccent....* Ad 2. *Fides dirigit intentionem reſpectu finis ultimi ſupernaturalis; ſed lumen etiam naturalis rationis poteſt dirigere intentionem reſpectu alicuius boni connaturalis....* Ad 3. *Per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum*. Teſtimonia tum Scripturarum, tum S. Auguſtini, quæ opponuntur a Ianſenio, expendit Doctor Angelicus, & iuxta communem Eccleſiæ catholicæ doctrinam interpretatur. Si S. Thomas Auguſtini doctrinam calluit, eam quoque compertam habuerunt eius diſcipuli. Dominicus Soto, ut innumeros alios omittam, qui ante Baium ſcripſit *Lib. I. de nat. & grat.* teſtatur, Lutherum ſolum hanc invexiſſe hæreſim, videlicet quod omnia opera infidelium ſint peccata. Teſtimonia quæ ex Scripturis, & ex Auguſtino opponuntur a Calvino, & Ianſenio, aliis luculentiſſimis teſtimoniis interpretatur. Sed quid Sotum nomino, cum omnes ad unum Theologi catholici qui hoc de argumento ſcripſerunt, hanc eſſe S. Thomæ doctrinam, ab ipſis divinis Scripturis, ab unanimi SS. Eccleſiæ Patrum conſenſione hauſtam, docuerunt, docebuntque, quoadusque mundus durabit?

XVII. Sed quid Iaoſenium reprehendo, quod omnium ſui temporis Theologorum doctrinam contempſerit? Paucis perſtringenda nunc ſunt quæ capitis initio innui, quæque conceptis Ianſenii verbis liquidiſſime confirmavi; videlicet, Ianſenium doctrinam Ioannis Hus, Lutheri, & Calvini de libero arbitrio adoptaſſe. Docuit hæreſiarcha Hus: *Omnia peccatoris opera ſunt peccata*: quæ propoſitio damnata eſt in Concilio Conſtantienſi. Inter propoſitiones proſcriptas *ſeſſ.* xlv. *num.* 16. damnata hæc eſt: *Mortale peccatum inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſicut virtus vivificat omnes actus virtuoſi*. Concilium Tridentinum damnavit hæreſim Lutheri, & Calvini de amiſſione liberi arbitrii ſeſſ. vi. can. v. *Si quis liberum hominis arbi-*

arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit.... anathema ſit. Et rurſus can. VII. *Si quis dixerit, opera omnia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata...., anathema ſit.* S. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. eoſdem errores, & alios inde neceſſario manantes ſacro confixere mucrone. Ianſenius adverſus hæc ſacra Concilia, & Pontificum bullas explicato vexillo frontem erexit, & non tantum ſubdole, & per cuniculos, latebraſque, ſed aperta & audaci fronte errores damnatos propugnavit integris libris, nedum capitibus. Neque vocibus, & phraſibus fucatis, ſed expreſſis, & manifeſtis, directeque pugnantibus cum Tridentinis canonibus, uſus eſt, quibus hæreſim Lutheranam, & Calvinianam defenderet, confirmaretque. Calvinus, ut dixi, leviſſimis quibuſdam pigmentis horrorem Lutheranæ hæreſis delinivit. Ianſenius quibuſdam aliis teſtimoniis, ex divina Scriptura, & S. Auguſtino incredibili fraude, & aſtutia excerptis, amplificare Calvini doctrinam infeliciſſimo conatu pertentavit. Pro hæretico Calvinus habet qui negat liberum arbitrium. Idem iactat Ianſenius. Calvinus *Lib. II. Inſt. cap. V. num.* 4. ſibi opponit, *fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſupervacaneum eſſe admonitionum uſum, ridiculas eſſe obiurgationes, niſi ſit penes peccatorem parere.* Reſpondet. *Similia olim cum obiectarentur Auguſtino, libellum de correptione, & gratia ſcribere coactus fuit.* Fuſius verſat argumentum iſtud *Lib. IV. contra Pighium:* & poſt plurima congeſta commenta, tandem concludit iuſtam eſſe obiurgationem ob voluntatem liberam, qua in Adamo omnes peccarunt. *Iam nemo aliud cauſari poteſt, cur peccet, niſi malam voluntatem. Voluntatis porro malitia non aliunde eſt quam ex hereditaria corruptione.*

XVIII. Hanc eamdem obiectionem ſibi opponit Ianſenius *Lib. IV. de ſtat. nat. lap. cap.* XXVIII. inquiens: *Aliud argumentum peti poteſt ex ratione præcepti, cohortationis, obiurgationis, atque vituperationis &c.* & cum Calvino ad Auguſtinum confugit. *Reſpondetur. Adverſus Manichæos hoc argumentum frequenter Auguſtinus premit.... Peccandi neceſſitas quam Auguſtinus tradit, ſublataque libertas bene faciendi, non repugnat arbitrii libertati.... Sed in eo tota hallucinatio eſt, quod, cum audimus liberum voluntatis arbitrium, ſolemus imaginari indifferentiam quamdam voluntatis ad bonum, & malum; quam ſemper hominibus adeſſe mordicus aſſerebat Iulianus, inficiabatur Auguſtinus.* Tandem cum ſuo Calvino ad libertatem in Adamo habitam ſe recipit. Infinitus eſſem, ſi integram comparationem adornare vellem doctrinæ Ianſenianæ cum Calviniana. Verum quæ hactenus dicta ſunt, ſatis ſuperque id quod demonſtrandum ſuſcepi, evincunt.

XIX. Pauca adiicere lubet ad præcavenda verſuta effugia, & technas, quibus ſuam occultare hæreſim Ianſenius conatur. Sæpe diſtinguit libertatem generice, & ſpecifice acceptam; contrarietatis, & exercitii. Sæpe etiam admittit indifferentiam ad bonum, & ad malum, & poteſtatem quamdam abſtractam ad actum

 oppo-

oppoſitum. Hac diſtinctionum varietate, & vocum æquivocatione emollire Lutheri, & Calvini hæreſim, & quamdam libertatis larvam obtrudere verſute ſtudet. Excludit utique ferream illam & fatalem neceſſitatem Manichæorum, Stoicorum, & Aſtrologorum. Ceterum cum aperte doceat amiſſum penitus eſſe per culpam originalem liberum arbitrium, omnem veram libertatem, ſive contrarietatis, ſive exercitii, ab hoc ſtatu naturæ lapſæ reiicit, ſolamque libertatem a coactione, ſecus a neceſſitate immunem defendit. Indifferentia quam iactat, non aliud eſt præter flexibilitatem naturalem, & paſſivam arbitrii ad bonum, & ad malum, cum omnem, ut vidimus, activam indifferentiam ſive ſpecificationis, ſive exercitii in hoc ſtatu excludat. Hinc patet quam fraudulenter libertatis ſpecificationis, & exercitii diſtinctione abutatur, cum reipſa neque unam, neque alteram libertatem vero in ſenſu admittat. Quandoquidem iuxta ipſum homo iuſtus, dum bene agit, neceſſario agit, & dum peccat, neceſſario peccat, licet hoc, aut illud eligere malum queat. Verum, ut dixi, inſtituti mei ratio non eo pertinet, ut omnia Ianſeniani ſyſtematis artificia pandam, & refellam.

§. IV.

Nonniſi ex Lutheranæ, Calvinianæ, & Ianſenianæ doctrinæ ignorantia, Thomiſtarum de libero arbitrio, & divinis auxiliis ſyſtema comparari cum Lutheri, Calvini, & Ianſenii ſyſtemate poteſt.

I. PAucis nunc ex principiis certo conſtitutis colligo quam ſit vana, & imaginaria cenſura illa quæ inuri Scholæ Thomiſticæ ſolet. Ab uno & amplius ſæculo Calviniſmum, & Ianſeniſmum obiicere recentiores plures cœperunt ſcholis SS. Auguſtini, & Thomæ in controverſiis de libero arbitrio, & auxiliis divinæ gratiæ. Continuo ac Calvini, & Ianſenii ſyſtema legi, demiratus ſum, formari ab aliquo Theologorum inter utrumque ſyſtema comparationem hanc potuiſſe.

II. Extinctam penitus libertatem electionis, & indifferentiæ in genere moris poſt Adæ culpam, docent Lutherus, Calvinus, Ianſenius. Hoc conſtituto principio, legitima conſecutione inferunt, neceſſario hominem operari ſive bonum, ſive malum. Liberum arbitrium Adami, ante peccatum, appetitiones carnales, & cupiditates omnes moderabatur imperio ſummo, & tranquillo. Peccato patrato Rex iſte e throno cecidit, periit, penituſque extinctus eſt, inquiunt Lutherus, Calvinus, & Ianſenius. Quid poſt? Confuſa, interturbata, involuta omnia. Novum ſuc-

ſucceſſit regimen, novum tyrannicum imperium *libidinum*, ut verbis Ianſenii utar, ſeu delectatio carnalis ſuperior, & victrix libertatis peremptæ. Quid heinc? Conſectarium legitimum hoc eſt. Ergo auxilium, quo Deus hominem ad operandum determinat, neceſſario illum impellit, flectit, dirigit. Deus quippe cum agentibus liberis libere, cum agentibus neceſſariis neceſſario concurrit. Auxilium quo Deus bruta regit in ordine naturali, neceſſitatem inducit, quod bruta libertate deſtituta neceſſario agant. Homines iuxta Calvinum, & Ianſenium poſt lapſum Adæ libertatem indifferentiæ in genere moris amiſerunt. Quacumque igitur gratia, ſive in ſenſu Thomiſtico, ſive in ſenſu Moliniano, ſive in ſenſu Calviniano, Deus hominem moveat, ſemper homo, libertate indifferentiæ deſtitutus, neceſſario aget.

III. Thomiſtæ, & Catholici omnes humanam indifferentiæ libertatem per peccatum originale læſam, infirmam, ſauciatam fatentur; extinctam, deperditam, amiſſam negant, & pro hæreticis habent Lutherum, Calvinum, Ianſenium, omneſque qui extinctum liberum arbitrium poſt originale crimen docent. Vivit itaque anima ornata ſua primæva libertate; ſed ægrota, imbecillis, vulnerata. Medicina indiget, ut ſanetur; lumine, ut illuſtretur; inſpiratione, ut præveniatur; auxilio, quo determinetur; rectore, quo dirigatur. Liber igitur homo eſt poſt Adæ culpam. Ergo libere a Deo prævenitur, adiuvatur, prædeterminatur. Infirma eſt libertas noſtra. Dogma de peccato originali id evincit. Si infirma, ipſa ne efficacem reddet Dei gratiam? Miror homines, clamat Auguſtinus, infirmitati ſuæ, quam firmitati divinæ promiſſionis ſe malle committere. Quid? ſubdit S. Proſper. Si immane illud peccati monſtrum noſtram non devoravit libertatem, mortem animæ infligendo; illam ne occidet Deus, eamdem ad bonum elevando, adiuvando, determinando? Hæc libertas non eſt interfecta per vulnerantem, & eripietur per medentem? Non amittunt homines ſuam indifferentiæ libertatem, cum peccando diaboli tyrannidi ſubduntur; eam vero deperdent, cum ab hoc captivitatis iugo, ſanante gratia, ſubtrahuntur? Quin eo liberior voluntas eſt, quo efficaciori gratia ſanatur; ſicuti quo validior eſt medicina, eo fortius ægroti vires inſtaurantur.

IV. Paucis nunc invicem ſyſtema conferamus. Extinctam penitus libertatem indifferentiæ per peccatum originale in genere moris docent Lutherus, Calvinus, Ianſenius. Ergo, quacumque gratia a Deo determinetur homo, libertate deſtitutus, ſemper neceſſario operatur; ſicut, quocumque auxilio moveantur bruta in ordine naturali, ſemper neceſſario agunt, quia libertate carent. Contra docent Thomiſtæ, & Catholici omnes. Vivit libertas noſtra indifferentiæ ad utrumlibet. Ergo, quocumque auxilio a Deo determinetur, libere determinatur: quia Deus cum cauſſis liberis libere concurrit. Vivit libertas iuxta Catholicos, ſed infirma, & debilis. Ergo divina gratia ſanatur, & perficitur. Toto cælo ergo differunt Tho-

Thomiſtæ a Calvino, & Ianſenio in *principio capitali* de libertate poſt peccatum Adæ penitus amiſſa iuxta illos. Differant ergo & in conſequentia neceſſum eſt. Numquam Calvinus hoc uſus fuit argumento. Deus gratia natura ſua efficaci voluntatem humanam applicat, determinat: ergo homo neceſſario agit. Sed e contrario. Homo per peccatum Adæ amiſit libertatem: ergo indiget gratia, neceſſario illum applicante.

V. Quis nunc ferat Theologos illos qui SS. Auguſtini, & Thomæ, a quibus illi deſcivere, doctrinæ Calvino-Ianſenianum errorem obtrudere audent? Imitati hi ſunt Annibalem, bellum in hoſtium regna inferentem, ut proprii regni imminentem depopulationem arceret. Sic iſti, ut adverſarios, Semipelagianiſmi cenſuram *concordiæ* noviter excogitatæ inferentes, exquiſita dexteritate eluderent, & iacenti cauſſæ propriæ conſultum irent, bellum in adverſarios regeſſere, Calviniſmi primum, poſt Ianſeniſmi ſpectrum obtrudentes. Vanum commentum, & chimæricam impoſturam celebres Thomiſtæ Lemos, Alvarez, Gonet, Gonzalez, Maſſoulie, Reginaldus, Serry, Benitez, Graveſon, aliique multi profligarunt luculentiſſimis rationum momentis, & ampla eruditione. Poſt tot celeberrimos viros, via non minus brevi, quam plana & aperta, eamdem invidioſam cenſuram propulſare, aliud agens, pretium operæ exiſtimavi. Quid? Aliquid ne novi hac in controverſia tibi aſciſcis? Tu ne etiam ex illis es qui novam in hac cauſſa hiſtoriam, & clavim arcani referandi ſe adinveniſſe gloriantur? Abſit a me inſipientiæ tantum. Lutheri, Calvini, & Ianſenii principia recenſui, quæ evidentiſſime pugnant cum principiis Thomiſtarum, & Catholicorum. Heinc neceſſario conſequuntur duo. Unum, ſcholam Thomiſticam toto cælo diſtare in controverſia de libertate a Luthero-Calviniano-Ianſeniano errore. Alterum, vanam omnino eſſe *concordiam* recenter excogitatam, qua in tuto collocari libertatem contenditur contra Lutherum & Calvinum, gratia verſatili, & ſcientia exploratrice; ac ſi hæretici iſti ideo negarent libertatem, quia gratia Dei natura ſua efficax ſit. Et tamen huic commentitio, & falſiſſimo fundamento tota ſuperſtruitur concordiæ machina: quo fundamento ſublato, neceſſario præceps corruit.

VI. Luce meridiana luculentius demonſtratum eſt, inquies, toto cælo ſyſtema Thomiſtarum, & cuiuſque catholicæ ſcholæ ab hæreſi Calvino-Ianſeniana diſtare. At non propterea oſtenſum eſt, libertatem humanam cum gratia natura ſua efficaci, & prædeterminante conciliari poſſe. Verum habet. Sed hæc controverſia ab inſtituto meo aliena eſt. Duo, quæ in hac cauſſa mihi certa ſunt, paucis perſtringo. Primum, Deum gratia intrinſecus & natura ſua efficaci voluntatem humanam determinare, certum, inconcuſſum, luculentumque ex divinis Scripturis, & perenni traditione mihi eſt. Quamobrem eadem evidentia falſum reputo, Dei gratiam verſatilem eſſe, indifferentem, & determinabilem ab humana voluntate.

Com-

Digitized by Google

Commentum inauditum iudico, quod voluntas humana, infirma, debilis, ſauciata efficacitatem præbere divinæ gratiæ valeat, quod Dei gratia uberrimam vim ſuam ab hac humana infirmitate ſuſcipiat. Alterum, eadem evidentia & firmitate mihi certum, eſt, voluntatem humanam, hac divina, & natura ſua efficaci gratia ornatam, liberrimam eſſe libertate indifferentiæ ad oppoſitum, & diſſentire, ſi velit, eidem gratiæ poſſe. Si autem quæras a me, ut modum explicem quo hæc duo una concilientur, & componantur, reſpondeo, me penitus illum ignorare. Addo quæſitum iſtud inſidiis, & aſtutia plenum eſſe, ad veritatem deludendam invectum. Cedo. Scripturarum divinarum auctoritate evinco, animam rationalem unitam eſſe humano corpori. Tu hanc veritatem negare expreſſe minime audes. Sed inſiſtis, ut modum exponam quo hæc fiat coniunctio. Et, quia hunc modum exponere ego neſcio, tu negas animam coniunctam eſſe corpori. Idem omnino in præſentia agis. Divinam gratiam, non a creatura, ſed a Deo, a quo datur, ſuam habere efficacitatem, tanta evidentia divinæ Scripturæ, Patres, & ratio evincunt, ut hanc veritatem directe inficiari vix audeas. Ideo ad abſurdum te recipis, inclamans, libertatem lædi ex talis gratiæ efficacitate: quia modum ignoras quo cum hac efficaci gratia conciliari libertas indifferentiæ poſſit. Sed adverſus te invehitur Auguſtinus inquiens: Numquid negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Negas animam corpori unitam, quia occultum unionis modum tenere nequis? Negas gratiam natura ſua efficacem, quia modum quo cum hac gratia conciliatur libertas indifferentiæ, intelligere minime vales? Quid de aliis dicam, qui diffident, altercantur, & perpetuo rixantur de vocibus quibus hæc gratia nuncupanda ſit. Alii motionem virtuoſam, alii qualitatem phyſicam voluntati impreſſam, alii inſpirationem, alii delectationem victricem, alii auxilium efficax eam vocant. Si quiſque proprio in ſenſu ſuper his nomenclaturis abundaret, dummodo duo quæ præmiſi, firma conſiſtant, nihil mali eſſet; quemadmodum quiſque modum exponere, quo anima unitur corpori, poteſt. Verum enimvero quotquot homines hæreſis notam impingunt illis qui hanc gratiam, vel delectationem, vel qualitatem phyſicam, vel inſpirationem, vel motionem appellandam exiſtimant, duo mala perpetrant. Unum, turbas commovent, diſſidia fovent, Dei Eccleſiam vexant, turbant, ſcinduntque in partes, ut propria pomæria extendant. Alterum, ignorantes, & audaces ſe produnt: quoniam improbant quod ignorant; carpunt quod neſciunt; ſcire contendunt quod ſciri nequit; & explicari petunt quod humanæ mentis aciem omnino fugit; negant veritates manifeſtas, quia comprehendere nequeunt arcana occultiſſima. Inter iſtos eminent *Turnelyani*, quos Ianſeniſmi notam Theologis catholicis inurere pro ingenio minime pudet, ut palam faciam paragrapho ſequenti adverſus *D. Honoratum Turnely* Doctorem Sorbonicum. Negabant Neſtoriani unionem hypoſta-

 ticam

ticam Verbi divini cum humanitate, quod Catholicos inter haud conſtaret, quæ ſit eiuſdem unionis natura, videlicet an modalis entitas, an relatio &c. Similiter Calviniani negantes realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia iactabundi a nobis quærunt qua ratione hæc realis præſentia fiat, an per creationem, an per adductionem localem, an per reproductionem. Hæ autem argutationes ſophiſticæ ſunt, & inſidiarum pleniſſimæ, ut Catholici omnes fatentur. More ergo iſtorum argutantur illi qui percontantur, quid ſit, & quomodo Deus efficaciter determinet voluntatem: an hoc divinum auxilium dicendum ſit qualitas phyſica, an delectatio, an inſpiratio, an motio virtuoſa. Catholico Theologo ſat eſt fateri, & docere divinæ gratiæ efficacitatem a Deo eſſe, Deum eſſe primum voluntatis noſtræ adiutorem, determinatorem, & voluntatem noſtram ſub hac efficaci gratia revera libere, & quidem libertate indifferentiæ, & activa facultate operari, diſſentire, conſentire eidem gratiæ poſſe. Qua autem hoc ratione fiat, nos latet, nec ſcire intereſt: & quocumque vocabulo hæc gratia exprimatur, perinde eſt.

§. V.

Vindicatur P. Antoninus Maſſoulie *ab impoſtura labis Ianſenianæ, quam iniuria ſumma illi impingit Doctor Sorbonicus* D. Honoratus Turnely.

I. ISTius capitis initio indicavi, me velle veris, ſinceriſque coloribus hæreticam doctrinam Lutheri, Calvini, Ianſenii adverſus libertatem repræſentare, ne a minus peritis cum ea confundantur catholicorum Theologorum ſanæ doctrinæ. Sunt enim hac tempeſtate non pauci qui utrum contra Ianſenii, Queſnellii, & aliorum errores tam ardenti ſtudio dimicent pro Eccleſia Romana, an pro domo ſua; utrum ut dogmata catholica aſſerant ab erroribus, an vero ut ſuis ſcholis vanos triumphos canant, ſuiſque adverſariis invidiam conflent extremam; non adeo perſpicue conſtat. Antequam vero ultra pergo, veniam a benigno lectore impetro, ſi in hoc & ſequenti paragrapho a via digredior. Neceſſitas innocentiæ ab impoſturis propugnandæ me ad digreſſionem cogit. Duo Ordinis mei Theologi præclariſſimi ferula unius Doctoris Sorbonici iniuſte vapulant. Nemo hactenus illos vindicavit. Quis igitur reprehendere me iure poterit, ſi occaſione data, iſtorum doctrinam iniuria ſumma denigratam ab iniuſtis cenſuris aſſerere ſtudeam?

II. P. Antoninus *Maſſoulie* O. P. Provinciæ Toloſanæ, regulari diſciplina, & ſapientum virorum copia fecundæ, alumnus, atque lumen & ornamentum, duo volumina de gratiæ divinæ auxiliis edidit Romæ anno 1693. Opus in lucem prodiit, celebris Magiſtri Generalis Antonini Cloche (cuius pro inclyta natione Gal-

lica

lica Aſſiſtens erat Maſſoulie) & plurium non modo noſtri, verum etiam aliorum ſacrorum Ordinum Theologorum ſuffragiis, & potiſſimum Cardinalis Ferrarii, non tam purpura, quam ſapientia eminentiſſimi, tunc temporis ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, auctoritate munitum, dicatumque Innocentio XII. Pontifici Maximo. Plura alia opera edidit Maſſoulie & adverſus Quietiſtas, & ad mores formandos, divinæque pietatis igniculos ſuccendendos aptiſſima, atque cæleſti unctione perfuſa. Fuit P. Maſſoulie celeberrimus ſui temporis Theologus, non ſacræ doctrinæ modo, verum etiam linguarum, præſertim Græcæ, & Hebraicæ, peritiſſimus, qui in academia Toloſana plurium annorum ſpatio cathedram theologicam moderatus eſt. De eo hæc ſcribit Iacobus Echardus Tom. II. Biblioth. Script. O. P. *Mirum, quantum in Urbe orbis chriſtiani capite claruerit, quanti habitus ab eruditis omnibus, ab univerſo Cardinalium cœtu, a ſummis Pontificibus, qui, eo vivo, clavum Eccleſiæ tenuerunt. Inquiſitor generalis Toloſanus iam agebat ab anno MDCXCIII. & Inquiſitionis Romanæ conſultor electus fuit. De quæſtionibus graviſſimis, & ad fidem ſpectantibus, nempe de Quietiſtarum, ſeu Molinoſiorum hæreſi, de Myſticorum novorum heteroclita pietate, & contemplatione, de peccato philoſophico, & præcepto amoris Dei, de cultu Sinenſium ſuperſtitioſo, Congregationes plures a ſummis Pontificibus Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI inſtitutæ ſunt: in his, ut inter Doctores ſelectos, ſuum votum ferret Maſſoulieus, voluerunt iidem.* Hæc pauca præfari volui, ut intelligant omnes, qualis ſit vir quem a Ianſeniſmi labe vindicandum ſuſcipio contra Doctorem Sorbonicum.

III. Porro de hoc inſigni viro *D. Honoratus Turnely* Doctor Sorbonicus *Tom. III. de gratia Chriſti part.* 1. *pag.* 224. *edit. Venet.* 2. hæc ſcribit. „ Atque ita in eo „ ſyſtemate Ianſenii delectatio illa ſuperior, quaſi ex mechanica lege voluntatem „ movet, ac rapit, ſive ad bonum, ſive ad malum, prout cæleſtis, vel terrena „ præponderat. *Quia* (inquit Auctor recentior Maſſoulie Tom. II. diſp. III. quæſt. „ VI. art. I. p. 209.) *hæc eſt in omni ſtatu immobilis divinæ providentiæ lex conſti-* „ *tuta, ut actio ex proportione maioris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubiiciat* „ *paſſum, & maior vis vincat minorem.* Neque id profecto mirum in ſyſtemate „ Ianſenii videri debet. “

IV. Plures legi innocentes Scriptores æmulorum calumniis gravatos; at ſimilem *Maſſoulie* neminem. Debuiſſet Doctor Sorbonicus ex duobus voluminibus in folio *P. Maſſoulie* verbum aliquod promere, quod vel remote ſaltem indicaret, voluntatem ſub delectatione victrici neceſſario, *quaſi ex lege mechanica*, moveri. Anne in allegata propoſitione iſtius mechanicæ legis ſuſpicio aliqua? An propoſitionem P. Maſſoulie negare quiſquam ratione prædictus valet? Non eſt ergo verum, Doctor Sorbonice, quod maior vis vincat minorem? Minor ne vincet maiorem? Ve-

rum

rum alia reſcribamus, quæ Doctor *Turneb* obtrudit contra P. Maſſoulie pag. 323.
„ Non eſt quod recentiores adeo venditent, & extollant auctoritatem P. Maſſou-
„ lie. Quæ enim ille docet circa gratiam ſufficientem, in qua dumtaxat abſolu-
„ tam agnoſcit ad ſuperandam oppoſitam cupiditatem potentiam, non vero rela-
„ tivam, ac viribus proportionatam, PLANE conſentiunt cum Ianſeniana, & a
„ Thomiſtica doctrina plurimum diſcordant. “

V. Quid eſt relatio, Doctor Sorbonice? Reſpectus ad alterum. Bene habet. P. Maſſoulie, te fatente, admittit gratiam ſufficientem, quæ devincendæ *oppoſitæ cupiditatis* poteſtatem habeat. Et vis iſta non eſt relativa, cum ſit ad oppoſitum? Sed perſequamur reſcribere alia quæ ibidem opponit Cenſor, qui ſic pergit.
„ *Tom. II. diſſ.* 111. *quæſt.* VI. *art.* 2. poſtquam fuſe demonſtravit (P.Maſſoulie) ex-
„ emplo rerum naturalium, hanc eſſe in omni ſtatu immobilem divinæ providen-
„ tiæ *conſtitutam* legem, ut actio &c. (reſcribit periodum ſupra relatam, & con-
„ tinuo ſic pergit) *ar.* 2. de divinæ gratiæ motione ſic loquitur P. Maſſoulie. *Si*
„ *fortior ſit divinæ gratiæ motio, ut ea motione accenſa caritas vincat, ſuperetque pra-*
„ *vam cupiditatem; tunc motio divinæ gratiæ efficax eſt. Quod ſi e contra vehe-*
„ *mentior ſit ipſa cupiditas, caſſa & inefficax redditur divina motio, aut eius vis*
„ *ita retardatur, ut, licet effectum aliquem habeat, non habet tamen perfectum, ad*
„ *quem ex divina ordinatione refertur* .... Et poſtea: *Palam eſt*, inquit, *ſuffici-*
„ *entem gratiam, quam ſchola D. Thomæ admittit, veriſſime & propriiſſime ſuffici-*
„ *entem eſſe, cum re ipſa nihil deſit, ſi vis ipſius agendi ſpectetur. Quod enim gra-*
„ *tiæ divinæ motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat, non eſt ex de-*
„ *fectu ipſius motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat. Eſt enim veriſſime ſuf-*
„ *ficiens, immo, & natura ſua efficax, nec minorem ſuo in ordine vim habet agen-*
„ *di quam habet v. g. calor in ordine phyſico, quem nemo negaverit vim habere ſuf-*
„ *ficientem. comburendi; ita ut, ſi admotum lignum ignis non comburat, id non oria-*
„ *tur ex eo quod ipſi igni deſit ſufficiens vis agendi; ſed, quod lignum, oppletum*
„ *humiditate, & aqua, impreſſioni, ſeu vi, & efficaciæ ignis obſiſtat. Atque idem*
„ *de voluntate ſentiendum eſt. Nam, ſi prava voluntas minori v. g. obſtinatione ob-*
„ *firmata eſſet, minuſque intenſus eſſet pravus ipſius habitus, quo veluti pondere a*
„ *virtute colenda retrahitur, & ad vitium impellitur; ipſa eadem divinæ gratiæ*
„ *motio, ut quatuor, voluntatem ad virtutem impelleret, atque huius conſenſum ob-*
„ *tineret .... Quod ſi ea gratiæ divinæ motio, ut quatuor, voluntatis conſenſum*
„ *non obtineat, id non oritur ex defectu ipſius motionis gratiæ divinæ, ſed ex pra-*
„ *va diſpoſitione voluntatis, quæ ob pravum habitum intenſum, v. g. ut quinque,*
„ *ipſius actionis impreſſioni, & vi ſeu efficaciæ divinæ motionis non ſubiicitur.* Ha-
„ ctenus Pater Maſſoulie. Non poterat ille verbis ſignificantioribus exprimere
„ ſententiam Sambovii, Pauli Irenæi, & aliorum, quorum teſtimonia retulimus,
„ ubi

„ ubi de poteſtate abſoluta, & relativa, quorum verba videtur exſcripſiſſe: gra-
„ tiam nempe ſufficientem abſolute quidem in ſe, & *præciſis ſubiecti diſpoſitioni-*
„ *bus* ſufficere, & ad opus perfectum ex divina voluntate antecedenti referri.
„ Nullibi vero ſignificat *P. Maſſoulie*, ſufficere relative in his circumſtantiis, ſeu
„ quatenus ardentior eſt illa concupiſcentia ..... Nemo ſane hic non recogno-
„ ſcat Ianſenianum ſyſtema, ac radicem ipſam, unde quinque propoſitiones ne-
„ ceſſario fluxu dimanant. Neque vero potuit dictus *P. Maſſoulie* invidioſum iſtud
„ doctrinæ ſuæ cum Ianſeniana conſortium declinare, niſi cenſuram apoſtolicam
„ quinque propoſitionum Ianſenii derivando in ſenſum adeo abſurdum, & a men-
„ te Ianſenii alienum, ut Ianſeniana hæreſis figmentum ac merum phantaſma
„ videri poſſit. " Hactenus D. *Honoratus Turnely* Doctor Sorbonicus.

VI. Uno vel altero verbo impingi calumnia hæreſis poteſt. Ut ea explodatur, plura communiter neceſſaria ſunt. Paucis tamen ego refellam impactam Theologo noſtro cenſuram. Ianſenianum contendit Doctor Sorbonicus P. Maſſoulie, quod doceat, *gratiam ſufficientem abſolute quidem in ſe, & præciſis ſubiecti diſpoſitionibus ſufficere; nullibi vero ſignificet ſufficere relative.* Unde colligit Doctor Sorbonicus, *P. Maſſoulie* non admittere gratiam ſufficientem relative ad actum eliciendum, ſpectatis circumſtantiis? Ex verbis quæ modo tranſcripſit ex opere P. Maſſoulie? At hæc verba, oppoſita a Cenſore, gratiam efficacem relativam, ſeu in quadam contemperatione ſitam exprimunt. An Doctor Sorbonicus confundit cum ſufficienti efficacem gratiam? Alterutrum ergo. Aut Doctor Sorbonicus Ianſeniſmi accuſat P. Maſſoulie, quia gratiæ efficacitatem in quadam congruitate, & contemperatione reponit, quæ reſpectu unius eſt efficax, inefficax vero, ſeu ſufficiens reſpectu alterius; aut quia negat veram gratiam ſufficientem, conſtituentem potentiam expeditam in actu primo ad agendum. Si primum; Ianſeniſmi damnare debet univerſam ſcholam Auguſtinianam. Nonne communiter iſtius Ordinis Theologi defendunt, eamdem numero gratiam, ſeu delectationem, ut ipſi cum S. Auguſtino aiunt, quæ in minus excæcatis & obduratis foret *efficax*, in aliis maiori obductis cæcitate inefficacem eſſe? Neque heinc derogari divinæ gratiæ efficacitati evincunt. Quandoquidem, ſi Deus delectationem ſanctam inſpirat, quæ reluctantem comprimat cupiditatem, id præſtat voluntatis ſuæ propoſito. Innumera producunt celebres iſtius ſcholæ Theologi ex S. Auguſtino teſtimonia, & rationes, quibus proprium ſyſtema confirmant. Gratia hæc medicinalis eſt, & ſanans. Quo ergo gravior eſt ægroti morbus, eo validius applicandum antidotum eſt. Quam doctrinam ut confirmet P. Maſſoulie *loc. cit.* a Cenſore Sorbonico, adducit hæc S. Thomæ in *cap.* V. *ad Rom.* verba. *Ubi abundavit peccatum*, inquit S. Paulus, *ſuperabundavit & gratia.* Subdit vero Angelicus: *Sicut enim magnitudinem morbi non ſanat niſi fortis, & efficax medicina; ita requirebatur abundans gra-*

tia

Digitized by Google

tia ad hoc ut ſanaret abundantiam deliſtorum. Quis dixerit, inquiunt, eadem gratia prævenṭos Sanctos omnes fuiſſe? Quis dixerit, non plus auxilii, ſeu ſanctæ delectationis requiri ad ſubeunda pro fidei confeſſione truculenta ſupplicia quam ad tolerandam levem aliquam iniuriam ad ſuperandam inveteratam conſuetudinem quam ad vincendam levem tentationem? Evincunt porro hoc ſuum ſyſtema toto cælo diſtare a Ianſeniano errore. Quoniam Ianſenius (& hoc omnes Theologi ante-Ianſeniani fateri debent) ſtatuit gratiæ efficacitatem in delectatione victrici, quæ deliberationem, & indifferentiam activam liberi arbitrii penitus extinctam ſupponit. Contra Auguſtiniani, & catholici Theologi omnes cum hac gratia efficaci (ſive vocetur auxilium, ſive qualitas, ſive motio, ſive ſancta delectatio) componunt indifferentiam activam liberi arbitrii. Siquidem intellectus ſub hac gratia proponit bonum hic & nunc amplectendum, ut limitatum finitumque; atque adeo cum indifferentia iudicii, veraque libertate. Diſcrepant quoque a Ianſenio circa gratiam inefficacem: quia ipſi admittunt gratiam efficacem, ſeu ſanctam delectationem, cui voluntas diſſentire poteſt; admittunt gratiam ſufficientem, cui reſiſtit, & quæ dat poteſtatem veram, propriam, & expeditam, & quidem relativam ad ſervanda omnia divina mandata.

VII. Quid ad hæc Doctor Sorbonicus? Ianſenianum ne ſyſtema eſt quod univerſa ſchola Auguſtiniana propugnat? Negabit ne, eamdem eſſe, ſi ſubſtantiam ſpectes, Auguſtinianorum, & P. Maſſoulie in citata *quæſt.* VI. doctrinam? Factum luce meridiana clarius inficiaretur. Si aſſerit, falſitatem inauditam, ut mitiſſime loquar, pronuntiat. Nam gratiam vere ſufficientem in ſenſu Thomiſtico fuſo calamo pluribus articulis exponit P. Maſſoulie, & quidem in ipſa citata *diſſert.* III. *quæſt.* I. Verum de hoc infra. Ut enim impoſturæ enormitas, qua Cenſor Sorbonicus Ianſeniana lue aſpergit P. Maſſoulie, luculentius appareat, paucis animadvertere intereſt, Patrem Maſſoulie in laudato *Tom. II. diſſert.* III, poſt explicatam communem Thomiſtarum doctrinam circa gratiam tum ſufficientem, tum efficacem, tribus prolixis quæſtionibus, nempe III. IV. *&* V. tres modos proponere, quibus declarat, in quo poſita ſit vis divinæ motionis gratiæ efficacis, & communem ſcholæ Thomiſticæ doctrinam omni argumentorum genere, & incredibili eruditione propugnat. Poſt *quæſt.* VI. explicat quartum modum, quo efficaciam divinæ gratiæ in quadam congruitate, & contemperatione conſtituit. Hunc ille modum non adoptat, ut neceſſarium ad divinæ gratiæ efficacitatem explicandam; ſed illum, tamquam probabilem, & communi captui utilem, atque veluti eruditionis cauſſa adiicit. Sic ille teſtatur *loc. cit. pag.* 226. ubi hæc ſcribit. *Ex his vero omnibus liquet, non eſſe omnino neceſſarium hunc explicandi modum, facilique negotio expediri omnia poſſe quæ in huius confirmationem afferri umquam poſſent, vel quæ inde uſurpantur ad impugnandum primum explicandi modum, quem, ut omnium fundamentum*

tum

tum initio, cui ceteri innicerentur, ſubſtravimus. Et poſt pauca addidit, *utilem eſſe, neque aſpernandum eum modum, cum plura commoda habere poſſit. Præcipuum vero quod inde reportari commodum poſſe arbitramur, illud eſt quod quam facillime argumentum diluat, quod ex D.Matth.cap.*x1. Væ tibi Corozaim *&c. deſumitur cum ſuis appendicibus. Inde enim liquido conſtat, potuiſſe Corozaitas præ Tyriis reprehendi, quia cum iiſdem auxiliis converſi fuiſſent Tyrii, quibus non erant converſi Corozaitæ. Cum enim minor eſſet Tyriorum obſtinatio, & reſiſtentia, maior vero Corozaitarum; eadem auxilia quæ maiorem Corozaitarum obſtinationem non ſuperabant, ſuperaſſent obſtinationem Tyriorum, eoſque convertiſſent, in iiſque vim omnem ſuam exeruiſſent, fuiſſentque efficacia, cum tamen in Corozaitis, obſiſtente obdurata voluntate, dumtaxat ſufficientia eſſent*. Exponit alia commoda quæ hic modus parit, quæque brevitatis cauſſa prætereo.

VIII. His conſtitutis, enormitatem Turnelyanæ calumniæ in lucem expono. Nemo poſt celeberrimum *Lemos* ſcholæ Thomiſticæ doctrinam de auxiliis divinæ gratiæ felicius, atque eruditius propugnavit, explicuit, & ab adverſariorum oppugnationibus aſſeruit quam P. Maſſoulie. Hac doctrina inſtructus & obarmatus aggreditur ſyſtema Ianſenianum, illudque ex omni parte profligat, atque labefactat, ut ex illius opere conſtat. Ad maiorem victoriæ complementum adiecit quartum peculiarem modum, quo probabiliter iudicavit, aliquid lucis addi divinæ gratiæ efficacitati. Quid heinc, Doctor Sorbonice? Preſſius nunc colloquamur. Doctrinam Thomiſticam anti-Ianſenianam eſſe aſſeris ipſe. Hac Maſſoulie inſtructus doctrina proſtravit hæreſim Ianſenianam. Quoniam vero alio peculiari argumento, quod probabile iudicavit, uſus eſt; idcirco Ianſeniſta audit? Ianſenianum ſyſtema in chimæram tranſmutavit? Ut gradatim impoſturæ gravitas appareat, finge, hunc peculiarem modum falſum eſſe. Finge affinitatem habere cum Ianſenii errore. Quid tum? Propterea ne Ianſeniſta Maſſoulie? Ad ſummum deceptus in hac parte eſt; nullo vero modo fœdus cum profligato aliunde hoſte inivit. Quot Controverſiſtæ catholici aliquo argumento vano & falſo inter plura vera utuntur adverſus hæreticos? Propterea ut ſtrenui catholicæ doctrinæ aſſertores hæretici audiunt apud Doctorem Sorbonicum? En primum, & infimum calumniæ gradum. Pergamus ultra. Quid quod modus iſte probabilis, immo probabiliſſimus eſt, quem, ut dixi, & univerſa ſchola Auguſtiniana, & doctiſſimi Thomiſtæ propugnant? En ſecundum calumniæ gradum. Accedamus ad tertium. Quid in hoc peculiari modo carpit Doctor Sorbonicus? Quod gratiæ ſufficientis in eodem P. *Maſſoulie* non meminit. Finge, non meminiſſe ibi. An gratiam ſufficientem quatuor integris articulis in ſenſu Thomiſtico non exponit, & quidem in tuo ſenſu relativo? Audi pauca verba ex cit. Tom. pag. 10. *Gratia ſufficiens equidem in actu primo ſufficit, ut voluntatem perficiat, & compleat, efficiatque* (N.B.) *proportionem potentiæ cum actu eliciendo; verum, ut reipſa actum efficiat, neceſſe eſt ut efficaci gra-*

tiæ

tia applicetur. Intellexiſtin' tertiæ calumniæ gradum? Arrige aures, ut attentius quartum, & quidem graviſſimum, ſentias. Quid quod in hac ipſa quæſtione, oppoſita a moroſo tetricoque Cenſore, non ſemel, ſed pluries *gratiæ ſufficientis* meminit? Audi quæ ſcribit quæſtione a te citata pag. 225. & ſeq. *Id enim pertinet ad ſufficientem gratiam, quæ potentiam ita complet, & perficit, ut nihil aliud præter applicationem deſit: quæ tamen applicatio, ſeu divina motio, & efficax gratia adeo neceſſario ſufficientem ſupponit, ut numquam citra miraculum applicatio conferatur, niſi antecedat ſufficiens gratia: & ex ſufficienti gratia, & diſpoſitionibus antecedentibus prius ſuperadditæ vires fuerint, quibus ea proportio* (N. B.) *cum actu eliciendo conſtituatur*. Quid quod non modo meminit, ſed lectorem altius monet, ut, ſi amplecti hunc modum velit, illum non ſeiungat a *gratia ſufficienti*? En illius verba ſub finem eiuſdem quæſtionis pag. 227. *Sed, ſi quis eum explicandi modum uſurpare velit, monitus ſit neceſſe eſt, alioſque ipſe moneat* (Audiſtin'?) *eo explicandi modo ſumi adæquate divinum auxilium, ut comprehendit SUFFICIENS, & efficax: quam obſervationem ſupra ſatis explicuimus. Ea vero cautione adhibita ſecure quiſque voluerit hunc etiam explicandi modum, ac ſine periculo poterit uſurpare*. Satin' hæc? Revera pluſquam ſatis. Quoniam non modo Cenſor Sorbonicus non monuit lectorem, ſed eum celavit, eum decepit, ei imponens, *Patrem Maſſoulie* negare in hac quæſtione gratiam ſufficientem proportionatam cum actu eliciendo. Ne nimium accuſatorem ad incitas redigam, torqueamque, ultimum addam impoſturæ gradum, non quidem gravem, ſed fere lepidum in hoc ſitum, quod modus præfatus, ut probabilis a P. Maſſoulie propugnatus, in ſpeciem favere videatur ſyſtemati Moliniano, & Congruiſtarum, ut advertit ipſe P. Maſſoulie *cit. diſſ.* 111. *quæſt.* VI. *art.* 2. ubi inquit pag. 212. *Dices igitur, videri recidere hunc explicandi modum in recentiorum ſententiam, quæ efficaciam gratiæ in congruitate reponit. Neque enim efficacem eſſe gratiam negant; ſed volunt eam efficacem eſſe, ſi voluntati congruat, ipſique contemperata ſit. Unde & adverſariis ſolemne eſt, eamdem gratiam in uno efficacem, in altero inefficacem admittere . . . . Verum reſpondeo, nec ſolum quantum latus unguis eſt, ſed multis, ut dicunt, paraſangis, & quantum cælum a terra diſtat, hunc explicandi modum a communi recentiorum ſententia remotum eſſe*. Minus tamen recedit quam alii tres modi; & idcirco minus Doctori Sorbonico Moliniano diſplicere debuiſſet. Nemo nunc non videt, quam enormis ſit impoſtura quam Cenſor Sorbonicus affingit P. Maſſoulie, de Republica litteraria optime merito.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Fallitur, & fallit D. Honoratus Turnely, *dum aſſerit* P. Maſſoulie *ad figmentum, ac merum phantaſma revocare ſyſtema Ianſenianum. In hoc abſurdum lapſum eſſe Doctorem Sorbonicum evincitur.*

I. PRimum omnium lectorem moneo, me daturum operam ut non ſolum in vindicanda veritate, & innocentia *P. Maſſoulie* aſſerenda, D. Honorato *Turnely* ſim validior, verum etiam ut in moderata, honeſtoque viro digna, ratione ſcribendi ſim longe ſuperior. Suſpectum hæreſis Ianſenianæ poſtulavit ille Patrem *Maſſoulie*, pium doctumque Theologum. Abſit ut vicem Doctori Sorbonico reddam. Quin illum celebris Theologi, probique Catholici, & de Republica litteraria optime meriti loco habeo, ſuſpicioque. Aio, non modo illum toto cælo ab hæreſi Ianſeniana prorſus diſtare; ſed de eadem etiam a ſe oppugnata victorem colo. Id ſolum contendo, atque iure meritoque evincendum aſſumo, adverſarium hunc noſtrum in exponenda Ianſeniana hæreſi adverſus libertatem deceptum, atque in illud prolapſum abſurdum eſſe quod ipſe iniuria, & quidem ſumma, doctiſſimo P. *Maſſoulie* affingit. Vindicata itaque P. *Maſſoulie* ſana doctrina, liceat & mihi unam vel alteram Turnelyani operis theſim ad ſeveriorem criticen adducere, eiuſque ſcribendi formam expendere. Sed, antequam id præſto, rurſus ob oculos reducam cenſuram latam in P. Maſſoulie. *Nemo ſane* (inquit Doctor Sorbonicus) *hic non recognoſcat Ianſenianum ſyſtema, ac radicem ipſam, unde quinque propoſitiones neceſſario fluxu dimanant. Neque vero potuit dictus P. Maſſoulie invidioſum iſtud doctrinæ ſuæ cum Ianſeniana conſortium declinare, niſi cenſuram apoſtolicam quinque propoſitionum Ianſenii derivando in ſenſum adeo abſurdum, & a mente Ianſenii alienum, ut Ianſeniana hæreſis figmentum, ac merum phantaſma videri poſſit.*

II. Sub examen iam veniat ſyſtema illud ad quod D. Honoratus *Turnely* revocat hæreſim Ianſenianam, ceu ad clavim, & radicem, ex qua quinque propoſitiones Ianſenianæ pullulant. Ut evincam, Doctorem Sorbonicum in illud abſurdum lapſum eſſe quod *P. Maſſoulie* imponit, in medium nequaquam proferam aliquam periocham, ex doctrinæ illius corpore excerptam, ne ſuſpicio oriatur detruncatam eſſe; ſed theſes ipſas promam, quas demonſtrandas proponit, & ad quas revocat ſyſtema hæreticum Ianſenianum. Hæc eſt autem prima theſis, quæ titulum paragraphi format *cit. Tom. de grat. Chriſ. quæſt.111. pag.234. edit. Ven.2.*

quam-

quamque & ego per modum tituli expono, ut omnium oculis perſpicue obverſetur, eſtque ſequens.

Delectatio ſuperior, ſeu relative victrix Ianſeniani ſyſtematis BASIS, ac FUNDAMENTUM eſt.

Hæc eſt tota & integra theſis, nullo apice dempto. Reſcribamus alteram, quæ ibidem *pag.* 235. conſtituit ſimiliter titulum alterius paragraphi, & eſt ſequens.

Quinque famoſæ propoſitiones ex delectatione ſuperiori relativa, velut a fonte, ac radice a Ianſenio derivantur.

III. Hanc theſim ſic continuo, nullo interpoſito verbo, exponit. *Cum delectatio ſuperior, ac relativa totius Ianſenianæ doctrinæ baſis, ac fundamentum ſit, neceſſe eſt Ianſenium ad eam, velut ad primum ac radicale quoddam principium, revocare quæcumque docet in ſuo grandiori volumine, cui titulus AUGUSTINUS.*

IV. Mea nunc intereſt palam facere, D. Honoratum Turnely vi harum theſium ad phantaſticum commentum, merumque figmentum revocare ſyſtema Ianſenianum, illudque confundere cum Catholicorum doctrina. Et revera an celebriores Auguſtiniani, Cardinalis Noriſius, Auguſtinus Burgenſis, Baſilius Pontius Manſo, item Macedo, Cardinalis Lauria, Iſambertus Habert, & alii, teſte Laurentio Berti viro doctiſſimo, non propugnant gratiam efficacem eſſe delectationem victricem, & quidem relativam, & gradibus veluti diſtinctam, & contemperatam delectationi carnali, ſeu concupiſcentiæ terrenæ devincendæ? Propterea ne hæretici Ianſeniani? Quid plura? An non Moliniani ipſi propugnant gratiam relativam, contemperatam malitiæ gradibus, quæque reſpectu Tyriorum eſt efficax ſeu victrix, & reſpectu Corozaitarum inefficax eſt? An toto cælo diſtant a ſyſtemate Ianſeniano ob hoc ſolum quod gratiam, non delectationem, non lumen cæleſte, non ſanctam delectationem, non divinam inſpirationem vocent? Sed hæc longius quæſita ſunt, & extrinſecus.

V. Ipſæ theſes Doctoris Sorbonici ſub criticen veniant, & ſingula verba ad examen. *Delectatio.* Hic ne latitat venenum Ianſenianum? *Superior.* Quid hic erroris? An gratia quæ Paulum, quæ omnes peccatores in Deum convertit, *ſuperior* non eſt? *Seu.* Hic ne quidquam veneni? *Relative victrix.* In cauda venenum. In his forſitan duabus ultimis vocibus tota concluditur Ianſeniana hæreſis? Negas ne gratiam dari efficacem? Abſit. Datur ergo gratia efficax? Si efficax, ergo victrix. Si victrix, ergo ſuperior. Si ſuperior, ergo relativa, quæ victam, & proſtratam delectationem terrenam reſpicit. Quid iocaris? Non in ſingulis verbis ſeiunctis, ſed in omnibus ſimul acceptis reſidet Ianſeniana hæreſis. Redeat itaque ſub oculos integra theſis. *Delectatio ſuperior, ſeu relative victrix, Ianſeniani ſyſtematis baſis, ac fundamentum eſt.* Hæc verba ergo ſimul iuncta, *Delectatio ſuperior, ſeu relative victrix*, conſtituunt radicem illam veneficam Ianſenianæ hæreſis?

ſis ? Quid eſt hæreſis Ianſeniana adverſus libertatem, de qua nunc ſermo nobis eſt ? Ad meritum, aut demeritum non requiri libertatem a neceſſitate, ſed a coactione tantum immunem. Ubi in præfatis quatuor vocibus, ſive ſeparatim, ſive coniunctim acceptis, vel leve veſtigium iſtius hæreſis ? Et tamen Doctor Sorbonicus alteram ſimilem theſim reducit in ſcenam. *Quinque famoſæ propoſitiones ex delectatione ſuperiori relativa, velut a fonte, ac radice, a Ianſenio derivantur.* Delectatio ergo ſuperior relative victrix beſtia illa immanis eſt quæ quinque propoſitionum funeſta cornua emittit ? Sed iterum inſto. Ubinam in hac theſi, ut iacet, vel minima vola hæreſis Ianſenianæ contra libertatem ? Iam demonſtravi, & quidem evidenter, niſi me meus fallat amor, omnem gratiam efficacem eſſe victricem, ſuperiorem, perhibentem relationem ad victam profligatamque concupiſcentiam, ſeu delectationem terrenam.

VI. Nec eſt quod Doctor Sorbonicus opponat, non alium ſe velle ſuæ theſis teſtem quam Ianſenium ipſum, qui *Lib. de grat. primi hominis cap.* VII. fatetur, hanc delectationem eſſe veram clavim, qua ſibi aditum aperit ad ſcripta S. Auguſtini intelligenda. Quandoquidem, dum hoc opponit, a verſutia Ianſenii ſe mirifice deceptum patefacit. Ianſenius, utpote acutus & callidus, non ſecus ac Calvinus, deprehendit reipſa ab Auguſtino gratiam Dei appellari triumphatricem, & ſanctam delectationem, divinamque inſpirationem. Et ſub hac Auguſtini larva occultare interdum ſtuduit *clavim Calvinianam* extinctæ libertatis indifferentiæ ob originale crimen, ut mox dicam. Sciat interim Cenſor noſter, non omnia quæ Ianſenius docuit, hæretica eſſe, aut hæreſim redolere.

VII. Sed, ut preſſius urgeam Doctorem Sorbonicum, cedo. Nonne quinque propoſitiones continent & clavim, & radicem, & fundamentum totius Ianſeniani ſyſtematis, & ipſam totam hæreſim Ianſenianam ? Dubio procul. Et in nulla iſtarum indicatur hæc venefica radix, *Delectatio ſuperior relative victrix ?* Quoniam radix Lutheranæ, & Calvinianæ hæreſis contra libertatem eſt extinctio libertatis in peccato originali, nonne LEO X. nonne Concilium Tridentinum hanc radicem manifeſtarunt damnando eos qui dixerint liberum arbitrium extinctum eſſe per peccatum Adami ? Et in quinque *propoſitionibus famoſis*, tanto ſtudio, tanta maturitate, tanta partium contentione ex univerſo Ianſenii volumine excerptis, nec verbum habetur iſtius *delectationis ſuperioris relative victricis*, quæ, Doctore Sorbonico iudice ſedente, eſt baſis, radix, clavis, fons, fundamentum continens univerſam hæreſim Ianſenianam ? Quid ad hæc ? Tot docti, & ſapientes viri tum in univerſa Gallia, tum Romæ, tam longo tempore, tam ſevero examine Ianſenii volumen cribrarunt, Romanæ Sedi patefecerunt totum id quod damnandum iudicarunt in hoc opere : & hanc delectationem ſuperiorem relative victricem prætериere ? Malos plantæ fructus, & lutulentos fontis rivulos manifeſtavit Ec-

cleſia, ut quid vitandum eſſet, compertum foret: & malam plantam, & veneficam radicem, & peſtiferum fontem, & clavim omnium errorum occultam reliquit? Radix in primis, & fons omnium errorum aperiendus, atque patefaciendus erat. Alterutrum ergo. Aut Eccleſia ignoravit, vel occultavit radicem Ianſenianæ hæreſis; aut turpiter aberrat Doctor Sorbonicus in manifeſtanda clavi, & radice hæreſis Ianſenianæ.

VIII. Nemo nunc non videt, Cenſorem noſtrum ad purum putumque figmentum reducere ſyſtema Ianſenianum, dum illud, tamquam fructum in radice, tamquam rivulum in fonte concludit in recenſita ſua theſi. Debuiſſet Cenſor ſeverus huic ſuæ theſi, *Delectatio ſuperior relative victrix*, adiicere aliquam ſaltem ex his particulis, *quæ extinctum ſupponit arbitrium*, *quæ excludit indifferentiam activam*, *cui humana voluntas non poteſt reſiſtere*. Quid? Hæc omnia alibi dicit. Verum habet. Quid heinc? Duo profecto, quæ oratio mea evidenter oſtendit. Primum, quod Doctor Sorbonicus implexe, perturbate, atque confuſe exponit ſyſtema Ianſenianum. Alterum, quod ad *theſim*, iuxta obvium naturalemque ſenſum innoxiam, & ab errore immunem, tamquam ad clavim, radicem, fundamentumque, revocat hæreſim Ianſenianam.

IX. Quid refert, inquies, quod afferatur, clavim hæreſis Ianſenianæ eſſe delectationem victricem, vel amiſſionem liberi arbitrii? Verbis tantum hæc duo differunt. Ita ne vero? Immo tam grave diſcrimen eſt, ut heinc bellorum tragædiæ, quæ a tanto tempore turbant Eccleſiæ pacem, proficiſcantur. Unam oculorum aciem converte in veram ſinceramque picturam quam hæreſis Ianſenianæ, damnatæ in tertia famoſa propoſitione, de qua ſola nunc mihi ſermo eſt, formavi. Ianſenius, non ſecus ac Calvinus, *quaſſatum*, *præcipitatum*, *amiſſumque* per peccatum originale liberum arbitrium docet. Hæc clavis, hæc baſis, hoc fundamentum hæreſis Calviniano-Ianſenianæ; ut ex illorum verbis, & Eccleſiæ canonibus palam feci. Ex hac venefica radice prodit delectatio illa terrena ſuperior, & relative victrix, quæ cum delectatione cæleſti pugnat. Hæ duæ delectationes mutuo certant, & ſub eiſdem humana voluntas, veluti bilanx paſſiva, duabus preſſa ponderibus, altero prævalente, altero ſuccumbente, captiva iacet, volvitur, paſſive agitur. Delectatio quæ prævalet, voluntatem, deſtitutam activa indifferentia, neceſſario impellit cum ſola *ſpontaneitate*. Et, quod hæc ſit vera, & nativa pictura hæreſis Calviniano-Ianſenianæ adverſus libertatem, præter argumenta repetita ab eorum teſtimoniis, & Eccleſiæ auctoritate, patet reipſa. Tam Lutherus, quam Calvinus, & Ianſenius libertatem electionis admittunt in Adamo ante peccatum. Hæc libertas captivam tenebat delectationem terrenam, pleniſſime dominabatur in omnes appetitiones carnales ſenſualeſque. Ut hoc auferatur regimen, & imperium, quid primum omnium requiritur? Ut e ſolio detru-

da-

datur Rex, nempe liberum arbitrium, eiuſque poteſtas activa, ſeu imperativa omnino extinguatur. Hac extincta libertate, neceſſario conſequitur, delectationem terrenam, quæ prius captiva erat, occupare ſolium, evadere dominam, neceſſario impellere voluntatem, excluſa quacumque electionis indifferentia. En veram clavim, radicem, & principium hæreſis Ianſenianæ, damnatæ in tertia propoſitione: *Ad merendum, & demerendum* &c. Error ergo, & quidem craſſiſſimus, eſt theſis Doctoris Sorbonici, conſtituentis hæreſim Ianſenianam in ſola delectatione victrici, tamquam in radice. Nam ideo delectatio victrix Ianſeniana hæreſim includit, non quia delectatio victrix, ſed quia hæc delectatio, cum ſupponat extinctam libertatem indifferentiæ, tyrannico imperio neceſſario impellit ad ſui nutum voluntatem: quia iuxta Calvinum, & Ianſenium libertas electionis, ſeu indifferentiæ activæ amiſſa eſt per peccatum: quia iuxta Calvinum, & Ianſenium neceſſitas ad unum non officit libertati quæ requiritur ad meritum, vel demeritum. Hæc perpetua doctrina Ianſenii, qui *Lib. VII. de grat. Chriſ. cap.* XIX. ſcribit: *Nulla neceſſitas actibus liberis formidanda eſt, ſed ſola vis & coactio, & neceſſitas violentiæ.*

X. Audiat nunc Cenſor Sorbonicus conſecutionem. Admiſſa hypotheſi *Calviniano-Ianſeniana*, gratia efficax Dei, quocumque ſenſu exponatur, neceſſario movet voluntatem, deſtitutam libertate indifferentiæ activæ. Voca hanc gratiam ſive delectationem victricem, ſive motionem, ſive qualitatem, ſive actionem, ſive in ſenſu Thomiſtico, ſive in ſenſu Moliniano, ſive in ſenſu Calviniano, ſive quocumque alio excogitabili nomine, ſi efficax ſit, neceſſario movet voluntatem, facta poſitione Calviniano-Ianſeniana, quod voluntas per peccatum originale amiſerit activam indifferentiam electionis. Ut itaque doctrina catholica contra hæreticum Calviniano-Ianſenianum ſyſtema in controverſia de libertate propugnetur, præmittenda eſt catholica veritas, nempe, libertatem indifferentiæ amiſſam non eſſe poſt peccatum originale. Quem primum catholicum articulum conſequitur hæc alia veritas, videlicet Deum ſua efficaci gratia cauſſas liberas libere movere, & cauſſas neceſſarias neceſſario. Modus vero quo id præſtat, arcanum eſt, quod humanam fugit intelligentiam. Quod hæc gratia efficax vocetur delectatio ſuperior, victrix, motio, auxilium, qualitas, perinde eſt. Quoniam vocum diverſitas, quando ſenſus doctrinæ catholicæ evidenter oppoſitus eſt doctrinæ hæreticæ, nullum faceſſit negotium. Nec temeritate ſane impotenti caret qui ob ſolam hanc vocum diverſitatem hæreſis notam imponere non erubeſcit.

XI. Quibus omnibus claro in lumine conſtitutis, liceat nunc mihi paullulum vocis ſonum extollere adverſus & *Turnely*, & *Turnelyanos* illos quos non pudet hæreſis Ianſenianæ labem aſpergere celeberrimis Theologis catholicis, quod una præ alia voce, uno præ alio modo uſi ſint in explicanda divinæ gratiæ effica-

citate. Ex qua ſive vocum, ſive modorum diverſitate nullum ſequitur, ut palam feci, abſurdum. Erigunt cenſores iſti tribunal, iudices ſupremi ſedent. Hos Ianſeniſtas, illos Rigoriſtas, hos catholicos, illos hæreticos ex tripode pronuntiant: & qui non *turnelyzat*, continuo *ianſenizat*. Pro certo habeo, & D. Honoratum Turnely, & Turnelyanos nonnullos bona intentione, pioque zelo has cenſuras tanta liberalitate imponere ſibi adverſantibus. Verum, ſi factum ſpectetur, cenſores iſti diſſidia, ſchiſmata, clades, tragædias parturiunt in Eccleſia funeſtiſſimas. Pro arbitrio, ut manifeſte probavi, ſibi fingunt iſti Ianſeniani ſyſtematis clavim, & ianuam. Hanc ſibi fabricatam clavim, veluti in poteſtatis iudiciariæ ſignum, Ianſeniſmi teterrimam notam quibuslibet ſibi obſiſtentibus affingunt nonnulli D. Honorati Turnely diſcipuli. Mira res! Uſquequaque graſſantur depravatiſſimæ opiniones, quæ ſinceritatem divini cultus adulterant, quæ ſuperſtitionem promovent, quæ morum integritatem corrumpunt, unde hæreſes omnes ſemper profectæ ſunt. Super his canes muti, altum ſilentium; immo declamant, & invehuntur in eos qui pro morum reformatione vocem exaltant, calamumque acuunt. Qui iuxta ſyſtema *D. Honorati Turnely* non exponit divinam gratiam, qui eam vocant delectationem victricem, licet & indifferentiam activam liberi arbitrii ſub hac ipſa gratia victrice, & diſſentiendi facultatem ſincere, & vere propugnent, Ianſeniſtæ ſunt, Calviniani ſunt. Donec tam incauta, ne dicam immoderata, denigrandi catholicorum hominum famam libido triumphabit, quid pacis, quid fauſti ominari poſſumus? Si, quæ proxime adiicit D. Honoratus *Turnely*, lector ſerio ſecum reputaverit animo, colliget, me mitiſſima eum excipere oratione. Ut enim P. *Maſſoulie*, Ianſeniana lue tinctum, accitis undique captioſis ſubſidiis evincat, audias velim quæ ſibi obiicit.

XII. Ne ullus dubitandi locus lectori ſuperſit, P. *Maſſoulie* doctrinam hæreticam eſſe, hæc ſibi opponit Doctor Sorbonicus poſt latam in eum cenſuram ſupra reſcriptam. *Nec te moveat* (inquit continuo pag. 324.) *quod dictum opus* (P. Maſſoulie) *Romæ ſub oculis ſummi Pontificis typis mandatum fuerit*. Intellexiſtin'? Non te moveat quod opus dicatum ſummo Pontifici INNOCENTIO XII. & auctoritate Magiſtri Generalis O. P. & Theologorum eiuſdem, & aliorum Ordinum, & ſapientiſſimi Cardinalis Ferrarii, tunc temporis Magiſtri ſacri Palatii, præſidio munitum ROMAE typis prodierit. Non te moveat quod hactenus per medium & amplius ſæculum nec Romæ, nec ex Italia, nec ex Germania, nec ex Hiſpania, nec ex univerſo orbe Epiſcoporum, aut Theologorum aliquis contra doctrinam P. *Maſſoulie* reclamaverit. Verum enimvero te moveat, commoveatque mirum in modum quod unicus *D. Honoratus Turnely* Doctor Sorbonicus, poſtquam, deſerta ſuæ celeberrimæ Univerſitatis antiqua doctrina in hac cauſſa, ad nova caſtra, ambigua tamen veſte, & ancipiti pede, amphibiorum more im-

mi-

migravit, in cenſorem ſupremum ſeſe erigat adverſus libros qui ROMAE eduntur, quoſque ſapientiores, eruditioreſque Theologi Romani non probant modo, ſed præconiis multis etiam efferunt, & exaltant. Hæc cenſura te commoveat. Theologorum Romanorum maturum cautumque iudicium nihil pendito. P. Maſſoulie *Romæ* ſua volumina edidit. *Ianſeniſta*. Vir Cl. P. Laurentius Berti ſuam Theologiam *Romæ* edidit. *Ianſeniſta*. Cardinalis Noriſii opera Romanorum Cenſorum iudicio ſana. *Ianſeniſta*. Quid hæc opponis? clamat iterum D. *Turnely*, qui eadem *pag.* 324. ſic perſequitur. *Nonne liber Cardinalis Sfondrati Romæ pariter editus fuit, & cum S. Pontificis Innocentii XII. commendatione, & Cardinalium plurimorum applauſu? Non tamen religioni duxere nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi Gallicani dictum librum, velut plures errores continentem, denuntiare S. Pontifici Innocentio in ſolemni epiſtola ſcripta ſeptimo calendas martii an.* 1697. Dominus *Turnely* negotium iſtud reducit in ſcenam? Inter *plures errores*, quos Archiepiſcopi, & Epiſcopi Gallicani deprehenderunt in præfato libro, numerarunt ne gratiam verſatilem, ab humana voluntate determinabilem, & ſuam efficacitatem recipientem? Erroris ne loco habet cenſor noſter, quod infirma voluntas humana efficacem reddere queat gratiam divinam? Nemo ſanæ mentis improbabit, ſed commendabit Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui ſupremo iudici Romano Pontifici denuntiant libros quos continere errores iudicant. Cur iſtos non eſt imitatus D. *Turnely?* Quid? Archiepiſcopi, & Epiſcopi Gallicani non ſunt auſi cenſuram inurere libro Cardinalis Sfondrati; ſed legitimo ſupremo iudici illum iudicandum detulerunt: & privatus unus Doctor Sorbonicus, non Epiſcopus, non Archiepiſcopus, in ſupremum cenſorem ſe erigit, & hæreticam declarat doctrinam P. Maſſoulie? Plura ſileo, & aio, opera Theologorum Romæ edita non eſſe canones indefectibiles; ſed conſtanter aſſero, libros Romæ typis editos, & conſuetis Theologorum tum generalium ſacrorum Ordinum, tum Magiſtri ſacri Palatii cenſorum ſuffragiis probatos, peculiari obſequio ſuſpiciendos, ſummoque in pretio habendos, ob hoc ſcilicet quod Romæ prodierint, & quod Romani Theologi illos probaverint. Quid? An forte Theologi Romani apoſtolicæ Sedis, cui in Congregationibus ſacris inſerviunt (ſicut reipſa inſerviit P. Maſſoulie) non magis perſpectam habent eiuſdem ſanctæ Sedis doctrinam quam D. Turnely, & nonnulli Turnelyani? Porro quod D. Turnely, eiuſque aſſeclæ nec teruncii faciant Theologos Romanos, quod in eoſdem cenſoriam virgam extendant, quod libros illorum ſuffragiis probatos hæreſeos damnent, iudicent æqui rerum æſtimatores, an hic tantus auſus ferendus ſit.

§. VII.

Breves vindiciæ P. Ioannis Baptiſtæ GONET *ab iniuſtis cenſuris D. Honorati TURNELY.*

I. P. Carolus Renatus *Billuart in præf. ad Tom. I.* prudenter aſſerit, Thomiſtas non queri, *D. Turnely* Doctorem Sorbonicum Molinæ placita amplexatum eſſe. Id miratur dumtaxat, Theologum hunc tribunal inter utramque ſcholam erexiſſe, in quo animum ab omni partium ſtudio alienum ſimulans, utriuſque partis rationum momenta in medium ſe afferre ſpondet. Quod ſane munus *infidelißime* (inquit Cl. P. Billuart) *& in graviſſimam ſcholæ noſtræ iniuriam proſecutus fuit, paſſim principia noſtra ſolidiora aut tacens, aut diſſimulans, aut contemptui, & ludibrio habens; oppoſita vero, qua parte placent, propalans, & laudans; qua parte vitio laborant, occultans, aut pigmentis obliniens.* P. Billuart opiniones aliquas, quæ mihi viſæ ſunt laxiores, refelli, ut intelligant adverſarii noſtri, me non pro domo, ſed pro veritate pugnare. Verum eadem ſinceritate opus Cl. P. Billuart in pluribus commendo, & recenſitum iudicium magnopere probo. Doctor Sorbonicus nunc univerſæ Thomiſticæ ſcholæ doctrinam ſub ementito aſpectu exhibet, nunc Theologos celebriores Dominicanos, *Maſſoulie*, *Contenſonium*, *Gonetum*, carpit, vexat, & iiſdem aut Ianſeniſmi, aut fraudis dicam impingere exquiſita arte ſtudet. Ut P. Ludovicum Molinam a nota temeritatis adverſus S. Auguſtinum afferat, perdoctum Theologum Gonetum malæ fidei arguit, quod minus ſincere P. Molinæ in S. Auguſtinum cenſuram referat. Integram P. Molinæ cenſuram reſcribere, nec apice dempto, cogor, quoniam ſuper hac D. *Turnely* litem intentat *P. Gonet*, eique fraudis notam impingit. Porro hæc eſt P. Molinæ cenſura contra S. Auguſtinum in ſua famoſa *Concordia quæſt.* XXIII. *art.* 4. *&* 5. *membr. ultim. pag.* 394. *edit. Antverp. an.* 1695. „ Nos pro noſtra tenuitate ratio„ nem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia, & „ prædeſtinatione, quam toto *art.* XIII. *quæſt.* XIV. *& art.* VI. *quæſt.* XIX. *quæſt.* XXII. „ & tota hac quæſtione tradidimus, ſequentibus principiis, ex quibus eam dedu„ ximus, quæque in variis locis tradidimus, inniti indicavimus: *Quæ ſi data, ex„ plicataque ſemper fuiſſent, forte neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque LU„ THERANI tam impudenter arbitrii noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obten„ dentes cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe:* NE„ QUE EX AUGUSTINI OPINIONE, CONCERTATIONIBUSQUE CUM „ PELAGIANIS TOT FIDELES FUISSENT TURBATI, AD PELAGIANOS„ QUE DEFECISSENT: *facileque reliquiæ illæ PELAGIANORUM in Gallia,*

„ *qua-*

„ *quarum in epiſtolis Proſperi, & Hilarii ſit mentio, fuiſſent extinctæ, ut patet ex* „ *iis in quibus homines illos cum Catholicis conveniſſe, & ab illis diſſenſiſſe eædem* „ *epiſtolæ teſtantur : concertationes denique inter Catholicos fuiſſent compoſitæ*. "
Plurima alia ſimilia habet P. Molina contra S. Auguſtinum, qui, quaſi futuri cenſoris præſcius, exclamat : *O quid perdidit qui te audire non potuit*. Lib. IV. contr. Iul. oper. imperfect. cap. cxix. *Mira ſunt quæ dicitis : nova ſunt quæ dicitis : falſa ſunt, quæ dicitis. Mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus*. Lib. III. contr. Iul. c. 111. *Quis dedignetur talem habere Doctorem ?* Lib. II. de orig. anim. An in præfata P. Molinæ cenſura in ſummum gratiæ, & libertatis Doctorem S. Auguſtinum obſequium, moderatio, & modeſtia ſplendeant, iudicent æqui rerum arbitri. S. Auguſtini doctrina de gratia, quam tot ſæculis & ante, & poſt P. Molinam ſemper magni fecit Eccleſia tota, quam ceteri poſteriores Eccleſiæ Doctores, præſertim *S. Thomas Aquinas*, obſequio ſummo venerati, & amplexati ſunt: hæc, inquam, Auguſtini doctrina fideles turbavit? In Pelagianiſmum eos detruſit? Hæc Auguſtini doctrina Pelagianiſmum peperit ? Hæc doctrina in cauſſa fuit cur in Gallia Pelagianorum reliquiæ extinctæ non fuerint ? Ex hac Auguſtini doctrina LUTHERANI anſam arripuere impudenter negandi arbitrii libertatem ? Supra oſtenſum eſt verbis Lutheri, & Calvini, atque Concilii Tridentini, & Leonis X. auctoritate, Lutherum, & Calvinum libertatem impudenter negare propter originale peccatum. Luculentum ergo eſt toto cælo aberrare hic P. Molinam. Et, ablata hac hypotheſi, quam falſo ſuppoſuit ex inſcientia ſyſtematis Lutherani, & Calviniani contra libertatem, magna ex parte corruit illius celebris *Concordia*, quæ tot celeberrimas diſcordias peperit. Si Lutherus, & Calvinus compertam habuiſſent Concordiam hanc, non aſſeruiſſent libertatem humanam extinctam fuiſſe in Adamo? Compertam, exploratamque illam habuit Ianſenius. Quid inde ? Sed hæc nunc extra chorum ſunt. Ad P. *Gonetum* accedamus.

II. D. Honoratus *Turnely* Tom. I. Edit. Ven. 1. pag. 438. hæc ſcribit contra Thomiſtas, & in primis contra P. Gonet. „ Duo reponunt Molinæ defenſores. I. Nec „ verba, nec ſenſum Molinæ in citato CONCORDIAE loco ab adverſariis, GO„ NET *in primis*, ſincere referri. Hæc ſunt verba Molinæ : *Nos pro noſtra* &c. „ Quibus verbis non de ſcientia media tantum ſermo inſtituitur, ut ſupponere vi„ detur GONETUS, ſed de tota ratione conciliandi libertatem arbitrii cum divi„ na gratia, & obſtinatione : de qua ratione (non de ſcientia media) poſt verba „ iam citata immediate ſubiungit Molina : *Quæ ſi data, explanataque ſemper fuiſ„ ſent* : GONETUS ponit *fuiſſet*, ut de ſcientia media Molina ſic putaretur locu„ tus. Eſt genuinus, & manifeſtus huius loci ſenſus : ſi ſequentia principia qua„ tuor (*inter quæ unum eſt ſcientia media*) ea ratione, & methodo ad conciliandam libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione con-

„ nexa inter ſeſe, atque diſpoſita ſemper fuiſſent, qua ratione, & ordine, ac me-„ thodo ea omnia data, explanataque iam ſunt; forte neque Pelagiana hæreſis „ &c. “ Hactenus D. Honoratus Turnely.

III. Quis inducere ſibi in animum poſſet, Doctorem Sorbonicum talia obtrudere potuiſſe, ut fraudis, ſeu minoris ſinceritatis argueret Thomiſtas univerſe, & *in primis Gonetum*? Cur ſincere GONETUS non allegavit Molinæ cenſuram contra S. Auguſtinum? Quod loco *fuiſſent* ſcripſit *fuiſſet*. Nullum aliud fraudis argumentum? Nullum. Tota ergo fraus latitat in illo ſingulari *fuiſſet* pro plurali *fuiſſent*. In reliquis omnibus ſinceriſſima eſt cenſura ſeveriſſima quam P. Molina intorſit contra S. Auguſtinum. Porro, ut a fraudis nota *P. Gonetum* vindicem, non dicam plurale *fuiſſent* mendum eſſe, cum poſſit iuxta critices regulas referri, non ad principia, ſed ad *rationem totam*; cum hæc ſit quæ totam illam periodum regit. Non dicam, peritos omnes eiuſmodi famoſæ controverſiæ nomine *ſcientiæ mediæ*, a P. Molina invectæ, intelligere, & comprehendere totum ſyſtema Molinianum, quatuor fultum principiis. Hæc prætereo. Thomiſtæ, & in primis GONETUS citatum P. Molinæ teſtimonium in medium producunt, ut evincant, P. Molinam proprio ore faſſum eſſe, novum ſyſtema ſe in materia de gratia & libero arbitrio invexiſſe, ſanctoque Eccleſiæ Doctori Auguſtino iniurioſum fuiſſe, atque incredibili contemptione eiuſdem doctrinam deſpexiſſe. Porro quid ad hanc rem attinet, ſive applicetur cenſura Moliniana ſoli ſcientiæ mediæ, ſive univerſis quatuor principiis quibus illa nititur? Audax ne cenſura eſt, ſi ſoli ſcientiæ mediæ attribuatur; modeſta vero & humilis, ſi ad quatuor principia extendatur? Quid ad hæc? Cur ergo inſinceri Thomiſtæ, & *in primis GONETUS*?

IV. Qua igitur ratione a temeritatis & audaciæ nota adverſus S. Auguſtinum vindicat Doctor Sorbonicus præfatam cenſuram? Audi. Si quatuor, inquit, principia, inter quæ unum eſt ſcientia media, ea ratione, methodo, & ordine S. Auguſtinus explanaſſet, digeſſiſſet, & coniunxiſſet ad conciliandam arbitrii libertatem cum divina gratia, & præſcientia, qua ratione, ordine, & methodo illa explicuit, digeſſitque P. Molina: quid tunc? Tunc ex doctrina S. Auguſtini neque Pelagiana hæreſis exorta, neque turbati Catholici fuiſſent, neque tot ad Pelagianos defeciſſent, neque Lutherani tam impudenter auſi eſſent arbitrii libertatem inficiari. Næ hæc modeſtiſſima cenſura? Immo quid humilius, quid obſequentius in S. Auguſtini doctrinam excogitari poterat? Aut hæc quatuor principia, quorum unum eſt ſcientia media, ignota Auguſtino fuere, aut nota. Nulla hic ad evadendum media ſcientia. Si primum; ergo Auctor Concordiæ quatuor excogitavit principia in dogmate conciliandi arbitrii libertatem cum divina gratia &c. quæ ignoravit ſacra Patrum antiquitas, & præcipue S. Auguſtinus. Ergo Auctor Concordiæ iure ſibi aſciſcit novum in hoc dogmate invexiſſe ſyſtema. Si ſecundum; ergo S. Auguſtinus

nus hebes fuit, & ignorans, qui, cum ante oculos haberet quatuor principia, quibus concordiam libertatis cum divina gratia conciliare potuiſſet, illuſtrare, digerere, interpretari illa neſcivit ea perſpicuitate, & methodo quo illa explicuit P. Molina. Immo S. Auguſtinus tam confuſe, & perturbate eadem expoſuit, ut inde recenſita abſurda profecta ſint. Quam lepida & feſtiva ſit interpretatio hæc, qua Doctor Sorbonicus nomine defenſorum Molinæ GONETUM cum Thomiſtis carpit, & fraudis accuſat, unaque Auctorem Concordiæ a contempta doctrina S. Auguſtini excuſare contendit, nemo non videt.

V. Verum, ut evidentius pateat quam infelici conatu Theologus iſte Molinianus cauſſam pro P. Molina oret, pauca ſubiicere lubet. Negat Doctor Sorbonicus, P. Molinam novum in hac controverſia ſyſtema invexiſſe; ſed ait, nova methodo quatuor principia explicaſſe. Porro, ad hoc quod attinet, falſitatis illum redarguunt celeberiores Molinæ aſſeclæ & defenſores, P. Fonſeca, P. Vaſquez, P. Granado, P. Valentinus Herice, P. Tiphanius, P. Henricus Henriquez, quorum luculentiſſima teſtimonia recenſent Thomiſtæ Gonet, Serry, Billuart. Unum & alterum ego reſcribo, quod in rem meam conferant. P. Tiphanius *Lib. de ord. prior. & poſterior. cap.* XXIV. teſtatur, *nullum alium Theologum ante Molinam, nec per ſomnium quidem, de ſcientia media cogitaſſe, nec eam ullibi vel ſuppoſuiſſe, vel adhibuiſſe ad ullam ſive Scripturæ, ſive Theologiæ ſcholaſticæ difficultatem expediendam*. P. Valentinus Herice *I. Part. tract.* 1. *diſp.* VII. *cap.* 1. *num.* 7. *&* 8. inquit. *Scientiæ mediæ patroni e noſtra Societate ſunt. Inter eos princeps Molina.... In qua ego re divinam veneror ſubmiſſe providentiam, & ſingulare ipſius beneficium in noſtræ Religionis magiſtros collatum agnoſco .... & doctiſſimos eiuſdem familiæ Scriptores ... cæleſti lumine perfuderit, hacque illuſtraverit ſcientia, qua libertas arbitrii contra Lutherum, & Calvinum, aliosque ſectarios defendi poſſit... Itaque, ut ſingulari obedientia venenum inobedientiæ, quod homines imbiberant, ſanavit Ignatius; ita hac ſcientia conditionali ſatanicum dogma contra libertatem funditus evertitur*. Minus caute, ut mea minima præfert opinio, P. Herice comparat ſcientiam mediam cum obedientia quam S. Pater Ignatius ſervandam iubet. Nam, quod hæc virtus ſplendidiſſima obediendi ſupremæ Poteſtati, auſcultandi eiuſdem oraculis & mandatis, omni captioſo effugio, & vanis interpretamentis ſublatis, ſit validiſſimum antidotum contra ſuperbiam, & appetitum dominandi, ultro fatentur omnes. Verum quod ſcientia media *ſatanicum dogma* contra libertatem evertat, ceu imaginarium commentum, reiicere docti omnes debent, qui ſyſtema Luthero-Calvinianum non ignorant. Scientia media eo ſtudia ſua collineat, ut profliget hæreſim Luthero-Calvinianam libertatis amiſſæ per peccatum originale? Huc ne pertinent ſcientiæ mediæ molimina? At nolo hæc preſſius urgere. Sat mihi eſt palam feciſſe, D. Honoratum *Turnely* in duobus, quæ probanda aſſumpſerat, evidenter de-

defeciſſe. Nam cenſuram, latam ab eo in P. Gonetum, manifeſto falſam declaravi. Vindicias P. Molinæ a novitatis, & nimii auſus nota contra S. Auguſtinum falſitatis revincunt ſapientiores Theologi Moliniani, ſicuti demonſtrant Theologi Thomiſtæ. Reponet utique ad hoc ultimum Doctor Sorbonicus, plurimos, & non minus celebres Molinæ aſſeclas iuniores pro ſe ſtare, qui a novitatis labe purgare Molinam ſtudent. Et hoc verum habet. Sed hoc reſponſo Doctor Sorbonicus, dum Charybdim declinat, incidit in Scyllam. Siquidem ille exprobrat Ianſeniſtis in citato ſuo *Tom. de grat. Chriſt.* variationem *Ianſeniſmi* pro temporum conditione. Porro, ſi ex una parte antiqui & præſtantiores Theologi, tum domeſtici, tum extranei, quos inter Cardinalis Baronius, cuius authenticam epiſtolam adverſus Concordiam dabo, Molinam inventorem novi ſyſtematis fatentur, & novitatis arguunt; ſi vero ex altera parte poſteriores diſcipuli negant, P. Molinam inventorem eſſe ſcientiæ mediæ; ſi eiuſdem mollem doctrinam de gratia divina ductili, & determinabili ab infirma libertate humana a Semipelagianiſmi cenſura defæcare ſtudent, alio invecto ſyſtemate *novi Congruiſmi*: poterunt & adverſarii opponere variationem *Moliniſmi* pro temporum opportunitate. Sed hæc aliena ſunt a meo inſtituto: quæ ideo adduxi, ut ſcholam Thomiſticam, eiuſque graves Theologos a D. Honorati Turnely Doctoris Sorbonici cenſuris vindicarem.

§. VIII.

Refellitur tertia propoſitio Ianſenii: & libertas indifferentiæ ad merendum vel demerendum, oppoſita neceſſitati, ſeu determinationi ad unum, auctoritate tum ſacræ Scripturæ, tum S. Auguſtini, cui maxime fidunt Calvinus, & Ianſenius, evincitur.

I. NIhil in ſancto Dei verbo frequentius quam hominem in ſuos actus dominari, poteſtatem habere bonum malumve eligendi, omni excluſa neceſſitate. In ipſo primo Libro *Geneſ. cap.* IV. hæc habentur. *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne, ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quid luculentius contra delectationem terrenam & carnalem Ianſenianam? Dominio Cain potiebatur in ſuam concupiſcentiam. Contra hoc ſanctum Dei oraculum effutit Ianſenius, hominem eſſe veluti mancipium ſub imperio libidinum, & carnalis concupiſcentiæ.

II. Eccleſiaſtici XV. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu*

con-

conſilii ſui. Adiecit mandata & praecepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Si quis vellet indifferentiam activam arbitrii exprimere, quae alia adhibere verba deberet? Deuteronomii xxx. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum... Teſtes invoco bodie caelum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum.* Si quis ſurdo diceret: Audi legem meam, quam tibi propono, ut valeas eam aut implere, aut reſpuere: ſi quis caeco diceret: Propono tibi videndum nigrum, & album, ut poſſis quod malueris, videre: nonne ſtultus haberetur? Qui ergo fieri poteſt ut eligat bonum potius quam malum qui ad alterutrum determinatus eſt?

III. Alia teſtimonia ex veteri teſtamento promuntur. *Numer.* xiv. haec habentur. *Amalecites, & Chananaeus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquieſcere Domino.* Ieremias Propheta cap. vii. *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.... Miſi ad vos omnes ſervos meos Prophetas... Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam, ſed induraverunt cervicem ſuam, & peius operati ſunt quam patres eorum. Et loqueris ad eos omnia verba haec, & non audient te; & vocabis eos, & non reſpondebunt tibi. Et dices ad eos: Haec eſt gens quae non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides, & ablata eſt ab ore eorum.* Rurſus cap. xxxii. *Non obedierunt voci tuae, & in lege tua non ambulaverunt. Omnia quae mandaſti eis ut facerent, non fecerunt; & evenerunt eis omnia mala haec.* Deuter. cap. xxx. *Mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum..... Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quod hodie propoſuerim in corde tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & cuſtodias mandata illius.* Propheta Iſaias cap. i. *Si volueritis, & audieritis me, bona terrae comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Item cap. v. *Quid eſt quod debui facere vineae meae, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Propheta Amos cap. v. *Quaerite bonum, & non malum, ut vivatis.*

IV. Pauca ex novo teſtamento. Matth. xix. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata... Si vis perfectus eſſe, vade, vende quae habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in caelo.* Item cap. xxiii. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* S. Paulus Apoſtolus I. Corinthior. cap. vii. *Nam qui ſtatuit in corde*

ſuo

ſuo firmus, non habens neceſſitatem, POTESTATEM *autem habens ſuæ voluntatis; & hoc indicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit*. Item Epiſt. II. ad eoſdem Corinth. cap. IX. *Unuſquiſque, prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

V. Ut ab ultimis verbis Apoſtoli initium capiam, omnem gratiam & ſufficientem, & efficacem Deus promittit; *quaſi dicat* (inquit S. Thomas in hunc locum lect. 2.) *non timeatis dare, ne indigentia gravati, pœniteat aliquando vos dediſſe: quia potens eſt Deus facere abundare omnem gratiam Spiritus ſancti, qua ſcilicet gaudeatis de bono opere quod feciſtis*. Duo hic Apoſtolus conſtituit. Primum, poteſtatem quam homo *habet ſuæ voluntatis*, faciendi, & non faciendi opus, excluſa neceſſitate, non ſolum extrinſeca, verum etiam intrinſeca. Secundum eſt, Deum omnem gratiam donare, qua voluntas poſſit legem implere.

VI. Ceterum, ne ſingulis oraculis explicandis inſiſtam, fruſtranea eſſent recenſita oracula divina, & deriſoria, niſi homo tali præditus poteſtate eſſet, qua poſſet eligere, & non eligere bonum, & reiecto bono, eligere malum. Porro iuxta Ianſenium voluntas humana delectatione victrice ſuperiore ita preſſa eſt, & neceſſario determinata ad unum, ut non habeat poteſtatem relativam ad oppoſitum Nec veritatem hanc eludere Ianſenius valet, dicendo, poſſibile eſſe hominem velle oppoſitum per Dei gratiam. Quia verſutus homo loquitur de gratia efficaci, qua abſente, voluntas captiva ſub tyrannide dominantis delectationis non poteſt velle oppoſitum. Præfata autem oracula loquuntur, non de poſſibilitate abſoluta & abſtracta, ſed de poteſtate adimplendi hic & nunc, omnibus circumſtantiis ſpectatis, divinum præceptum, aut illud tranſgrediendi. Ianſenius cavillatur cum ſuo Calvino, hæc oracula divina aut loqui de voluntate Adami innocentis, non hominis viatoris; aut de voluntate hominum viatorum, quatenus iſti flecti ad bonum, & malum poſſunt. Primum reſponſum eſt purum putumque delirium. Nam Deus alloquebatur per Prophetas ſuos Iudæos tunc viventes, & audientes, ut luculentiſſimum eſt. Alterum reſponſum continet ſincerum venenum hæreſis Ianſenii, qui libertatem conſtituit cum Calvino in immunitate a coactione, & in naturali flexibilitate, ſeu inſtabilitate voluntatis, qua fluxu ſucceſſivo ad hoc, aut illud malum volvi a dominante delectatione poteſt. Hunc errorem & Concilium Tridentinum, & Eccleſia pluribus conſtitutionibus damnavit.

VII. Ad S. Auguſtinum, liberi arbitrii, & gratiæ victricis ſtrenuum vindicem, quod attinet, iam plura dedimus ſupra illius teſtimonia contra Calvinum, excerpta ex *Lib. de gratia & libero arbitrio*. Innumera S. Doctoris teſtimonia afferunt Theologi fere omnes contra errorem *Calvino-Ianſenianum* circa libertatem. Pauca

obiter

obiter indicabo. Libro de fide contra Manichæos *cap.* x. hæc ſcribit. *Quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere; & iniquum eſſe eum damnare cui non fuit poteſtas iuſſa complere?* Libro de duabus animabus contra Manichæos cap. XII. *Dicere animas eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati reum tenere quemquam, quia non facit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ, quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate, faciunt, ideſt ſi libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur; peccatum earum tenere non poſſumus.*

VIII. S. Doctor quibuſdam in locis docet, liberum arbitrium Adamo peccante nos perdidiſſe, ut *epiſt.* CVII. ad Vitalem. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Similia habet Enchir. cap. XXX. *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit, & ipſum.* Item Lib. de perfect. iuſt. cap. IV. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate naturæ.* Non ſemper vel ipſi acutiſſimi & ſapientiſſimi Scriptores, dum aliquam veritatem exponunt, eam muniunt contra verſutos interpretes iis principiis quæ alibi fuſe explicarunt. Quodnam arbitrium nos per peccatum originale perdidiſſe aſſerit S. Auguſtinus? Illud quod in ſtatu innocentiæ poſſidebamus, immune a miſeriis, a peccato. Ita ſeipſum explicat Lib. I. contra duas epiſtolas Pelagii cap. II. *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immutabilitate iuſtitiam.*

IX. Interdum S. Auguſtinus neceſſitatis nomen uſurpat pro gravi difficultate, ut Lib. II. de perfect. iuſtit. cap. V. *Quia peccavit, ſecuta eſt peccantem peccandi dura neceſſitas.* S. Doctor Pelagianos refellit, qui propugnabant illud æquilibrium, quod aliqui etiam hodie defendunt, quibuſdam linimentis munitum, hominem nempe poſſe *pari momento ſe ad vitia, vel virtutes movere.* Quem errorem ut convellat S. Auguſtinus, vulnera, quibus ſauciatum fuit ex Adæ peccato liberum arbitrium, exponit; & miſeriarum neceſſitatem declarat, qua premitur: ſed neceſſitas hæc arbitrii indifferentiam non excludit. Sexcentis quippe in locis omnem neceſſitatem determinantem ad unum luculentiſſimis argumentis explodit. Lib. II. contra Fauſtum. *Liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicamus.* Lib. III. de libero arbitrio cap. II. ait, *animam in ignorantia, & difficultate natam, nulla tamen neceſſitate comprimi ad permanendum in eo in quo nata eſt.* Ne nimius ſim, animadvertas velim, S. Doctorem variis modis uſurpare neceſſitatis nomen, prout argumenti quod tractat, conditio fert. Cum diſputat adverſus Pelagianos, voluntatem ſub ne-

neceſſitate aſſerit, excluſa gratia ad bonum operandum, malumque vitandum neceſſaria. Verum divina gratia præventus, & roboratus homo infirmus libere, omni ſublata neceſſitate, agit. Aliquando aſſerit, neceſſe eſſe hominem operari ſecundum id quod magis allicit, & delectat; & tum de neceſſitate conſequente ſermonem habet. Si plura cupis, conſule P. *Maſſoulie* & alios Thomiſtas, qui non minus docte quam erudite omnia quæ difficultatem ingerere poſſunt, diſſolvunt.

§. IX.

Ex doctrina S. Thomæ *vera libertatis idea. Calvini, & Ianſenii ſophiſmata in anteceſſum præfocata.*

I. ANgelicus Doctor libertatis imaginem tam vividis coloribus depingit, & more ſuo tanta perſpicuitate, cum brevitate coniuncta, omnia ſive antiquorum, qui præceſſere, ſive recentiorum, qui ſubſecuti ſunt, libertatis hoſtium ſophiſmata diſſolvit, ut, eius doctrina lecta, omnes evaneſcant difficultates. *Lib. II. contr. Gentes cap.* XLVII. altius libertatis humanæ originem arceſſit, ex eiuſdem nempe immaterialitate, & intelligentia. Spiritus eſt rationalis anima. Ergo libera. Si enim ſpiritualis eſt, intelligens ſit oportet. Si intelligens, igitur libera. Quandoquidem ſpiritus, a materiali determinatione ſolutus, univerſalia percipit, meditatur; &, ſua conſultatione præmiſſa, ex uno colligit alterum. Errori obnoxius intellectus eſt; ſed hunc ſuum ipſum errorem deprehendit: ſupra ſuas reflectit cogitationes: arbiter ſedet, ut verum a falſo diſtinguat; & voluntati, a qua movetur, & applicatur, bonum, quod eligere debet, proponit. Hanc reciprocam harmoniam, & mutuam ſubiectionem melius ſinguli experimur quam explicare valeamus. Audiamus S. Thomam *Lib. cit. cap.* XLVIII. ſic ratiocinantem. *Iudicii libertate carent aliqua, vel propter hoc quod nullum habent iudicium, ſicut quæ cognitione carent, ut lapides, & plantæ; vel quia habent iudicium, a natura determinatum ad unum, ſicut irrationalia animalia. Naturali enim æſtimatione iudicat ovis lupum ſibi nocivum; & ex hoc iudicio fugit ipſum. Similiter autem in aliis. Quæcumque igitur habent iudicium de agendis non determinatum ad unum a natura, neceſſe eſt liberi arbitrii eſſe. Huiuſmodi autem ſunt omnia intellectualia. Intellectus enim apprehendit non ſolum hoc, vel illud bonum, ſed ipſum bonum commune. Unde, cum intellectus per formam apprehenſam moveat voluntatem, in omnibus autem movens, & motum oporteat eſſe proportionata, voluntas ſubſtantiæ intellectualis non erit determinata a natura niſi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur ſibi ſub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla determinatione naturali in contrarium pro-*

Digitized by Google

prohibente. Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent, ex iudicio intellectus venientem: quod eſt liberum arbitrium habere, quod definitur liberum de ratione iudicium. Conſule plura alia quæ S. Thomas habet *ibidem*, & *I. Part. quæſt.* lxxxiii. & *de verit. quæſt.* xxii. & xxiv. & inde colliges, quam ventoſi ſint iſtius temporis Metaphyſici non pauci qui antiquioribus Scholaſticis adſcribere inſcitiæ dicam non erubeſcunt.

II. Paucis expoſita libertatis humanæ idea, pergit S. Doctor ad convellendos errores quos ex antiquis renovarunt Calvinus, & Ianſenius. Aures erigant novatores, audiantque Angelicum illorum de libertate ſyſtema iam pridem perſpicue, ſolideque diruentem. Narrat ille fuiſſe quoſdam qui (non aliter ac Calvinus, & Ianſenius) libertatem conſtituebant in ſola immunitate a coactione, ſecus a neceſſitate; hancque libertatem ſufficere ad meritum, & demeritum effutiebant. Quam opinionem *hæreticam* appellat S. Doctor *quæſt.* vi. *de malo ar. unic.* his verbis. *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid agendum; non tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum; ſed ſolum id cuius principium eſt extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen voluntarii. Violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario: quia utriuſque principium eſt intra; violenti autem principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt enim numeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones: quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit. Huiuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicuius partis Philoſophiæ, dicuntur poſitiones extraneæ; ſicut nihil moveri, quod deſtruit principium ſcientiæ naturalis. Ad huiuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt.* Hæc meditentur, ſimulque erubeſcant indifferentiæ libertatis oſores.

III. Fuſo calamo principia veræ libertatis ibidem explicare pergit S. Thomas, quæ legi ab omnibus vellem. Pauca ex multis delibabo. *Forma rei naturalis eſt individuata per materiam: unde & inclinatio ipſam conſequens eſt determinata ad unum. Sed forma intellecta eſt univerſalis, ſub qua multa poſſunt comprehendi. Unde, cum actus ſint in ſingularibus, in quibus nullum eſt quod adæquet potentiam univerſalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminate ſe habens ad multa.* Hæc doctrina altius defigenda memoriæ eſt. Voluntas non aliunde neceſſitatem pati valet quam

ab obiecto. Porro, cum nullum obiectum, nulluſque actus particularis *adæquare*, ſeu explere totam voluntatis potentiam valeat, ſemper libera manet. *Sicut* (pergit Angelicus) *ſi artifex concipiat formam domus in univerſali, ſub qua comprehenduntur diverſæ figuræ domus, poteſt voluntas eius inclinari ad hoc quod faciat domum quadratam, vel rotundam, vel alterius figuræ .... Secundo conſiderandum eſt, quod potentia aliqua dupliciter movetur. Uno modo ex parte ſubiecti; alio modo ex parte obiecti. Ex parte ſubiecti quidem, ſicut viſus per immutationem diſpoſitionis organi movetur ad clarius, vel minus clare videndum. Ex parte vero obiecti, ſicut viſus nunc videt album, nunc videt nigrum. Et prima quidem immutatio pertinet ad ipſum exercitium actus, ut ſcilicet agatur, vel non agatur; aut melius, vel debilius agatur. Secunda vero immutatio pertinet ad ſpecificationem actus. Nam actus ſpecificatur per obiectum. Eſt autem conſiderandum, quod in rebus naturalibus ſpecificatio quidem actus eſt forma; ipſum autem exercitium eſt ab agente, quod cauſat ipſam motionem. Movens autem agit propter finem. Unde relinquitur quod primum principium motionis, quantum ad exercitium actus, ſit ex fine. Si autem conſideremus obiecta voluntatis, & intellectus, invenimus quod obiectum intellectus eſt primum principium in genere cauſæ formalis: eſt enim eius obiectum ens, & verum. Sed obiectum voluntatis eſt primum principium in genere cauſæ finalis: nam eius obiectum eſt bonum, ſub quo comprehenduntur omnes fines; ſicut ſub vero comprehenduntur omnes formæ apprehenſæ. Unde & ipſum bonum, inquantum eſt quædam forma apprehenſibilis, continetur ſub vero, quaſi quoddam verum; & ipſum verum, inquantum eſt finis intellectualis operationis, continetur ſub bono, ut quoddam particulare bonum. Si ergo conſideremus motum potentiarum animæ ex parte obiecti ſpecificantis actum, primum principium motionis eſt ex intellectu. Hoc enim modo bonum intellectum movet etiam voluntatem. Si autem conſideremus motum potentiarum animæ ex parte exercitii actus, ſic principium motionis eſt ex voluntate. Nam ſemper potentia ad quam pertinet finis principalis, movet ad actum potentiam ad quam pertinet id quod eſt ad finem; ſicut militaris movet frenorum factricem ad operandum. Et hoc modo voluntas & movet ſeipſam, & omnes alias potentias. Intelligo enim, quia volo: & ſimiliter utor omnibus potentiis, & habitibus, quia volo .... Sic ergo ad oſtendendum quod voluntas non ex neceſſitate movetur, oportet conſiderare motum voluntatis & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, quæ eſt ex obiecto. Quantum ergo ad exercitium actus, primo quidem manifeſtum eſt quod voluntas movetur a ſe ipſa: ſicut enim movet alias potentias, ita & ſeipſam movet. Nec propter hoc ſequitur quod voluntas ſecundum idem ſit in potentia, & in actu. Sicut enim homo ſecundum intellectum in via intentionis movet ſeipſum ad ſcientiam, inquantum ex uno noto in actu venit in aliquid ignotum, quod erat ſolum in potentia notum; ita per hoc quod homo aliquid vult in actu,*

actu, movet ſe ad volendum aliquid aliud in actu ; ſicut per hoc quod vult ſanitatem, movet ſe ad volendum ſumere potionem. Ex hoc enim quod vult ſanitatem, incipit conſiliari de his quæ conferunt ad ſanitatem ; & tandem determinato conſilio vult accipere potionem. Sic ergo voluntatem accipiendi potionem præcedit conſilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis conſiliari. Cum ergo voluntas ſe conſilio moveat; conſilium autem eſt inquiſitio quædam, non demonſtrativa, ſed ad oppoſitam viam ſe habens; non ex neceſſitate voluntas ſeipſum movet. Sed, cum voluntas non ſemper voluerit conſiliari, neceſſe eſt quod ab aliquo moveatur ad hoc quod velit conſiliari. Et ſi quidem a ſeipſa, neceſſe eſt iterum quod motum voluntatis præcedat conſilium, & conſilium præcedat actus voluntatis. Et, cum hoc in infinitum procedere non poſſit, neceſſe eſt ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis, moveatur voluntas cuiuſcumque non ſemper actu volentis ab aliquo exteriori, cuius inſtinctu voluntas velle incipiat.... Relinquitur ergo... quod id quod primo movet voluntatem, & intellectum, ſit aliquid ſupra voluntatem, & intellectum, ſcilicet Deus: qui cum omnia moveat ſecundum rationem mobilium, ut levia ſurſum, gravia deorſum, etiam voluntatem movet ſecundum eius conditionem, non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminate ſe habentem ad multa. Patet ergo quod ſi conſideretur motus voluntatis ex parte exercitii actus, non movetur ex neceſſitate. Si autem conſideretur motus voluntatis ex parte obiecti determinantis actum voluntatis ad hoc, vel illud volendum, conſiderandum eſt quod obiectum movens voluntatem eſt bonum conveniens apprehenſum. Unde, ſi aliquod bonum proponatur, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem. Plurima quæ in hoc eodem *cit. art.* habet, miſſa facio brevitatis gratia. Duas alias quæſtiones de voluntate, & libero arbitrio in eiſdem diſputatis verſat Angelicus, nempe XXII. & XXIV. *de verit.* triginta conſtantes articulis. Mirabar quod tot in locis, & tam firſo ſtilo libertatis ideam, proprietateſque enucleaverit, omniaque ſophiſmata penitus profligaverit, non ſemel, ſed pluries. Verum præſenſit ille forſitan, non pauciores futuros quam antea extiterant, libertatis oppugnatores. Idcirco omnia quæ liberum arbitrium ſpectant, exhaurire operæ pretium exiſtimavit. Et reipſa neque hæretici, neque materialiſtæ, vel athei quidquam excogitarunt adverſus libertatem quod convulſum a S. Thoma in anteceſſum non fuerit. Qui rei periculum facere velit, legat loca a me laudata, & inveniet nihil hic a me per exaggerationem dictum eſſe.

IV. Hæreticam appellat S. Thomas opinionem quæ negat ad meritum, & demeritum libertatem indifferentiæ. Quod enim ex neceſſitate eſt, tametſi ſpontaneum, deliberatione caret. Siquidem deliberatio, ut docet idem S. Doctor, circa duo verſatur, quorum quodlibet poſſit eligere, aut reprobare voluntas, quæ dominium ſupra ſuos habere actus debet. Qui autem dominio in actus ſuos

potitur, facultatem quoque habet volendi, vel nolendi eaſdem actiones proprio ſubiectas dominio. Contra, qui neceſſario quidquam agit, minime facultatem habet volendi, vel nolendi illud. Quod confirmat S. Thomas *I. Part. quæſt.* LXXXIII. *art.* 3. ubi inquit. *Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod poſſumus unum recipere alio recuſato. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione conſiderare oportet.* Et *art.* 4. ſubdit: *Liberum arbitrium . . . nihil aliud eſt quam vis electiva.* Eſſentia autem, ſeu natura electionis eſt indifferentia eligendi unum præ alio, ut repetit idem S. Thomas 1. 2. quæſt. XIII. art. 2. *Cum electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt quod electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt: & ideo in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, locum non habet.* Quæ omnia lato calamo, & immenſa eruditione, atque doctrina exponit laud. *quæſt.* XXII. *&* XXIV. *de verit.*

§. X.

Sola indifferentia contradictionis ad eſſentiam libertatis pertinet. Niſi auferatur iudicii indifferentia, voluntas amittere libertatem nequit.

I. PElagiani contendebant, ad naturam libertatis utramque indifferentiam neceſſariam eſſe, & contradictionis, & contrarietatis, quarum notiones dedi ſupra. Communis Theologorum ſententia eſt, ſolam contradictionis indifferentiam eſſentiam conſtituere libertatis. Indifferentia enim contrarietatis, ſeu *ſpecificationis*, quæ verſatur inter extrema contraria, qualia ſunt bonum, & malum, defectus libertatis eſt: quia hæc indifferentia includit poteſtatem peccandi. Poteſtas autem peccandi libertatis imperfectionem prodit, ut egregie explicat S. Thomas II. Sent. diſt. XXV. quæſt. 1. art. 1. ad 2. *Ad perfectionem liberi arbitrii non pertinet ut indeterminate ſe habeat ad bonum, vel ad malum: quia liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum eſt; cum bonum ſit obiectum voluntatis, nec in malum tendat, niſi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum; cum non ſit voluntas, aut electio niſi boni, aut apparentis boni. Et ideo ubi perfectiſſimum eſt liberum arbitrium, ibi in malum tendere non poteſt. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere poſſit: & hoc Deo convenit: bona enim quæ facit, poteſt non facere; nec tamen malum facere poteſt.* Si plurima alia cupis, conſule S. Thomam *quæſt.* XXII. *art.* 6. & *quæſt.* XXIV. *de verit.* Ratio evidens eſt. Deus eſt perfecte liber. Angeli, beati perfecta fruuntur libertate; & tamen peccare nequeunt. Nulla perfectio eſt in creaturis quæ non ſit in Deo. Ergo indifferentia ad peccandum in hominibus imperfectio, non perfe-

Digitized by Google

fectio eſt. Quare perfectior eſt libertas in Angelis ſanctis, in beatis, qui peccare nequeunt, quam in nobis, qui peccare valemus.

II. Quod ſecundo loco explicandum propoſui in hoc paragrapho, diligentiorem curam poſtulat. Quoniam ad clariorem libertatis notionem penitius deprehendendam valde conducit. Communites omnes qui libertatis notionem promunt, tria conſtituunt. I. ut voluntas ſit activa, tum ſeipſam, tum ceteras hominis facultates movens, ut cauſſa princeps. II. ut ſit indifferens ad agendum, & non agendum, ad agendum hoc, vel illud. III. ut plenum ſuarum actionum, ſive hæ elicitæ ab ea ſint, ſive imperatæ, dominium habeat. Vera hæc omnia ſunt; ſed, quia vera iſtius indifferentiæ notio, & unde dimanet, non explicatur, idcirco interminabiles, perpetuæque lites fervent. Quoniam, dum voluntas & a ſe, & a Deo ad operandum determinata, infallibiliter operatur, & fieri nequit ut non operetur, præſuppoſita libera determinatione, clamitant multi, veram libertatis notionem ignorantes, liberam non eſſe voluntatem, quia indifferens non eſt ad eliciendum reipſa actum contrarium. Ut igitur has nugas profligemus, dicimus, numquam voluntatem ſua privari libertate, niſi auferatur iudicii indifferentia. Siquidem, quamdiu conſiſtit cauſſa, tamdiu effectus, ſeu proprietates quæ eamdem neceſſario conſequuntur, exiſtant oportet. Radix autem proxima libertatis eſt iudicii indifferentia. Indifferentis vero iudicii cauſſa eſt ipſa immaterialitas, ſeu ſpiritualitas animæ; quemadmodum ſupra ex S. Thoma demonſtravi. In cuius confirmationem unum & alterum eiuſdem textum adducam ex mille quos referre poſſem. In hac 1. 2. quæſt. XVII. art. 1. ad 2. *Radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum; ſed, ſicut cauſa, eſt ratio. Ex hoc voluntas libere poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni. Et ideo Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quod eſt liberum de ratione iudicium.* Sed legas velim S. Doctorem in ſæpius laudata *quæſt.* XXIV. *de verit.* ubi quindecim articulis liberi arbitrii naturam, proprietateſque exponit. Inquit art. 2. *Si iudicium cognoſcitivæ non ſit in poteſtate alicuius, ſed ſit aliunde determinatum; nec appetitus erit in poteſtate eius; & per conſequens nec motus, vel operatio abſolute. Iudicium autem eſt in poteſtate iudicantis, ſecundum quod poteſt de ſuo iudicio iudicare. De eo enim quod eſt in noſtra poteſtate, poſſumus iudicare. Iudicare autem de iudicio ſuo eſt ſolius rationis, quæ ſuper actum ſuum reflectitur, & cognoſcit habitudines rerum de quibus iudicat, & per quas iudicat. Unde totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta.* Millies hanc doctrinam repetit Angelicus.

III. Porro, ut evidentius teneas hanc iudicii indifferentiam, ſcias oportet, eam in hoc ſitam eſſe. Ratio voluntati obiectum proponit, ut finitum limitatumque, quod æquare haud valet eiuſdem voluntatis amplitudinem. Ideo dicitur cum indifferentia propoſitum, quia reſpui a voluntate poteſt, ut bonum valde inferius

Digitized by Google

ſeipſa. Siquidem, quia bonum propoſitum limitatum eſt, ita intellectus iudicium illud proponit, ut ſimul ex adverſo, ſin expreſſe, ſaltem reipſa alia iudicia ſe ſe inſinuent; ſeu, bonum illud, quia ſcilicet finitum ſuapte natura, rationum momenta præbet, ut intellectus alia oppoſita iudicia formare poſſit. Quapropter advertit S. Thomas, reſpectu ultimi finis, ſeu beatitudinis, non reperiri libertatem ſpecificationis, quia intellectus illam proponit ut plene ſaturantem appetitum. In hac vita reſpectu beatitudinis adeſt libertas exercitii: quia hæc ab homine non videtur, valetque de ea non cogitare. Ceterum haud valet propriam reſpuere beatitudinem in communi, etiam in hac vita; quamvis, uſque dum vivit, poſſit in eo ſuam conſtituere beatitudinem in quo miſeram, & ærumnoſam vitam ducat. Libertas ergo humana circa media verſatur, quæ fini aſſequendo idonea ſunt. Et, ut dixi, Deum ipſum viatores libere amant, illumque habere odio valent; cum poſſit a ratione proponi ut quid propriis appetitionibus oppoſitum.

IV. Animadvertas inſuper velim, præter iudicium illud quod eligendum bonum cum indifferentia proponit, ulterius requiri iudicium quod practicum appellatur. In qualibet ſiquidem deliberatione quædam ſyllogiſtica ratiocinatio occurrit, ut frequenter S. Thomas docet, & *P. Ioſeph a Vita* præclare explicat. Bonum amandum eſt. Hoc bonum eſt. Ergo amandum. Secunda propoſitio in examen frequenter vocatur; &, expenſis in utramque partem rationibus, iudicium practicum decernit, tale bonum eſſe eligendum. Voluntas quippe non amplectitur bonum, niſi quatenus eſt hic & nunc determinate iudicatum ut illi conveniens opportunumque. Quapropter ipſa electio aliquid rationis participat, inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. XIII. art. 1. *In nomine electionis importatur aliquid pertinens ad rationem, ſive ad intellectum, & aliquid pertinens ad voluntatem*. Et clarius *I. Part. quæſt.* LXXXIII. *art. 3. ad* 2. docet, hoc iudicium eſſe veluti concluſionem conſultationis præcedentis. *Iudicium* (inquit) *eſt quaſi concluſio, & determinatio conſilii. Determinatur autem conſilium primo quidem per ſententiam rationis, & ſecundo per acceptationem appetitus .... Et hoc modo ipſa electio dicitur quoddam iudicium, a quo nominatur liberum arbitrium*. Nec præiudicii quidquam infertur libertati, quod poſt propoſita media, cum indifferentia eligenda, peracta conſultatione, voluntas certo eligat bonum per iudicium practicum determinatum. Quoniam libertas conſurgit ex collectione actuum, & conſultatione præcedente hoc practicum iudicium, quod infallibiliter operatio voluntatis conſequitur. Audi S. Thomam cit. quæſt. XXIV. de verit. art. 2. *Cum ad operationem noſtram tria concurrant, cognitio, appetitus, & ipſa operatio; tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem ſequitur; cum appetitus non ſit niſi boni quod ſibi per vim cognitivam proponitur. Et quod quandoque videatur appeti-*

tus

tus cognitionem non ſequi, hoc ideo eſt, quia non circa idem accipitur appetitus; & cognitionis iudicium. Eſt enim appetitus de particulari operabili; iudicium vero rationis quandoque eſt de aliquo univerſali, quod eſt quandoque contrarium appetitui; ſed iudicium de hoc particulari, operabili ut nunc, numquam poteſt eſſe contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari, quamvis ſciat in univerſali fornicationem malam eſſe, tamen iudicat ſibi ut nunc bonum eſſe fornicationis actum, & ſub ſpecie boni illum eligit. Qua de re, ſi plura aves, conſule ipſum S. Thomam 2. 2. *quæſt.* xx. *art.* 2.

V. His præmiſſis, concludit Angelicus, poſita indifferentia iudicii, neceſſario conſequi libertatem. Quandoquidem, ſi libertatis iſtius cauſſa eſt indifferentia iudicii, fieri nequit ut, poſita, & conſiſtente cauſſa iſta, non conſiſtat quoque libertatis effectus. *Unde* (inquit S. Thomas cit. quæſt. xxiv. de verit. art. 2.) *totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta. Unde ſecundum quod aliquid ſe habet ad rationem, ſic ſe habet ad liberum arbitrium. Ratio autem plene & perfecte invenitur ſolum in homine. Unde in eo ſolum liberum arbitrium plenarie invenitur.*

§. XI.

Ex parte ſolius obiecti neceſſitas proficiſcitur voluntatis. Si Deus imprimere neceſſitatem voluntati velit, iudicii indifferentiam auferat oportet. Motio, quamvis efficaciſſima, perficit, non minuit libertatem.

I. EX his quæ breviter dicta ſunt, palam eſt, non ex parte ſubiecti, ſed ab obiecto totam oriri voluntatis neceſſitatem. Plurimæ in Theologia, & qualibet ſcientia diſputationes, lites, & contentiones ardent, quod diſputantes frequenter in ipſis rerum notionibus diſſideant. Experientia didici, diverſas omnino libertatis notiones formari in ſcholis variis: & hinc interminabiles lites, perpetuæque. Plures ideam libertatis in quadam indifferentia ſubiectiva ſola ad utrumque extremum conſtituunt. Conſiderant libertatem veluti bilancem inter duo pondera, quaſi in æquilibrio ad alterutram partem: ſub quo aſpectu bruta ipſa libera dicenda forent: nam certum eſt indifferentiam ſubiectivam ad fugam, & proſecutionem in eiſdem reperiri. Quid quod in ipſis rebus ſenſu carentibus, in ipſo pariete, in ipſa tabula indifferentia ſubiectiva reperitur ad hos, vel illos colores? Perſpicue ergo, firmiterque doctrina S. Thomæ, & communiter omnium

Theologorum præ oculis habenda eſt, ut, vera libertatis notione penes omnes conſtituta, legitime inſtitui diſputatio valeat. Hanc autem libertatis notionem in ratione proponente bonum cum indifferentia modo ſupra explicato S. Thomas conſtituit. Quoties ergo diſputatur, ſit ne libera voluntas, videndum, num ratione regatur; num bonum quod appetit, & amat, propoſitum a ratione ſit cum indifferentia. Ut vero indifferenter proponatur bonum, ipſum limitatum & finitum ſit neceſſum eſt: quoniam tum æquare voluntatis amplitudinem nequit; atque adeo voluntas dominio potitur, quo ipſum reſpuere valet. Exemplis res clarior evadet. Homo in amentiam lapſus eamdem omnino indifferentiam ſubiectivam voluntatis, quam ante amentiam habebat, retinet. At, quia ratione ordinate obiecta proponente caret, libertate quoque deſtituitur. Beati a ſola infinita bonitate Dei clare viſa, atque poſſeſſa neceſſitatem recipiunt: quia immenſa illa bonitas non ſolum æquat, ſed infinite ſuperat voluntatis amplitudinem.

II. Quibus conſtitutis, quacumque motionis efficacitate Deus præveniat, & prædeterminet voluntatem, nullam imprimere neceſſitatem eidem valet, niſi iudicii indifferentiam removeat. At numquid neceſſitate Deus voluntatem aſtringere nequit? Valet ſane eidem libertatem auferre; ſed libertatis cauſſam removendo, nempe indifferentiam iudicii. Ceterum uſquedum hæc iudicii indifferentia non aufertur, illæſa conſiſtunt libertatis iura. Qui enim vult primum, velit & alterum, cum eodem neceſſario connexum, opus eſt. Iudicii porro indifferentia auferri nequit niſi per claram infiniti boni viſionem.

III. Quid itaque clamitant, auxilium quo Deus efficaciter, & immutabiliter voluntatem præmovet, ut libere velit, iudicii indifferentia præcedente, bonum, præiudicium libertati inferre? *Deus* (inquit S. Thomas quæſt. VI. de mal. art. unic. ad 3.) *movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt; ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas: ſicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur; & tamen a cauſis contingentibus proveniunt effectus contingenter, inquantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque ſecundum ſuum modum.*

IV. Invidiam conflant adverſarii vocibus quibus Thomiſtæ appellare hanc Dei motionem ſolent: eam ſiquidem vocant iſti motionem *phyſicam*, *prædeterminantem*, *prævenientem*, *motionem virtuoſam* &c. quas voces uſurpare idcirco cœperunt, ut reviviſcentes, ſicuti ipſi exiſtimarunt, Pelagianorum, & Semipelagianorum errores efficacius repellerent. Sola morali, ideſt extrinſeca tantum motione, lege nempe extrinſecus clamante & ſuadente, allici & moveri voluntatem, contendebant præfati hæretici. Contra Catholici cum Auguſtino intrinſecus voluntatem præveniri, adiuvari, & determinari contendunt. Quod vero hoc intrinſecum au-

auxilium, ipſam voluntatem immediate movens, atque determinans, *præmotio*, *prædeterminatio phyſica*, *delectatio victrix* appelletur, perinde eſt, ſi a variis philoſophandi modis præſcindas, & ſolam efficacitatem divinæ gratiæ, qua voluntas applicatur ad agendum, conſideres. Si enim concedis, voluntatem a Deo intrinſecus moveri; præmoveri quoque concedas neceſſum eſt. An negabis, ordinem in hoc movendi genere ſervandum? Concipere autem ordinem iſtum nequis, niſi definias aut Deum primum eſſe moventem, & voluntatem ſecundam; aut contra voluntatem primam eſſe motionis cauſſam, Deum vero ſecundam; aut denique Deum & voluntatem, nullo ſubordinationis ordine ſervato, ſimul concurrere ad producendum effectum. Porro, ut ab hoc ultimo membro incipiam, hoc admiſſo, duæ eſſent primæ cauſſæ, ſibi minime ſubiectæ in genere movendi, & producendi effectum. Nam quod creatura in alio eſſendi genere a Deo pendeat, aliud heinc non ſequitur, niſi quod creatura a Deo producta fuerit. Hoc vero extraneum prorſus eſt ab inſtituto noſtro. In præſens quippe ordinem cauſſarum in movendo dumtaxat diſpicimus, quærimuſque quænam hoc in genere prima ſit, Deus, aut voluntas, aut ambæ ſimul, ita ut neutra præcedat. Deum primam eſſe cauſſam in hoc movendi genere, quis iverit inficias? Primus ergo Deus voluntatem movet. Ergo præmovet. Illa enim particula *præ* non aliam ob cauſſam adiicitur, niſi ad oſtendendum Deum in movendo *præcedere*. Tum. Præmovet aut extrinſecus legem proponendo, aut intrinſecus. Nullus hic evadendi locus eſt. Si extrinſecus tantum; ergo inſtauratur Pelagiana hæreſis. Si intrinſecus; ergo non moraliter dumtaxat: ergo phyſice. Movet, inquis, Deus, quin, ſi vis, & præmovet in ſenſu explicato, quatenus eſt primus; at auxilio non determinante ad unum, ſed indifferenti, & a voluntate ipſa determinabili. Ita ne vero? Concedis ergo, voluntatem intrinſecus moveri. Ergo admittis præmotionem, quatenus Deus eſt primus motor. Admittere quoque debes hanc præmotionem eſſe phyſicam hoc in ſenſu, quatenus intrinſecus & realiter voluntatem afficiat. Totum ergo diſſidium huc recidit: determinet ne Deus intrinſecus voluntatem. Si enim determinat; ergo prædeterminât: ſicuti ſi movet; ergo præmovet. Iniuria itaque ſumma culpantur Thomiſtæ ob uſum harum vocum *prædeterminationis phyſicæ*; cum iſtæ duæ voces non aliud ſignificent quam Deum intrinſecus determinare voluntatem indifferentem ad agendum. Ceterum qua voce appellari debeat modus iſte quo Deus voluntatem prædeterminat, an dici debeat *qualitas phyſica impreſſa voluntati*, an *motio tranſiens*, an *actio ipſius Dei*, an *delectatio ſancta*, & *illuminatio cæleſtis*, quis definire valet? An de his vocibus diſputandum eſt? An vera notio modi quo Deus voluntatem movet, percipi ab humana mente poteſt? Moveri, determinari, & quidem intrinſecus, voluntatem a Deo, Scripturæ, Concilia, Patres, & luculentiſſima rationum momenta evin-

N iiij cunt'

cunt; modus vero quo id Deus præſtat, humanam fugit cognitionem. Mihi duo certa ſunt; nempe Deum gratia natura ſua efficaci voluntatem determinare, & voluntatem ſub hac gratia liberam eſſe libertate indifferentiæ.

V. Miſſo itaque vocum diſſidio, res ipſa diſcutienda eſt. At numquid huc ego celeberrimam de auxiliis divinis in humanam voluntatem controverſiam revocabo? Si id agerem, ab inſtituto meo toto cælo aberrarem. Sed ea expoſui quæ ad rectam humanæ libertatis ideam formandam conducere exiſtimavi. Non ſum neſcius, plures futuros qui nimiæ prolixitatis in explicanda libertate me ſint reprehenſuri. At meminerint cenſores iſti, hoc noſtro infelici tempore nihil frequentius in diſcrimen diſputationemve adduci quam libertatis argumentum. Ego autem non caſuiſticam, ſeu meros conſcientiæ caſus, ab hominibus excogitatos, diſcutiendos, ſed dogmata, & præcepta chriſtianæ profeſſionis exponenda ſuſcepi. Hæc obiter. E diverticulo in ſemitam regredior, & pauca adiiciam, veluti per tranſennam, ex S. Thoma, qui invictiſſimis rationibus evincit, divinum auxilium, quo Deus efficaciter voluntatem determinat, nullum inferre humanæ libertati præiudicium; ſed contra ipſam roborare, atque perficere. *Lib. III. cont. Gent. cap.* lxxxviii. adducit hæc duo Scripturæ loca, ut intrinſecam efficaciam divinæ motionis evincat. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinabit illud:* Prov. xxi. Allegat alterum ex S. Paulo ad Philip. ii. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ex quibus hoc pacto argumentatur cap. lxxxix. *Quidam vero non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præiudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates male exponere; ut ſcilicet dicerent, quod Deus cauſat in nobis velle, & perficere, inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic quod faciat nos velle HOC, vel ILLUD; ſicut Origenes exponit in III. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Ex hoc proceſſiſſe videtur opinio quorumdam qui dicebant, quod providentia non eſt de his quæ ſubſunt libero arbitrio, ſcilicet de electionibus; ſed providentia refertur ad exteriores eventus. Non enim qui eligit aliquid conſequi, vel perficere, puta ædificare, vel ditari, ſemper poterit ad hoc pervenire. Et ſic eventus noſtrarum actionum non ſubiacet libero arbitrio, ſed providentia diſponuntur.*

*Quibus quidem, auctoritatibus ſacræ Scripturæ reſiſtitur evidenter. Dicitur enim Iſa.*xxvi. Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine. *Unde non ſolum virtutem volendi a Deo habemus, ſed etiam operationem.* 2. *Præterea. Hoc ipſum quod Salomon dicit*, Quocumque voluerit, inclinabit illud, *oſtendit non ſolum divinam cauſalitatem ad potentiam voluntatis extendi, ſed etiam ad actum ipſius.* 3. *Item. Deus non ſolum dat rebus virtutem; ſed etiam nulla res poteſt propria virtute agere, niſi agat in virtute ipſius, ut ſupra oſtenſum eſt. Ergo homo non poteſt vir-*

virtute ſuæ voluntatis ſibi data uti, niſi inquantum agit in virtute Dei. Illud autem in cuius virtute agens agit, eſt cauſa non ſolum virtutis, ſed etiam actus eius: quod in artifice apparet, in cuius virtute agit inſtrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accepit, ſed ſolum ab ipſo applicatur ad actum. Deus eſt nobis cauſa, non ſolum voluntatis, ſed etiam volendi. 4. Amplius. Perfectius invenitur ordo in ſpiritualibus quam in corporalibus. In corporalibus autem omnis motus cauſatur a primo motu. Oportet igitur quod in ſpiritualibus omnis motus voluntatis a prima voluntate cauſetur, quæ eſt voluntas Dei. 5. Adhuc. Superius oſtenſum eſt quod Deus eſt cauſa omnis actionis, & operatur in omni agente: eſt igitur cauſa motuum voluntatis. 6. Item . . . Huius, quod aliquis intelligat, conſilietur, & eligat, & velit, oportet aliquid eſſe cauſam: quia omne novum oportet quod habeat aliquam cauſam. Si autem eſt cauſa eius aliud conſilium, & alia voluntas præcedens, cum non ſit procedere in his in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum. Huiuſmodi autem primum oportet eſſe aliquid quod eſt melius ratione. Nihil autem eſt melius intellectu, & ratione, niſi Deus. Eſt igitur Deus principium noſtrorum conſiliorum, & voluntatum.

VI. Quis aliquo commento eludere hanc ſancti Thomæ doctrinam valet? Docet, Dei virtutem & voluntatem movere, & eiuſdem cauſſam eſſe. Qui indifferenter ſe habet ad aliquem effectum, dicitur ne operari effectum hunc? Applicare Deum voluntatem ad agendum, quomodo artifex applicat inſtrumentum, docet Doctor ſanctus. Cur vero applicatio hæc non præiudicet libertati, ſexcentis in locis explicat. Unum referam ex 1.2. quæſt. x. art. 4. *Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundum eorum conditionem; ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas eſt activum principium, non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter movetur . . . Voluntas divina non ſolum ſe extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, ſed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur, quod ſuæ naturæ non competit, quam ſi moveretur libere, prout competit ſuæ naturæ.* Si plura alia cupis, conſule loca citata eiuſdem S. Doctoris.

C A-

C A P U T VII.

Mirabilis actuum humanorum harmonia, & ordo. Quam inepte de humanis officiis diſputent Pufendorfius, Thomaſius, Cumberlandus, Heinecius, VVolfius, *ceterique Proteſtantes.*

I. SAmuel *Pufendorfius* in ſuo de *homine & cive* tractatu officia humana exponens adeo ieiune principia proxima, quæ humana officia producunt, nempe voluntarium, liberum, libertatiſque ideam, mentis, & voluntatis reciprocam motionem explicat, ut mirum ſit, opuſculum iſtud a ſciolis magni fieri. Sed ea eſt eorum qui tumultuarie, nullaque ſervata methodo ſcientias addiſcunt, conditio, ut vix diſtinguere fucatum a genuino, verum a falſo ſciant. In opere autem *de iur. nat. & gent.* de intellectu, & voluntate, de ignorantia, de conſcientia fuſior illi ſermo; & de more falſa miſcet veris. *Cumberlandus*, ut viam latam ſibi aperiat ad mores humanos formandos, a vaſorum ſpermaticorum amplitudine, ab ingenti cerebri quantitate, a ceteris humani corporis partibus præſidia arceſſit. *Heinecius* de voluntario, de libero, de actuum tum mentis, tum voluntatis œconomia vix verba facit. *VVolfius* in Philoſophia morali immenſa propoſitionum multitudine omnia involvit.

II. Illud hic advertendum, Auctores iſtos, excepto *Thomaſio*, viro impudentiſſimo, libertatem propugnare, deſertis ducibus Luthero, Calvinoque. Ut humani generis invidiam declinarent, fateri tandem aliquando liberum eſſe hominem coacti ſunt. Si recte ſaperent, & niſi cæcitatis caligo eos abduceret, confiteri quoque deberent, Lutherum, & Calvinum nonniſi commentitiam, & ludicram prædicare potuiſſe religionem; ſi ipſis fatentibus, primum veræ religionis, humanæque ſocietatis fundamentum, humanam nempe libertatem, penitus ſuffoderunt. At, his miſſis, propoſitum exequamur.

III. Duplex in primis ordo in animæ noſtræ internis officiis diſtinguitur, intentionis nempe, & executionis. Novem comprehendit ordo iſte officia. Actio prima *finis cognitio*. Nil quippe volitum, quin ſit præcognitum. Hæc finis cognitio voluntati exhibet bonitatem, quæ ad ſui amorem invitat, & allicit. Huic primæ intellectus actioni reſpondet voluntatis actus, qui *ſimplex volitio* nuncupatur; quique primus voluntatis fructus eſt, in quem ut erumpat voluntas, impelli ab aliquo principio debet, ut ſupra ex S. Thoma demonſtravi. Omnes voluntatis actus ſunt

ſunt volitiones; ſed hæc prima, ut a poſterioribus diſtincta, *ſimplex volitio* idcirco appellatur, quia in finis complacentia ſiſtit, illumque in ſe a mediis ſeiunctum diligit; & propterea *velleitas*, ſeu actio languida, & inefficax vocatur. Virtutis pulchritudo etiam vitioſis arridet, eam abſolute ſpectatam diligunt; at dilectione torpida & infirma: quia, ut ad executionem reſpectum habet, ab eadem voluntatem avellunt. Hanc ſimplicem finis volitionem efficax eiuſdem finis *intentio* conſequitur, quæ finem mediis comparandum ſpectat, ſeu finem ſpectat, ut rationem prodit volendi media quibus obtineatur. Et quamquam actus quo media executioni demandantur, ſpecie diſtinguatur a finis intentione; nihil tamen impedit quo minus voluntas uno actu feratur in finem, & in media, quatenus in fine continentur. Quoniam tum plura ordinate, & per modum unius attinguntur, ut S. Thomas docet 1. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. his verbis: *Manifeſtum eſt ergo quod unus & idem motus voluntatis eſt quo fertur in finem, ſecundum quod eſt ratio volendi ea quæ ſunt ad finem, & in ipſa quæ ſunt ad finem.* Ceterum actus electionis mediorum abſolute diſtinctus ab intentione finis eſt.

IV. Sæpe finis intentio intellectui, attenito voluntati a nonnullis Scriptoribus attribuitur. Verum ſimiles locutiones non adeo præciſæ ſunt, nec ad Metaphyſicæ regulas exactæ; ſed promiſcue quandoque intentio pro attentione uſurpatur in communi ſermone: quoniam ſicut attentio operationes dirigit, ita intentio affectuum, & univerſæ moralis diſciplinæ œconomiam moderatur. Intentio oculus, & lucerna ſæpe nuncupatur: quia quemadmodum oculus hominum greſſus, ſic intentio voluntatis molimina, conatus, & ſtudia in ultimam humanorum actuum amuſſim dirigit, ordinatque. Ab iſtius intentionis rectitudine tota pendet morum ſanctimonia. Si iſtius intentionis oculus ſimplex & ſplendens fuerit, totum corpus lucidum erit. Hæc ſcopum definit in quem collineare conatus tuos debeas. Si hæc prava fuerit, cetera omnia, licet virtutis ſpeciem præferant, ſordent, & inquinata iacent.

V. Intentioni ſuccedit *conſilium*, ſitum in ratiocinio intellectus practici. Hic media explorat quibus obtinendus finis eſt. Illorum cum hoc convenientiam maiorem aut minorem, propinquitatem proximiorem aut remotiorem expendit, libratque. In hoc conſilio duo includuntur actus. Prior eſt *inquiſitio mediorum*, quando media incerta ſunt & dubia; poſterior *iudicium*, quo mediorum utilitas, & cum fine convenientia iudicatur. Priorem actum dirigit virtus, quæ nuncupatur *eubulia*; poſteriorem *ſyneſis*, *gnome*. Conſilium agendorum ſummopere inculcant Patres, & Scripturæ ſanctæ. *Ego ſapientia in conſilio habito, & eruditis interſum cogitationibus*, inquit Salomon *Proverb.* VIII. Et iterum cap. XXV. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reveles: ne forte inſultet tibi, cum audierit, & exprobrare non ceſſet.* Conſilium peculiare donum Dei eſt, paucis

con-

conceſſum; tametſi vix unus ſit qui illud ſibi non arroget. Duo ad conſilium neceſſaria: prudentia, quæ ſine penetratione mentis, & rerum experimento raro reperitur; affectuum puritas, ingenua benevolentia. Amicum habes ſincerum, candidum, benevolum, ſed hebetem, loquacem, nullius penetrationis. Amicitia hæc inutilis. Habes alterum perſpicacem, acutum, eruditum, ſed ſubdolum, verſutum, vaſrum: quid hinc commodi? Videbis plurimos, qui acute omnia cribrant, enucleant, media omnia in ſcenam revocant, quæ contra obſunt, diſpiciunt; ſed ita moroſi, ſuperſtitioſi, & anxii, ut nec ipſi, quid conſilii dare debeant, internoſcant; & frequentiſſime peiora ſuadent, & eligunt. Quid ergo? Nulli ne conſiliarii boni? Audi omnium hominum ſapientiſſimum Salomonem Eccleſ. VI. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille*. Heinc collige quam difficile ſit verum reperire conſiliarium. Scribit enim S. Ambroſius Lib. II. Offic. *Talis debet eſſe qui conſilium dat, ut ſeipſum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate, ut ſit eius ſermo ſalubris, atque irreprehenſibilis, conſilium utile, vita honeſta, ſententia decora.*

VI. Conſilium ſequitur *voluntatis conſenſus*, quo propoſita media approbantur, & acceptantur, quatenus utilia ſunt, & ad finis aſſecutionem idonea, & conſentanea. Actus iſte ab electione unius præ alio medio ſecernitur; quando tamen plura occurrunt media quæ ad finem conducunt, in quæ conſentire voluntas poſſit, & in eiſdem ſibi complacere propter propinquitatem cum fine. Si unicum ſit ad finem medium, tum ab electione minime diſtinguitur conſenſus. Hic te admonere iuvat, ut ſenſum a conſenſu diſtinguas. Non pauci, dum ſenſum in tentationum ſpectris experiuntur, anxii ſunt, quod non diſcernant ſenſum inter & conſenſum diſcrimen. Scite S. Bernardus hac de re loquitur de dom. inter. cap. VIII. *Locum ſuperiorem ratio ſemper obtineat. Si vero aliquem motum ad id quod non debet, vel quomodo non debet, ſenſerit; non conſentiat, ſed illi reſiſtat. Nam ſolus conſenſus reos nos facit. Tunc enim anima mori, ſicut ſcriptum eſt, dicitur, cum ipſa ratio ad peccatum per conſenſum incurvatur. Anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur.*

VII. Poſt conſilium ſuccedit *electio mediorum*, quæ eſt actus voluntatis. Præſupponit utique actum rationis diligentis, ordinantis, & mediorum cum fine utilitatem conferentis. Verum voluntas eſt quæ eligit unum præ alio medium, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XIII. *art.* 1. Et quamvis circa media verſetur, nil impedit quominus eligere finem valeat, quoties finis rationem induit medii conducentis ad alium finem ſuperiorem; ſicut principium unius ſcientiæ poteſt alterius eſſe concluſio. In lata ſignificatione dicitur voluntas eligere finem ultimum, ſecundum illud Deuter. XXVI. *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in*

in viis eius. Item Luc. x. *Optimam partem elegit ſibi Mariæ, quæ non auferetur ab ea.*

VIII. Electionem comitatur *imperium*, cuius eſt iubere mediorum executionem Omnes quos deſcripſi, actus interiores ſunt: electio ipſa intra voluntatem ſiſtit. Imperium, quod eſt actus intellectus, foras erumpit, & ceteris potentiis tum internis, tum externis executionem intimat, iubetque, ut præclare S. Thomas 1. 2. quæſt. XVII. art. 3. ad 1. *Poſt determinationem conſilii, quæ eſt iudicium rationis, voluntas eligit; & poſt electionem ratio imperat ei per quod agendum eſt quod eligitur; & tunc demum voluntas alicuius incipit uti exequendo imperium rationis: quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri; quandoque voluntas ipſius imperantis, cum aliquis imperat ſibi ipſi*. Quomodo voluntas applicet intellectum ad imperandum, & viciſſim intellectus imperet voluntati, mutuamque iſtius duplicis potentiæ ſubiectionem, & reciprocum ordinem explicat idem S. Thomas *loc. cit. art.* 1.

IX. Intimato imperio, continuo ſuccedit *uſus activus* voluntatis: qui actus ab electione diſtinguitur. Hæc media ſpectat ut futura; ille ut præſentia, & in executionem redigenda per potentias exteriores. Hoc opus, hic labor eſt. Officium iſtud omnium difficillimum. Plurimi ſunt qui recte iudicant, qui conſilia optima præbent, qui eligenda decernunt. At, cum executioni demandanda conſilia ſunt, tum omnia evaneſcunt, languent, torpeſcunt: & ſi manum operi admovent, cito ab inceptis recedunt. Quæ omnia præclare S. Bernardus explicat Lib. I. de Conſiderat. cap. 1. *Quoties vis, & incaſſum? Quoties moves, nec permoves? Quoties conaris, & non datur ultra? Eniteris, & non obtines: parturis, & non paris: tentas, & non abriperis. Ubi incipis, ibi deficis; &, dum adhuc ordiris, ſuccidunt te.* Hæc ſinguli experimur, dum pia propoſita multiplicamus, quibus ſæpe executio non reſpondet ob voluntatis noſtræ imbecillitatem.

X. Poſtremus, & nonus actus eſt *fruitio* finis. Hic actus voluntatis eſt, quæ quemadmodum finem poſſidendum concupiſcit, ſic eo obtento, & poſſeſſo fruitur. Fruitio hæc quies eſt appetitus, & delectatio de amato fine. *Venite, fruamur bonis: Sap.* 2. Duplex diſtingui fruitio ſolet. Altera imperfecta, quæ ſibi de fine ſperato, & amato complacet, ſecundum illud Rom. XIII. *Spe gaudentes*. Altera perfecta, & conſummata, quæ finis adeptionem conſequitur, & ſolum in patria habetur.

XI. En delineatam actuum humanorum picturam paucis quidem, & nimis rudi penicillo. At, ſi plura cupis, conſule laudatum S. Thomam, qui de more hæc omnia incredibili perſpicuitate, & profunditate exponit, omnes animæ receſſus penetrat, & omnia ob oculos ponit. In hac mirabili harmonia duo potiſſimum ſollicitos habere nos debent, intentio, & executio. Intentio, tametſi cognitionem,

& vo-

& volitionem finis præſupponat, nihilominus illa eſt a qua plurimum pendet ſuccedentium actionum honeſtas & ſanctitas. Hæc eſt fax quæ prælucet, quæ tenebras diſſipat, quæ, veluti ſol, aliis officiis lumen, & perfectionem communicat. Heinc eſt quod dæmon, quod præſtigiator amor noſtri omni verſutia eam fucare conantur. Quoniam ſuperbiens, aut inſolens intentio ipſa bona opera corrumpit; quemadmodum opera prava quamcumque vel ſanctiſſimam intentionem inquinant. Monitum ergo S. Bernardi *Lib. de præcep. & diſpenſat. cap. XIV.* alta ſit mente repoſitum. *Ut interior oculus vere ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam, ſi bonum quidem diligat, ſed veritatem non eligat; habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Et neſcio quemadmodum iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Volens denique ad veram diſcipulos inſtruere ſimplicitatem, magiſtra veritas,* Eſtote, *inquit,* prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Præmiſit ergo prudentiam, ſine qua neminem ſatis eſſe poſſe ſimplicem ſciret. Quomodo denique vere ſimplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut vero vera dici poteſt ſimplicitas quam ſimplex ignorat veritas? Scriptum eſt enim:* Ignorans ignorabitur. *Patet ergo laudabilem illam, & a Domino laudatam ſimplicitatem, abſque his duobus non eſſe bonis, benevolentia, atque prudentia; ut oculus videlicet cordis non ſolum pius, qui fallere nolit, ſed & cautus ſit, qui falli non poſſit.* Impenſius hanc meditari cæleſtem doctrinam vellem illos qui piis, rectiſque intentionibus plenos ſeſe iactant; ſed ſemper, aut frequenter in electionibus deficiunt. Preces Deo fundunt, ut ſimplicitatem intentionis dirigat; ſed quam illi habent, non quam Deus immittit. Orant ut Deus ſemetipſos in ſuſcepta deliberatione defigat. Reſipiſce, & dum deprehendis electionem cum veritate pugnare, intellige falſam eſſe intentionem tuam, quam ignorantiæ prætextu inepte excuſare ſtudes. Quoniam *ignorans ignorabitur*. Si lumine cæleſti perfuſa intentio tua foret, totum opus lucidum eſſet. Falſa eſt intentio. Ergo totum negotium obſcurum reputatur. Heinc quoque collige quam turpiter illi aberrant qui cum falſitate bonitatem moralem veram componunt beneficio ignorantiæ invincibilis.

Digitized by Google

CAPUT. VIII.

De actuum humanorum moralitate. Vera iſtius moralitatis notio. Error Puſendorfii, *moralitatem conſtituentis in imputativitate, caſtigatur.*

I. HActenus de voluntario, & libero, quæ ſunt fundamenta & principia efficientia actuum moralium, diſputatum eſt. Heinc conſequitur diſcutiendam nunc eſſe iſtorum actuum moralitatem. In quolibet morali actu quatuor diſtinguuntur, eſſe phyſicum ſeu naturale, voluntarium, liberum, morale. Tria prima iam explicata ſunt; quartum explicandum remanet. Ut vero facilius, & diſtinctius id præſtemus, variis quæſtiunculis rem totam diſpiciam.

II. Quæſt. I. *Sita ne eſt in libertate, aut denominatione aliqua extrinſeca, actuum humanorum moralitas?* Reſp. Communis ſententia eſt, neceſſario quidem libertatem moralitatem præcedere, tamquam eiuſdem fundamentum, & cauſſam effectricem; ſecus in eadem ſitam eſſe iſtius eſſentiam. Quod debeat præcedere, patet. Quoniam actio quæ non eſt libera, nequit moraliter bona eſſe, aut mala. Actiones quippe neceſſariæ hominum dominio non ſubiacent; atque adeo nullam præter phyſicam bonitatem habere valent. Porro quod in libertate non conſiſtat humanorum actuum moralitas, ſimiliter evidens eſt. Siquidem actus idem, invariata libertate, duplicem induere moralitatis ſpeciem poteſt. Quis occidit maritum, ut adulterium perpetret cum eiuſdem uxore, duo crimina committit eadem & unica libertate. Si in hac ſita moralitas eſſet, unicum, ſicuti unica eſt libertas, non duo peccata forent. Tandem denominatio extrinſeca quid rationis eſt. Ergo in eadem conſiſtere moralitas nequit; cum hæc quid reale ſit, nemine cogitante, actui morali inhærens, ut infra evidenter palam fiet.

III. Quæſt. II. *Moralitatis notio ſita ne eſt in ordine, & conformitate ad regulas morum?* Reſp. Adfirmat S. Thomas, & communiter graviores Theologi. Inquit enim Angelicus 1. 2. quæſt. XVIII. art. 8. *Actus humanus, qui dicitur moralis, habet ſpeciem ab obiecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio. Unde, ſi obiectum actus includat aliquid quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundum ſuam ſpeciem.* Hoc idem repetit quæſt. XIX. art. 1. ad 3. *Bonum per rationem repræſentatur voluntati, ut obiectum: & inquantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem moralem in actu voluntatis. Ratio enim principium eſt humanorum, & moralium actuum.* In hoc itaque officiorum ordine ad obiectum, morum regulis circumſcriptum, ſita eſt moralitatis eſſentia. Quæ ſint morum regulæ, mox dicam. Hic ordo, qui etiam dicitur tendentia, & habitudo

tudo, realis eſt, ſeu actus ipſe ſuapte natura conformis, aut diſſonus legi æternæ, & rationi eſt. Diſputant Theologi, num tranſcendentalis, an prædicamentalis relatio dicenda hæc ſit. Sed hæc diſputatio inter illas reiicimus quæ nullius momenti ſunt. Communiter docent eſſe relationem tranſcendentalem.

IV. Quæſt. III. *Quænam ſint morum regulæ?* Reſp. In primis duæ ſunt. Altera extrinſeca, & remota, videlicet lex æterna. Altera proxima, & intima, quæ in ipſo reſidet homine, nempe mentis ratio. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. lxxi. art. 6. *Habet autem actus humanus, quod ſit malus ex eo quod caret debita commenſuratione. Omnis autem commenſuratio cuiuſcumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua ſi divertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex: una propinqua, & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio; alia vero eſt prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei.* Hæc S. Thomæ doctrina ſuapte natura evidens eſt. Regula moralitatis firma, immobilis, omnique carens defectu ſit oportet. Porro ſicut ſolus Deus eſt primum principium ſine defectu in rerum productione; ita eſt prima regula cuiuſque moralitatis. Quam doctrinam exornat hac ſimilitudine idem S. Thomas cit. quæſt. lxxi. art. 2. ad 4. *Quidquid eſt contra rationem artificiati, eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum. Unde eiuſdem rationis eſt, quod vitium & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam. Unde Auguſtinus dicit in III. de lib. arbitrio cap.* xv. *quod a Deo habent omnes naturæ, quod naturæ ſunt: & intantum ſunt vitioſæ, inquantum ab eius, qua factæ ſunt, arte diſcedunt.*

V. Hæc æterna lex rationem noſtram dirigit, & lumen ſignatum ſuper intellectum humanum eſt quidam radius, ſive participatio eiuſdem æternæ legis. Porro lumen iſtud, ſive dictamen rectæ rationis eſt proxima & immediata operationis noſtræ regula. Hæc quippe eſt divinæ providentiæ diſpoſitio, ut ſicuti cauſſis ſecundis vim ad agendum communicat, & cum eiſdem producit effectus; ita quoque lumen ſuæ æternæ legis hominibus impertiat, quo moderari proprias valeant actiones. Lumen iſtud, univerſale reſpiciens bonum in communi, applicatur per practicum conſcientiæ dictamen ad operationes particulares, ut fuſius explicabimus in *diſſert. de conſcientia.*

VI. Quæſt. IV. *An moralitas actionum conſiſtat in imputativitate?* Reſp. Samuel Puſendorfius *Lib. I. de iure nat. & gent. cap.* v. conſtituit actionum moralitatem in *imputativitate*, inquiens §. 3. „ Formale actionis moralis conſiſtit in imputativitate, „ ut ita loquar, per quam effectus actionis voluntariæ agenti poteſt imputari.... „ Unde facile intelligitur, cauſſæ moralis, proprie ac ſtricte loquendo, formalem „ rationem in imputatione, ſed *terminaliter* ſpectata, conſiſtere. Eſt autem & hoc „ obſervandum (ſubdit §. 4.) quod formale actionis moralis, i. e. *imputativitas*,

„ ha-

„ habeat rationem formæ poſitivæ, ex qua *radicaliter* affectiones, proprietates, & „ conſecutiva eiuſdem reſultant. "

VII. Non ideo ſignavi verba, *imputativitatem*, *terminaliter*, *radicaliter*, ut locutionis barbariem *Pufendorſio* improperarem; ſed ut paullulum, occaſione data, vellicarem ſaperdas non paucos, qui, dum in Scholaſticis noſtris voces minus etiam barbaras legunt, inflatis buccis concrepant, Scholaſticorum barbariem exaggerantes. *Pufendorſii* error, & quidem craſſus, refellendus eſt; ſi tamen confutatione eget, cum ſponte ſua falſitatem prodat. Siquidem cuiuſque rei natura & eſſentia primum in ea locum tenet; & cetera conſectaria ſunt. Porro prius eſt quod actio bona, aut mala moraliter ſit, quam quod alicui imputetur ſive ad præmium, ſive ad pœnam. Cur, quæſo, ad pœnam homini imputas actionem hanc? Quia mala, quia divinæ, vel humanæ legi adverſa. Ergo prius eſt quod actio ſit conſentanea, aut diſſentanea legi, quam quod ſit homini vel ad mercedem, vel ad ſupplicium imputabilis. Verum hic *Pufendorſii* error ab alio peiori pendet, de quo infra ſermo erit. Probatum itaque manet, actionum moralitatem ſitam eſſe in conformitate ad regulas morum. Idque ex ipſis divinis Scripturis patet. Deus enim ad Cain dixit Gen. IV. *Nonne, ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Quid quod, antequam imputetur actio, gradus malitiæ, aut bonitatis expenduntur, ut maior, aut minor pœna, maius, aut minus præmium agenti deſtinetur?

CAPUT IX.

Unde actus morales ſpeciem capiant.

I. Fuſo ſermone rem hanc diſcurit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XVIII. in quindecim articulos tributa. Pauca hic delibabo. Definit *art.* 2. actiones morales ſpeciem accipere ab obiecto, inquiens: *Bonum, & malum actionis, ſicut & ceterarum rerum, attenditur ex plenitudine eſſendi, vel defectu ipſius. Primum autem quod ad plenitudinem eſſendi pertinere videtur, eſt id quod dat rei ſpeciem. Sicut autem res naturalis habet ſpeciem ex ſua forma; ita actio habet ſpeciem ex obiecto, ſicut & motus ex termino. Et ideo ſicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma, quæ dat ſpeciem ei; ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto convenienti.* Si obiectum abſolute ſpectetur, actio ſumit ab eodem bonitatem genericam. At nullum reipſa obiectum reperitur quod non ſit in aliqua ſpecie conſtitutum: idcirco ab eodem actio ſuſcipit ſuam ſpecificam bonitatem. Quodlibet obiectum ſub duplici ſpectari ratione valet, nempe phyſice, & moraliter: & idem phyſice obiectum duplicem moralitatis præbere ſpeciem poteſt. Eadem femina poteſt eſſe obiectum adulterii, vel actus coniugii, amoris, vel odii: eadem

pecunia obiectum furti, & reſtitutionis. Obiectum, & finis operis eodem recidunt, & pro eodem habentur. Finis operis, ſeu intrinſecus eleemoſynæ eſt pauperis levamen; ſimulque eſt obiectum quod præbet primam ſpeciem moralitatis. Heinc eſt quod non raro dicitur, actiones ſpeciem capere a fine, videlicet operis. Advertas tamen velim, quod, ut actio aliqua ſit æterno præmio digna, præter finem operis dirigi debet ab operante in finem ſuperiorem, nempe Deum, ut præclare docet S. Auguſtinus Lib.IV. cont. Iulian. cap.III. *Quidquid autem boni ſit ab homine, & non propter hoc ſit propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officium videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Actio, quatenus obiectum ſpectat, officium nuncupatur. Hæc officia, puta virginitas, qua Veſtales a venereis abſtinebant; ſubſidium, quod Ethnici tribuunt pauperibus, bona ſunt: at ex fine non recto mala evadunt. Et hoc compertum apud omnes eſt. Num mala evadant, quoties homo in his officiis ſiſtens, nec ad malum, nec ad bonum finem dirigit, dictum eſt in *diſſert. de carit. Lib. I.* Interim audi quæ *loc. cit.* ſubdit Auguſtinus. *Noveris, non officiis, ſed finibus diſtinguendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt; finis autem propter quem faciendum eſt.* Et paullo poſt. *Siquidem manus abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe iuſtitiæ; ſed cum quæritur, quare fiat; & reſpondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat: quomodo iam hoc factum veræ poterit eſſe iuſtitiæ, cum ſerviat avaritiæ?*

II. Actus qui ſunt indifferentes, ſpeciem capiunt a fine; ſed tum finis, tum circumſtantiæ, obiecti rationem induunt, ut optime docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XCII. art. 2. *Præcepta autem legis ſunt de actibus humanis, in quibus lex dirigit, ut ſupra dictum eſt. Sunt autem tres differentiæ humanorum actuum. Nam, ſicut ſupra dictum eſt, quidam actus ſunt boni ex genere, qui ſunt actus virtutum: & reſpectu horum ponitur legis actus præcipere, vel imperare. Præcipit autem lex omnes actus virtutum. Quidam vero ſunt actus mali ex genere, ſicut actus vitioſi; & reſpectu horum lex habet prohibere. Quidam vero ex genere ſuo ſunt actus indifferentes; & reſpectu horum lex habet permittere: & poſſunt etiam indifferentes dici omnes illi actus qui ſunt vel parum boni, vel parum mali.*

III. Primam & eſſentialem aut bonitatem, aut malitiam actiones humanæ ab obiecto ſuſcipiunt, ut dictum eſt. Præter hanc primam moralitatem, quæ naturam actionis moralis conſtituit, reperiuntur aliæ bonitates, aut malitiæ accidentales, quæ a circumſtantiis ſuam arceſſunt ſpeciem, quæ eſt præter eſſentiam actionis ab obiecto derivatam. Quæ circumſtantiæ augent eiuſdem actionis malitiam, aut bonitatem. Huiuſmodi circumſtantiæ numerantur a S. Thoma *quæſt.* VII. *art.* 3.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis perſonæ conditionem, ſeu gradum deſignat. *Quid* actionis accidentia, ſeu mo-

modum determinat. *Ubi* loci circumſtantiam prodit, puta furtum in loco ſacro perpetratum. *Quibus auxiliis*, nempe quibus inſtrumentis uſus peccator eſt in executione delicti. *Cur* actionis finem ſignificat. *Quomodo* qualitatem prodit actionis. *Quando* temporis quantitatem, aut horam exprimit.

IV. Officia humana, etiam interna, aliquam bonitatem, vel malitiam ab his ſuſcipiunt circumſtantiis, ut indicavi. Quoniam inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. XVIII. art. 3. *In rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quæ debetur eis ex forma ſubſtantiali, quæ dat ſpeciem; ſed multum ſuperadditur ex ſupervenientibus accidentibus, ſicut in homine ex figura, ex colore, & ſic de aliis; quorum ſi aliquod deſit ad decentem habitudinem, conſequitur malum. Ita etiam eſt in actione. Nam plenitudo bonitatis eius non tota conſiſtit in ſua ſpecie; ſed aliquid additur ex his quæ adveniunt tamquam accidentia quædam: & huiuſmodi ſunt circumſtantiæ debitæ. Unde ſi aliquid deſit quod requiratur ad debitas circumſtantias, erit actio mala.*

V. Ut actio aliqua bona, vel mala ſit vi circumſtantiæ, hæc aut adeſſe actui debet, aut ab eodem abeſſe. Quare carentia circumſtantiæ quæ nullo modo actioni debetur, nihil bonitatis actioni detrahit; addit tamen aliquam bonitatem, ſi ex conſilio opportune addatur. Opportune, inquam, quatenus magis ad finem conducunt. Quare, ſi nihil conferunt ad finem, nil bonitatis addunt. Quod quis hora matutina, aut meridiana impertiat eleemoſynam, nihil bonitatis addit; nec homicidium commiſſum feria tertia plus malitiæ habet quam ſi committatur feria quarta: quoniam inepte prorſus hæ circumſtantiæ ad finem ſe habent. Interdum circumſtantiæ, non tamen ſemper, naturam induunt obiecti; ut quando per ſe, & primario illas operans vult, & intendit tamquam finem.

VI. Sæpe actio humana, præter bonitatem acceptam ab obiecto, aliam induit ex fine operantis: puta, ſi quis ieiunet, ut ad meditationem, & ad opera divina promptius peragenda ſe præparet; ieiunium iſtud habet ſuam bonitatem ex obiecto, & ſimul aliam ex fine in quem dirigitur ab operante. Si actus exterior per ſe ordinatur ad finem; tum finis eſt qui determinat bonitatem quæ eſt ex obiecto. Si finis diſparatus ſit, & ex ſolo operantis arbitrio ordinetur obiectum ad talem finem; tum actus moralis duplicem habet vel bonitatem, vel malitiam, inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. XVIII. art. 7. *Obiectum exterioris actus dupliciter poteſt ſe habere ad finem voluntatis. Uno modo, ſicut per ſe ordinatum ad ipſum; ſicut bene pugnare per ſe ordinatur ad victoriam. Alio modo per accidens; ſicut accipere rem alienam per accidens ordinatur ad dandum eleemoſynam. Oportet autem . . . quod differentiæ dividentes aliquod genus, & conſtituentes ſpeciem illius generis, per ſe dividant illud. Si autem per accidens, non recte procedit diviſio . . . Sic igitur, quando obiectum non eſt per ſe ordinatum ad finem, differen-*

 tia

tia ſpecifica, quæ eſt ex obiecto, non eſt per ſe determinativa eius quæ eſt ex fine; nec e converſo. Unde una iſtarum ſpecierum non eſt ſub alia; ſed tunc actus moralis eſt ſub duabus ſpeciebus, quaſi diſparatis. Unde dicimus, quod ille qui furatur, ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu. Si vero obiectum per ſe ordinetur ad finem, una dictarum differentiarum eſt per ſe determinativa alterius: unde una iſtarum ſpecierum continebitur ſub altera. Si plura aves, conſule ipſum S. Thomam, qui in argumentorum ſolutione, quæcumque opponi poſſunt, diſpellit.

VII. Idem actus voluntatis ſucceſſive poteſt eſſe bonus, & malus; ut, dum quis incipit comedere carnes ante mediam noctem, & comeſturam continuat poſt illud tempus, quando urgere incipit præceptum vetans talium ciborum uſum. Idem vero actus eodem tempore nequit eſſe malus ex obiecto, & bonus ex fine: ſi quis enim furetur, ut det eleemoſynam, furtum illud ſemper malum eſt, nec honeſtari a fine bono poteſt. Malitia namque, quæ eſt ex obiecto, utpote eſſentialis, ineptum actum reddit ad ſuſcipiendam bonitatem ex fine.

CAPUT X.

Qua fieri ratione poteſt ut ſæpe ſint bona mixta malis, & mala mixta bonis?

I. IMpeditam quæſtionem, quam in utramque diſputant partem Theologi etiam noſtrates, diſpiciendam aggredimur. Si id promere quod ſentio, licet, utraque pars minus perſpicue difficultatem dirimit. Quæ penes omnes certa ſunt, delibanda. Idem exterius officium eleemoſynæ, a duobus principiis proficiſcens, bonitatem, & malitiam induere poteſt: quia tum duplicis actionis obiectum eſt. Bona intentione imperatur a domino: illam perverſa exequitur ſervus. Sancta fuit Chriſti paſſio, ut volita a Chriſto; ſacrilega, ut a Iudæis peracta.

II. Idem ſimiliter actus phyſicus, qui duo obiecta diſparata reſpiciat, bonitatem ex uno, malitiam ex altero ſuſcipere valet; ut, dum quis dat eleemoſynam Petro propter Dei gloriam, & Paulo propter inanem gloriam: licet enim idem actus phyſicus ſit, moraliter tamen duplex eſt, & quid ſucceſſionis habet.

III. Huc difficultas recidit, num idem phyſicus actus, ex obiecto bonus, ſed ob finem pravum volitus, retineat bonitatem ex obiecto, & pravitatem ex fine. Henricus a S. Ignatio *Lib. III. cap.* XII. docet, unum eumdemque phyſice actum internum reſpectu eiuſdem obiecti, diverſis intentionibus imperatum, quarum una bona, altera mala ſit, quæque diſparate, & concomitanter ſe habeat ad priorem, bonum ſimul, & malum eſſe: quam ſententiam doceri a P. Contenſonio cum aliis,

aliis, aſſerit; ſed aperte fallitur. Sententia, ut ab Henrico explicata, vix revocari in diſcrimen valet.

IV. Sententia P. Contenſonii *Lib. VI. diſſert. 11. cap. 11. ſpec. 2.* hæc eſt. Quando actus ex obiecto bonus propter finem pravum elicitur, tum opus bonum vel eligitur præciſe per modum puri medii, conducentis ad finem; vel per modum finis intermedii, ita ut voluntas non ſolum alliciatur a fine, ſed etiam ab obiecti bonitate moveatur, quamvis illi obiecti amori ſuperadiiciatur finis mali relatio. Tunc, inquit P. Contenſonius, bonus erit actus ex obiecto, malus ob finem. Quoniam, inquit, actus quo voluntas per ſe, & propter ſe amat levamen pauperis, quamvis feratur in finem malum, aliquam tamen ex illo obiecto haurit bonitatem; ſi obiectum illud proſequatur tamquam finem intermedium, & non tamquam purum medium.

V. Hæc P. Contenſonii (cuius ingenium, eloquentiam, & eruditionem ſi quis non magnificaret, in meridie cæcutiret) ſententia falſa eſt. Factum, ut ita dicam, verum eſt; ſed male explicatur, & falſo principio propugnatur. Nam omnes fatemur, ſæpe, quin frequentiſſime occurrere ut bona ſint mixta malis, & mala mixta bonis. Sed tum plures contingunt actus. Allicitur quis ex pauperis miſeria ad erogandam eleemoſynam; & cum eam, præſente ſpectatorum corona, diſtribuit, complacet ſibi: inanis gloriæ nubecula ſe ſe immiſcet, amor proprius inflatur; ſuperbia bonis operibus inſidiatur. Sed tum actus bonus eleemoſynæ obiectum evadit iſtius vanæ gloriæ, inanis complacentiæ; atque adeo duo, vel plures actus ſunt.

VI. Dico itaque, actum ex obiecto bonum, relatum in finem pravum, totum eſſe malum. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XIX. art. 7. ad 2. *Voluntas non poteſt dici bona, ſi ſit intentio mala cauſa volendi. Qui enim vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam conſequendam, vult id quod de ſe eſt bonum ſub ratione mali. Et ideo, prout eſt volitum ab ipſo, eſt malum. Unde voluntas eius eſt mala.* Ratio evidens eſt. Obiectum non dat actui ſpeciem, niſi circumſtantiis veſtitum; ſeu, ea ratione voluntas illud ſpectat, & attingit. Porro eleemoſyna propter inanem gloriam data, rectæ rationis dictamini repugnat. Ergo obiectum malum eſt. Malus ergo actus. Ut enim officium bonum ſit, dirigi prudentiæ regula debet. Quis porro dixerit, ieiunium, eleemoſynam, divini verbi promulgationem, & cetera id genus officia, propter inanem gloriam peracta, prudentiæ chriſtianæ dictamine dirigi?

VII. Diſtinctio P. Contenſonii, qua contendit obiectum bonum eligi vel tamquam medium, vel tamquam finem intermedium, & ordinari ad finem malum poſſe, inanis & commentitia eſt. Nam tum finis intermedius ſuam bonitatem retinet, quando in finem ultimum conſentaneum, & eidem non repugnantem or-

ordinatur; ſecus quando finis ultimi malitia cum finis intermedii honeſtate pugnat. Pugnant autem ſimul inanis gloriæ pravitas cum eleemoſynæ honeſtate. Porro qua ratione internoſcere quis valet eleemoſynam eligi non ut medium, ſed ut finem intermedium? Reipſa hæc eleemoſyna dirigitur ad inanem gloriam. Ergo inanis gloria illa eſt quæ dirigit, movetque operantem. Nam aut inanis gloria movet divitem ad erogandam eleemoſynam, aut ſecus. Si primum, inanis gloria eſt finis ultimus, a quo actus ſpeciem capit. Levamen pauperis nequit natura ſua, tamquam finis intermedius, ſubiici inani gloriæ; cum hæc duo pugnent ſimul. Et, dum reipſa homo hanc eleemoſynam dirigit in finem malum, rem perverſam agit, rerumque ordinem perturbat, dum bonum propter malum operatur, quemadmodum dum malum eligit propter bonum.

VIII. Opponit P. Contenſonius hoc S. Thomæ teſtimonium ex 1. 2. quæſt. XVIII. art. 4. ad 3. *Nihil prohibet, actioni habenti unam prædictarum bonitatum deeſſe aliam: & ſecundum hoc contingit actionem quæ eſt bona ſecundum ſpeciem ſuam; vel ſecundum circumſtantias, ordinari ad finem malum, vel e converſo. Non tamen eſt actio bona ſimpliciter, niſi omnes bonitates concurrant.* Hactenus Contenſonius. Sed alteram periodum adiicit Doctor ſanctus, quæ rem totam dirimit. *Quia quilibet ſingularis defectus cauſat malum; bonum autem cauſatur ex integra cauſa.* Quodnam malum cauſat finis malus? Nam ipſe ſuapte natura malus eſt. Aliud vero malum cauſat, inquit Angelicus. Quodnam? Ipſam bonitatem ex obiecto inquinat, inficit. Quare, licet abſolute, & præciſe accepta eleemoſyna bona ſit; relata tamen in finem pravum, mala evadit. Idcirco dicit S. Thomas, non eſſe ſimpliciter, ideſt vere bonam, ſed malam. Vitilitigatoris, & ſophiſtæ eſt cavillari hanc vocem *ſimpliciter*, quaſi hæc prodat, actionem partim bonam eſſe, partim malam; cum ex toto contextu, & ex aliis luculentiſſimis teſtimoniis compertum ſit, S. Thomam docere, actionem bonam, directam in finem pravum, totam malam eſſe: quia malum ex quocumque defectu, bonum ex integra cauſſa.

IX. Alterum teſtimonium, quod ex *art.* 7. eiuſdem quæſtionis obiicit Contenſonius, extraneum prorſus eſt, & truncatum producitur, non ſecus ac primum. *Quando obiectum non eſt per ſe ordinatum ad finem, differentia ſpecifica, quæ eſt ex obiecto, non eſt per ſe determinativa eius quæ eſt ex fine, nec e converſo. Unde una iſtarum ſpecierum non eſt ſub alia; ſed tunc actus moralis eſt ſub diverſis ſpeciebus quaſi diſparatis.* Hactenus P. Contenſonius. Pergit vero Angelicus: *Unde dicimus, quod ille qui furatur, ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu.* Duas malitiæ ſpecies in eodem phyſico actu reperiri poſſe, nemo umquam eſt inficiatus. Illud vertitur in diſcrimen, poſſit ne ſimul bonus, & malus eſſe; quod

quod negat S. Thomas : quoniam bonum eſt ex integra cauſſa . Magis abludit a vero quod ex eodem S. Thoma repetit : *Alio modo per accidens , ſicut accipere rem alienam per accidens ordinatur ad dandam eleemoſynam*. Quid heinc ? Bonum ne furtum evadit , factum eleemoſynæ erogandæ cauſſa ? Nec ipſe Contenſonius id aſſerere audet. Ergo perperam teſtimonium iſtud obtruditur.

X. Vera ſunt quæ a poſteriori congerit P. Contenſonius , ſed male explicata . Frequenter etiam in viris ſanctis evenit ut illorum bona opera ſepta veluti ſint inanis gloriæ , vanæque complacentiæ nubeculis . Inſidias ſtruit vaferrimus amor propriæ excellentiæ . Superbiæ fumus rimas ſibi aperit , & latebras , per quas penetrare , & invadere vel ipſa ſacratiora opera queat . Et quamvis tota mentis indagine ſanctæ intentionis ianuam cuſtodire , excubiaſque agere ſatagamus , nihiloſecius adeo verſipelles ſunt hoſtes noſtri tum domeſtici , tum extranei , ut quamlibet vigilantiam noſtram deludant , fallantque non raro vel oculatiorem attentionem . Hinc Sanctorum timor , & tremor ; hinc humilitas , & pavor . Verum hæc boni , malique mixtura non contingit , ut PP. Contenſonius , Henricus a S. Ignatio , & alii contendunt , videlicet quatenus viri Dei ad vanam gloriam referant officia ſua , ſeu ut eodem actu velint opera ſua bona ob vanam gloriam . Abſit a Dei viris tam apertum facinus . Sed evenit , quatenus iuxta virentem fructuum optimorum plantam ſerpit ſenſim ſine ſenſu ſerpens malignus , qui ſuo venefico halitu editos iam fructus optimos menti repræſentat ſub magno bonitatis ſplendore , ut tantæ lucis aſpectu intumeſcat animus , inflетur , inſoleſcat . Actiones iſtæ malæ comitantes , & circumſtantes actiones bonas , eaſdem non inficiunt ; ſed animum operantis inquinant . Verum itaque habet priores operationes non amittere bonitatem ſuam , niſi dum referuntur in finem pravum . Non eſt ergo quod P. Contenſonius improperet Salmanticenſibus , Ioanni a S. Thoma , ceteriſque Theologis nimiam doctrinæ ſeveritatem , propterea quod doceant , actionem bonam , relatam in finem malum , ſuam exuere bonitatem . Quandoquidem doctrina vera , certaque eſt . Quod praxim autem ſpectat , negotium accidit , ut nos explicuimus , videlicet ſæpe bona permixta malis eſſe , & e contrario . Verum hæc mixtura non uno , ſed pluribus actibus peragitur . Quæ doctrina ipſa experientia conſtat , & intimo ſenſu quiſque eam deprehendit . Quis hominum bene moratorum opera ſua in vanam gloriam referre ſtudet ? Quis ſuam in Dei gloriam intentionem non dirigit ? At , dum hæc præſtat , ſentit inimicum , domeſticumque hoſtem inſidioſe illabentem , & irruentem : & non raro vaferrimus hoſtis , veluti ſibilus auræ tenuis , inflat cor , titillat animum , ut de operibus bonis glorietur . Igitur utraque ſententia docet , ſæpe bonis iuſtorum operibus ſuperbiam inſidiari , animumque ob bona patrata facinora ſibi paullulum blandiri . At vera ſententia negat , unico partu bonum , & malum produci , bo-

O iiij num-

numque eſſe officium, mali finis gratia peractum; ſed, dum bona permiſcentur malis, & mala bonis, a diverſis principiis hæc duo diverſa genera proficiſcuntur. Nec enim arbor bona malos, aut arbor mala bonos edere fructus valet.

XI. Opponunt teſtimonium divinæ Scripturæ *IV. Reg. x.* ubi de Iehu dicitur: *Quia ſtudioſe egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo, feciſti contra domum Achab: filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.* Deinde ſubditur: *Porro Iehu non cuſtodivit ut ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo: non enim receſſit a peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Iſrael.* Quem locum expendens S. Auguſtinus *Lib. contr. mendac. cap.* II. inquit: *Cum vero ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum Deo; quid ei profuit quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit?*

XII. Argumentum iſtud, quod magni faciunt adverſarii, vanum commentum eſt; quod pluribus in locis ſibi opponit, & reſolvit S. Thomas, potiſſimum 2. 2. *quæſt.* cx. *art.* 3. *ad* 2. & in hac 1. 2. *quæſt.* cxiv. *art.* 10. *ad* 2. Diſtinguendum eſt in opere officium, & finis, ſeu præceptum exequendi operis a præcepto dirigendi opus in finem verum, & honeſtum. Primum impleri abſque ſecundo poteſt. Præceptum exterminandæ domus Achab implevit Iehu. Hoc officium regni temporalis infima mercede remuneravit Deus; ſecus peccatum, quo in finem malum opus illud ordinavit. Voluit Iehu implere divinum præceptum: & actus iſte quo voluit divini præcepti obſervantiam, ex officio bonus erat, & temporali mercede dignus. Verum actus quo voluit opus bonum ob finem pravum, totus malus fuit. *Similiter* (inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. cx. art. 10. ad 2.) *etiam obſtetrices, licet habuerint bonam voluntatem quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit earum recta voluntas quantum ad hoc quod mendacium confinxerunt.* Nonne & ipſe *Iehu* mendacium pronuntiavit, cum dixit: *Achab coluit Baal parum; ego autem colam eum amplius?* Si verum adverſariorum commentum foret, dicendum, quod *Iehu* ex mendacio, prolato ob finem bonum, præmium fuerit aſſecutus; quemadmodum illud obtinuit ob opus bonum directum in finem pravum. Quod tamen nec ipſi admittunt. Egregie S. Gregorius *Lib. XVIII. moral. cap.* III. inquit: *In qua magis recompenſatione cognoſcitur quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admixta culpa mendacii in terrenam eſt recompenſationem declinata, ut in vita ſua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt, bona reciperent, & ulterius quod expectarent, mercedis ſuæ præmium non haberent. Nam ſi ſubtiliter perpendatur, amore vitæ præſentis mentitæ ſunt, non intentione mercedis. Tacendo quippe*

Digitized by Google

pe conatæ ſunt infantium vitam tegere, mentiendo ſuam. Perperam itaque eiuſmodi obtruduntur facta, in quibus plura diſtinguuntur; nec vel longe indicant, actum illum, quo vel opus bonum in finem pravum, vel opus malum in finem bonum ordinatum fuit, præmio donatum fuiſſe. Cetera quæ opponere adverſarii ſolent, diſcuſſione non indigent: ſeipſis enim corruunt: idcirco illa prætereo.

CAPUT XI.

Actiones humanæ, tametſi ex obiecto indifferentes, reipſa tamen, ſeu in individuo, aut bonæ ſemper ſunt, aut malæ. Plurium recentiorum commenta refelluntur.

I. PUnctum quod enucleandum ſuſcipimus, quoniam morum formationem ſpectat, ſummi momenti eſt. Agitur quippe in eo de fine in quem operationes noſtræ a deliberata prodeuntes voluntate dirigi debeant. Ut perſpicuæ deciſioni via paretur, quædam in anteceſſum præmittamus fas eſt.

II. Et primum dantur actus humani ex obiecto, atque adeo ex ſua ſpecie indifferentes, qui nec boni in ordine morali ſint, nec mali. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XVIII. art. 9. *Contingit quandoque aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſuam ſpeciem, qui tamen eſt bonus, vel malus in individuo conſideratus.* Et in reſponſione ad 1. *Aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſuam ſpeciem, poteſt eſſe multipliciter. Uno modo ſic, quod ex ſua ſpecie debeatur ei quod ſit indifferens: & ſic procedit ratio. Sed tamen iſto modo nullus actus ex ſua ſpecie eſt indifferens. Non enim eſt aliquod obiectum humani actus quod non poſſit ordinari vel ad malum, vel ad bonum per finem, vel circumſtantiam. Alio modo poteſt dici indifferens ex ſua ſpecie, quia non habet ex ſua ſpecie quod ſit bonus, vel malus; ſicut homo non habet ex ſua ſpecie quod ſit albus, vel niger; nec tamen habet ex ſua ſpecie quod non ſit albus, aut niger: poteſt enim albedo, vel nigredo ſupervenire homini aliunde quam a principiis ſpeciei.* Doctrina hæc valde communis eſt, quidquid aliqui in oppoſitum diſputent. Idcirco ſatis ſit eam indicaſſe. His præmiſſis, ſequentem ſtatuo theſim.

III. *Omnis actus humanus moralis in individuo aut bonus, aut malus eſt, nullus indifferens.* Plura ſunt divinarum Scripturarum teſtimonia, quibus evidenter declaratur concluſio noſtra, & inculcatur. *Sive ergo* (inquit S. Paulus I. Cor. x.) *manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quis dixerit, hic non iubere Deum ut omnia opera noſtra in eum dirigamus finem qui in eiuſdem cedere gloriam valeat? Sed audiamus ipſum Redemptorem noſtrum

ſtrum, qui voce Evangeliſtæ Matthæi *cap.* XII. inquit : *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non congregat mecum, ſpargit*. Neutraliter hic habere ſe homo nequit. In alterutram ſe declarare partem debet. Subdit vero idem Salvator divinus : *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum*. Nulla arbor indifferens : aut bona, aut mala eſt. Tandem concludit : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*.

IV. Cl. P. Euſebius Amort, de Republica litteraria optime meritus, in ſua *Diſquiſ. dogmat.* de actu morali indifferenti in individuo, narrat, in Bavaria numerum *Neotericorum*, qui defendunt actus morales indifferentes per ſe in individuo, ab anno 1708. increviſſe. Deinde reſcribit quæ Theologi in celebri univerſitate Germaniæ diſcipulis ab an. 1732. & ab an. 1736. dictarunt in defenſionem opinionis propugnantis actus indifferentes in individuo. Inter alia quæ extremam laxitatem produnt, hoc interpretamentum obtrudunt, quo eludere evangelicum oraculum de ratione reddenda cuiuſque verbi otioſi contendunt *Neoterici* Profeſſores. De verbo otioſo reddenda utique ratio Deo eſt. Quid heinc? Anne etiam de opere otioſo? Minime. Quod ſi hæc reſponſio tibi non arridet, dicas, definitionem verbi otioſi non eſſe bonam. Verbum otioſum eſt quod non ordinatur in finem honeſtum. Tu nega hoc antecedens. Sed reſcribamus verba ipſa, quibus Theologi univerſitatis Germaniæ ſuam ſententiam exprimunt. Illa refert P. Amort loc. cit. pag. 4. edit. Venet. R. 1. *non deeſſe equidem aliquos qui negant conſequentiam, nec admittant paritatem a verbis ad opera, eo quod verbis ſit labi pronius, & peccare facilius quam operibus : adeoque licet non detur actus indifferens verbalis, dicunt tamen poſſe dari actum indifferentem realem, ſeu in actione aliqua conſiſtentem. Interim tamen, cum huic reſponſioni non videatur adeo firmum ſubeſſe firmamentum*, (fatentur Theologi alii præfatæ univerſitatis Germaniæ hanc doctrinam quæ docet de *verbis otioſis*, *non de operibus otioſis* reddendam eſſe rationem in divino formidandoque tribunali, non niti adeo *firmo firmamento*), *idcirco præbent ipſi hoc aliud 2. reſponſum*.

Reſp. 2. *cum pluribus aliis negando antecedens* (nempe verbum otioſum eſt quod non dirigitur in finem honeſtum.) *Hæc enim definitio : Illud eſt verbum otioſum quod non eſt ordinatum ad finem poſitive honeſtum : eſt probabilius falſa ex duplici capite. Primo quia poteſt dari verbum otioſum, licet finis ſit honeſtus illud proferendi. Ergo illa definitio non convenit omni. Antecedens probatur ex communi ſenſu : qui iudicat eum loqui otioſe qui in eodem ſermone, vel concione, quam bono fine inſtituit, ſæpius & pluries idem repetit, & ſic verba inutiliter multiplicat, ut ſupra tempus ex naturali quadam ac ſuperflua loquacitate excurrat. Secundo quia illa definitio non convenit ſoli. Poſito enim quod aliquis in tempore, vel loco, in*

quo

quo loqui aliunde non eſt prohibitus, *dicat alteri*, Hodie eſt tempeſtas, pluvia, *non intendendo his verbis finem poſitive honeſtum*, *non cenſetur loqui verbum otioſum*.

V. Plura quæ ex præfatis Theologis Germanis refert P. *Euſebius Amort*, ſileo, ne lector excandeſcat. En quam verum ſit pruriginem emolliendi ſanctum evangelicæ legis rigorem, eo in dies progredi, ut vel ipſa luculentiſſima Chriſti Domini oracula in nihilum redigantur ineptiſſimis diſtinctiunculis, & commentis. Quid mirum, ſi Lutherani, dum legunt a catholicis Theologis talia doceri, in cachinnos erumpant? Otio ipſe abuterer, ſi in eiſdem næniis refellendis immorarer. Pergam ergo confirmare auctoritate SS. Patrum ſententiam noſtram.

VI. S. Auguſtinus Lib. II. de peccat. merit. cap. XVIII. *Quamquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit. Aut enim iuſtitiam diligimus, & bona eſt: & ſi magis diligimus, magis bona; ſi minus, minus bona eſt: aut, ſi omnino non diligimus, non bona eſt.* Evidentius hanc doctrinam declarat *epiſt.* XIX. ad Hieronymum his verbis. *Sed cavendum eſt, videlicet in hac diſputatione, ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter recte factum & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur; & urgeamur, eo quod obſervare legis cæremonias non poteſt eſſe indifferens, ſed aut bonum, aut malum: ut, ſi bonum dixerimus, ea nos quoque obſervare cogamur; ſi autem malum, non vere, ſed ſimulate ab Apoſtolis obſervatas eſſe credamus. Ego vero Apoſtolis non tam exemplum Philoſophorum timeo, quando & illi in ſua diſputatione veri aliquid dicunt, quam forenſium Advocatorum, quando in alienarum cauſarum actione mentiuntur.* Quid deſiderari luculentius poteſt? S. Gregorius Magnus *Lib. XXVI. Moral.* explicans teſtimonia Scripturarum, quæ indicavi *cap.* XIII. inquit: *Non enim ante oculos Dei vacuæ tranſvolant cogitationes noſtræ, & nulla momenta temporis per animum tranſeunt ſine ſtatu retributionis.* Plures adiicere alios Patres poſſem, quos miſſos facio. Adeo quippe compertum eſt Patres omnes hanc propugnare doctrinam, ut P. Gabriel *Vaſquez* candide fateatur, illam eſſe S. Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, S. Thomæ, aliorumque Patrum: a qua tamen recedere, religioni minime ille ſibi vertit; idque non raro præſtat.

VII. Rationum momenta, quibus S. Thomas hanc noſtram firmat ſententiam, inconcuſſa ſunt. Omnis actus humanus idcirco humanus nuncupatur, ut ſupra probatum eſt, quia a recta proficiſcitur, & regitur ratione. Rationis autem eſt ordinare omnem actionem quæ ſub eius lumine elicitur, in aliquem finem. Neque enim fieri poteſt ut aliqua actio ſit ratione moderata, & non ſit in aliquem finem directa. Quoniam notio, & natura rationis eſt diſtinguere hominem a brutis, quatenus homines vi iſtius rationis agunt propter finem. Hinc eſt quod actiones, etiamſi ab ipſa humana voluntate eliciantur, humanæ non ſunt, niſi rationi

ni

Digitized by Google

nis lumine dirigantur: atque hominis, non humanæ appellantur. Porro aut bonus, aut malus eſt finis in quem actio dirigitur. Si bonus finis, bona quoque actio; ſi malus eſt finis, mala itidem actio ſit neceſſum eſt. Hanc rationem his verbis proponit S. Thomas 1. 2. quæſt. XVIII. art. 9. *Actus moralis non ſolum habet bonitatem ex obiecto, a quo habet ſpeciem; ſed etiam ex circumſtantiis, quæ ſunt quædam accidentia: ſicut aliquid convenit individuo hominis ſecundum accidentia individualia, quod non convenit homini ſecundum rationem ſpeciei. Et oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali; ſi vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: unde habet rationem boni. Neceſſe eſt autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde neceſſe eſt omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo conſideratum, bonum eſſe, vel malum. Si autem non procedit a ratione deliberativa, ſed ex quadam imaginatione (ſicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem) talis actus non eſt proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione: & ſic erit indifferens, quaſi extra genus actuum moralium exiſtens.*

VIII. Mollioris Ethices propugnatores negant hoc luculentiſſimum S. Thomæ principium, videlicet debitum ordinandi omnes actiones humanas in finem honeſtum. Sat eſt, inquiunt, hominem agere ob naturæ commoditatem, voluptatemque. An licitum non erit, appetitus humanos ſuis frui actionibus; aures cantus melodia, oculos florum, aliorumque colorum varietate, odoratum odorum ſuavitate, tactum carnis teneritudine oblectari, palatum comedere & bibere ob voluptatem, niſi obſit valetudini?

IX. Hanc carnalem doctrinam diris devovit Eccleſia ſub Ven. Innocentio XI. in his duabus proſcriptis propoſitionibus: quarum prima, in ordine octava, eſt. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Altera, in ordine nona, eſt. *Opus coniugii, ob ſolam voluptatem exercitum, penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Has propoſitiones docuerunt, teſte P. Dominico Viva in Commentariis, Ioannes Sanchez, Eſcobarius, Diana, Martinus Perez, & alii. *Quia* (inquit P. Viva) *iuxta probabiliſſimam ſententiam Scoti, Vaſquez, & aliorum, dari poteſt actus moralis indifferens in individuo; puta, ſi quis accedat ad ignem, ut calefiat; vel ſi quis deambulet per pomarium, ita ut advertat huiuſmodi actiones nec prohiberi, nec præcipi, ſed permitti.* Hanc probabiliſſimam doctrinam, cui nititur propoſitio damnata, haud refellit P. Viva. Aſſerit utique num. 10. *Ad rationem... fundatam in poſſibilitate actionis moralis indifferentis in individuo*

ſatis

Digitized by Google

ſatisfeciſſe abunde. Verum nec tenuiter, nedum abunde, opinionem hanc confutavit, ut mihi videtur, & legenti conſtabit. Quin *num.* 13. ſcribit: *Sequitur primo, ex condemnatione harum propoſitionum nullatenus concuti opinionem de poſſibilitate actus moralis indifferentis in individuo*. Eccur concuſſa non eſt opinio iſthæc? Quod eam docuerint Vaſquez, Eſcobarius, Diana, Tamburinus? Iſtius opinionis doctrinæ nixa potiſſimum eſt proſcripta theſis: & non eſt concuſſa? Verum ultra pergit P. Viva, &, ut mea præfert opinio, partim confutare, partim approbare damnatam propoſitionem videtur. Scribit enim *num.* 19. „ Neque dicas, quod, „ ſicut poſſumus citra culpam cælum, aut vernantem campum proſpectare, mu- „ ſicam audire, roſam olfacere ob voluptatem naturæ conſonam, quia ex natura „ ipſa operis huiuſmodi delectatio ad finem debitum, nempe ad vitæ conſerva- „ tionem, ordinatur; ita pariter poteſt homo citra ullam etiam venialem cul- „ pam uti coniugio directe ob delectationem, quia pariter ex natura operis ad „ finem debitum ordinatur &c.

„ Nam, ut diximus, lata eſt diſparitas inter voluptatem ortam ex aſpectu „ campi vernantis, & voluptatem ortam ex actu coniugali: illa enim eſt volu- „ ptas moderata, quæ animum ad cæleſtia trahit potius quam retrahat; & idcir- „ co natura ad hoc ipſum præſtandum eam inſtituit, unde illam intendens ordi- „ nat ad finem *intentum* a natura; contra vero *voluptas venerea*, *utpote immodi-* „ *ca*, animum minus aptum reddit ad finem ſuum &c. “

X. Hæc diſtinctio mihi non arridet. Nam P. Viva docere videtur, idcirco eſſe proſcriptam *propoſ.* IX. quod opus coniugii exerceatur ob voluptatem veneream immodicam. Sed propoſitio proſcripta voluptatem abſolute profert, non immodicam. Nonne in *propoſ.* VIII. damnatur quæcumque comeſtura ob ſolam voluptatem? Id non exprimi in damnata theſi contendit P. Viva, inquiens num. 6. *Quamvis in theſi id non exprimatur*; iuxta tamen, ſubdit, communem DD. ſententiam neque moderate comedere ob ſolam voluptatem licet. Sed fallitur *P. Viva* id non exprimi in damnata theſi, illam comeſturam defendente quæ non obeſt valetudini. Ex duplici capite propoſitio hæc damnabilis eſt: vel ob ſolam immoderationem, ſeu intemperantiam; vel ob ſolam voluptatem. Catholicorum nemo defendit immoderatum, & intemperantem cibum non eſſe peccatum. Damnata ergo propoſitio eſt, quod doceatur in ea, cibum potumque, perceptum ob ſolam voluptatem, eſſe licitum. Doctrina *P. Viva* eo ſpectare videtur, ut *univerſim* illicitum ſit frui actibus appetitus naturalis: inquit enim num. 7. *Et ſane, ſi liceret univerſim frui actibus appetitus naturalis, liceret etiam ebrietas*. Ceterum, quando voluptas actus natura ſua moderata eſt, ut eſt illa olfactus, viſus, auditus, tunc licita eſt, quia ipſius actus natura ordinatur ad finem debitum. Sed hoc idem dicebant Auctores damnatæ theſis, ut conſtat ex iis quæ ipſe P. Viva ſibi opponit

num.

num. 9. Reſpondetque illum qui intendit opus coniugii ob ſolam voluptatem, *exponere ſe probabili periculo prolabendi in varias culpas excedendo modum debitum. Secus vero* (N. B.) *qui moderatam intendit voluptatem, olfaciendo roſam, aut audiendo gratum concentum.* Hæc eadem repetit num. 13. *Quarto poſſe hominem licite proſpectare campum, olfacere roſam, audire muſicam ob delectationem illam, conſervationi vitæ conſonam; etiamſi ſolum virtualiter, & ex natura operis ea delectatio ad hunc finem ordinetur.* Quam ambigue, ut mitiſſime dicam, interpretetur has duas propoſitiones damnatas *P. Viva*, ceteri iudicent. Huc recidit illius doctrina, ſi omnia ſimul conferantur. Cibus, potus ſunt illicita, quia ob magnam voluptatem ex natura operis eiuſmodi actus non ordinantur in finem debitum; immo exponunt periculo prolabendi in varias culpas. Contra, audire muſicam, proſpectare campum, olfacere roſam ob ſolam voluptatem non ſunt mala. Eccur? quod homo advertit eſſe voluptatem moderatam, & ordinatam ex fine operis ad debitum finem. Sed etiam manducans advertit eſſe moderatam cibi voluptatem; & maritus advertit moderatam eſſe voluptatem ex opere coniugii perceptam, & ex parte operis in debitum finem ordinatam. Ergo utrobique eadem ratio, ut contendunt Auctores damnatæ theſis. Nec ulla apparet ratio cur voluptas ſenſuum auditus, viſus, odoratus virtualiter ex natura operis tendat in finem; ſecus voluptas palati, & operis coniugalis. Quoniam etiam voluptas percepta ex moderato cibo magis quam muſicæ auditus, quam olfactus roſæ, virtualiter & ex natura operis tendit in finem conſonum conſervationi naturæ. Licitum ergo erit comedere, & bibere moderate ob ſolam voluptatem, quia hæc voluptas moderata virtualiter tendit in finem naturæ convenientem.

XI. Opponent aliqui. Cur tam ſevere inquiris, & criticen exerces in commentarios *P. Viva?* Sincere reſpondeo: quia, ut mihi videtur, & communiter viſum eſt viris doctis, partium ſtudio non præventis, P. Viva frequenter variis diſtinctiunculis extenuat, & ad nihilum fere reducit multas propoſitiones damnatas. Idcirco, data occaſione, admonere lectores mea intereſſe exiſtimavi, ut opera P. Viva, ſicut plurium cuiuſque ordinis Caſuiſtarum, caute legantur. Quod attinet ad actus, recenſitos a P. Viva, ob ſolam voluptatem exercitos, ſive moderati, ſive immoderati ſint, eo modo proſcribuntur ac comedere, bibere, exercere opus coniugii ob ſolam voluptatem. Ceterum, dum homo deliberate agit, facile dirigere eiuſmodi actus in finem honeſtum valet, ut honeſtam muſicam ad pellendam triſtitiam, olfactum roſæ ad caput confortandum, aſpectus campi ad animum exhilarandum. Eiuſmodi directiones in homine bene morato faciles, in peccatore perraræ.

XII. Sed recenſitam opinionem de indifferentia actus in individuo hoc pacto iterum profligandam aggredior. Homo deliberate operans, ut homo operari debet

Digitized by Google

bet, & ut a brutis diſtinguitur. Ergo operari aſtringitur ob finem rationalis naturæ, qui eſt bonum honeſtum. Et hinc homo indeliberate operans non peccat. At quoties ut homo ratione præditus agit, agere ut rationalis debet, atque adeo propter bonum rationis; ſicut homo artifex non ſemper ut artifex, & ſecundum artis regulas operatur; at, dum agit ut artifex, iuxta artis regulas ordinare, & diſponere opus ſuum debet. Ergo quoties homo deliberate ut homo agit, ſemper urgetur præcepto dirigendorum actuum in finem honeſtum. Semper autem operatur ut homo, quoties deliberate agit.

XIII. Inconcuſſo argumento altero, ex ipſo ſacroſancto Evangelio deducto, confirmatur ſententia noſtra. Omnis actio otioſa mala moraliter eſt. Omnis autem actio in finem honeſtum non directa otioſa eſt. Ergo mala. Prima propoſitio eſt ipſius Chriſti IESU Matth. XII. *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*. Quæ verba ita interpretantur Patres, quos inter S. Gregorius Lib. VII. Moral. cap. XXV. *Otioſum quippe verbum eſt quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret*. Pluris opera, ſeu res ipſæ, quam verba facienda ſunt. Opus ergo otioſum illud eſt quod aut honeſta intentionis rectitudine, aut iuſta neceſſitatis ratione caret. Malum itaque, atque adeo puniendum in die iudicii. Numquid animadvertet Deus in verba otioſa, ſecus in otioſa opera? *Quod ſi* (clamat Hieronymus) *de verbo otioſo ratio redditur, quanto magis de operibus hominum?* Verba igitur, & opera illa dicuntur otioſa quæ in debitum rationis finem non diriguntur; quemadmodum res quæque otioſa & inutilis appellatur quæ præſtituto fini non deſervit. Nulla hic ad effugium rima patet. Alterutrum fatendum. Aut verbum prolatum, & opus peractum finem honeſtum habent; aut ſecus. Si primum, ergo bona. Si alterum, ergo mala.

XIV. In omnes torquet partes argumentatio iſthæc adverſarios, & in varia, vanaque reſponſa coniicit. Alii dixere, verba otioſa in iudicium diſcretionis, ſecus condemnationis adducenda. Quod reſponſum, tamquam audax ſtultumque, communiter reiicitur: quoniam, ut inquit S. Paulus II. Cor. V. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Nihil ad hoc formidandum tribunal defertur quod bonum, aut malum non ſit. In iudicium, inquis, diſcretionis adducenda otioſa verba ſunt. Eſto. At, ut quid diſcernuntur, niſi vel ut bona, vel ut mala diſcernantur? Aliquid ne otioſi etiam in illo tribunali effinges?

XV. Reponunt alii cum Theologis Germanis, ſeu Bavaris, de quibus dictum eſt ſupra, opera indifferentia, utpote nec vetita, nec præcepta a lege, ſed permiſſa, non eſſe in iudicium adducenda. Si reſponſio iſthæc non eſt præcedenti melior, haud mirari debemus, cum veritas luculentiſſima nullam excipiat reſpon-

ſio-

ſionem ſolidam. Opera indifferentia utique lege peculiari nec vetantur, nec prohibentur. At lege a natura inſita homo rationalis, quoties ut rationalis agit, aſtringitur ordinare opera ſua in rationis finem, nempe in bonum honeſtum. Opera indifferentia, facta ab homine abſque deliberatione, remanent in ſua indifferentia abſque pœna, aut mercede; ſecus opera quæ deliberatam rationem conſequuntur.

XVI. Reſpondent alii, diſcrimen inter verba otioſa & opera indifferentia reperiri. Illa natura ſua ordinantur ad mentis conceptus pandendos; ſecus opera indifferentia, quæ non ſunt propter aliquem finem, ſed in ſemetipſis ſiſtunt. Præterquamquod verba ſunt proximi mentis partus; opera externa a mente remota ſunt: idcirco illa in finem, non item opera dirigi debent. Nugæ iſtæ ſunt, & gerræ pluſquam ſiculæ. Numquid verbum otioſum, niſi mendax ſit, non manifeſtat mentis conceptus? Hæc manifeſtatio mentalium conceptuum non extrahit verba a genere otii. Verba otioſa quæ præveniunt rationem, indeliberata ſunt; & licet manifeſtent mentales conceptus, nulla ſunt pœna digna, quod libertate careant. At verba quæ deliberate proferuntur, otioſa dicuntur, quia carent intentionis rectitudine. Similiter opera vana, & otioſa ſunt quæ regula carent rationis; & honeſtatis: nec Deus minorem in operibus quam in verbis rectitudinem expoſcit. Futile ergo eſt diſcrimen allatum. Verborum quippe natura eſt mentalium conceptuum manifeſtatio; ſicuti operum indifferentium natura in reſpectu ad obiecta indifferentia ſita eſt. Ceterum æque opera ac verba otioſa punienda ſunt, quæ proprio honeſto fine privantur ab agente. Quod verba propinquius menti accedant, propterea ne magis punienda quam facta? Quin attentius quam verba, dirigenda ſunt exteriora opera, quoniam maioris momenti ſunt.

XVII. Ultima reſponſio ceteris futilior eſt, quæ in damnatam ab Eccleſia propoſitionem recidit. Negat hæc, opus otioſum eſſe quod in finem honeſtum ordinatum non ſit. Ut opus otio careat, ſat eſt ut aliquam naturæ commoditatem ſpectet. Hæc reſponſio ſupra reſcripta eſt ex Theologis Bavaris, ſeu Germanis. Verum habet. Sed hæc naturæ commoditas aut utilis eſt naturæ conſervationi, inſtaurationi, & ſanitati vel reparandæ, vel ſervandæ; aut ſpiritui exhilarando: & qui huc ſua opera dirigit, in finem honeſtum dirigit. Iam dictum eſt ſupra, hominis officia alia eſſe erga ſe, alia in Deum, & in proximum. Porro officia hominis erga ſe huc potiſſimum ſpectant, ut corporis conſervationem, perfectionem, ſanitatem, & ea omnia quæ, ut bene ſe corpus, animuſque habeant, neceſſaria & conſona ſunt, reſpiciant. Præclare S. Thomas hic *cit. quæſt.* XVIII. *art.* 9. *ad* 3. ineptum ſophiſma convellit. *Omnis finis a ratione deliberativa intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malum alicuius vitii. Nam hoc ipſum quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem, vel quietem ſui corporis, ad bonum vir-*

virtutis ordinatur in eo qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis. Quid magis rationi conſonum quam ea exercere officia quæ ſanitati corporis, animo temperate recreando utilia ſunt, aut neceſſaria? Perperam ergo inter adiaphora, ſeu indifferentia officia hæc collocantur. Si vero hæc officia exerceas ob ſolam delectationem, voluptatemque, iam continuo mala ſunt, ut ex propoſitionibus proſcriptis ab Eccleſia vidimus.

XVIII. Obiicies 1. Nullum extat præceptum quo aſtringantur homines opera ſua in finem honeſtum dirigere. Si eſſet præceptum iſtud, ad aliquod Decalogi mandatum reducendum eſſet. Porro in nullo Decalogi mandato continetur. Ergo commentitium eſt. Reſp. Negari haud poteſt præceptum quo verba otioſa prohibentur. Hoc præceptum in quodnam decalogicum revocatur mandatum? Ad primum, reſpondent plures, quo iubemur omnia opera noſtra in Deum dirigere vel proxime, vel, ut aiunt, mediate. Sed haud eſt neceſſe ad aliquod ex mandatis Decalogi præceptum iſtud revocari. Dantur quippe quædam Decalogi veluti præambula, cuiuſmodi ſunt præceptum diligendi noſmetipſos, & ordinandi opera noſtra in finem honeſtum. Sunt enim hæc naturæ inſita, quod homo ſeipſum diligat; quod, dum deliberate agit, agat ut homo, propter ſcilicet bonum rationis, ſeu honeſtum. Lumen illud, ſignatum ſuper omnium noſtrum vultus, & dictamen illud generale ſyndereſis adeo clare præſcribunt in omnibus operibus humanis, ſeu deliberatis diſtinguendum hominem eſſe a brutis, ut pudere adverſarios deberet quærere, ubinam ſit præceptum iſtud: eſt enim naturale mandatum, ipſi naturæ inſitum, ab eaque indivulſum. Quod ſi quis obſtinate inſiſteret, obiice illi verba S. Pauli: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Nihil hic excipit S. Paulus, ſed omnia comprehendit.

XIX. Obiicies 2. Præceptum iſtud adfirmans eſt. Ergo non obligat pro quolibet officio. Reſp. Adfirmans eſt, ſed univerſale, omnes comprehendens actiones; neganſque mandatum includit, quo vetatur nihil præter rationem agendum. Hoc enim intereſt inter præceptum peculiare pro actione determinata impoſitum, & præceptum generale ipſi naturæ ingenitum. Illud pro ſemper non obligat, ſecus iſtud. Præcepta particularia ad ſingulares virtutes pertinent. Præceptum iſtud univerſale ad nullam virtutem particularem reducitur; ſed eſt omnium virtutum fundamentum. Honeſtum, & vitium ſunt duo prima genera: & ſicuti honeſtas abſolute accepta ad virtutem ſingularem non attinet, ita neque vitium in ſua hac generica notione alicui particulari virtuti opponitur.

XX. Obiicies 3. Non datur præceptum ſemper agendi deliberate. Ergo neque adeſt præceptum dirigendæ operationis deliberatæ in finem honeſtum. Nullum præceptum violant homines, dum fricant barbam, dum movent pedem, manum

&c. Ergo nullum infringit præceptum qui negligit officia deliberata in bonum honeſtum referre. Reſp. Paritas vana eſt, atque adeo conſequentia falſa. Præcepta homini ſive impoſita, ſive inſita a natura, impoſſibilia non iubent. Ratio autem humana a ſenſibus pendens ſæpe ab imaginatione præoccupatur. Quare fieri nequit ut homo ſemper advertat, dum agit. Idcirco non adeſt præceptum quod urgeat hominem ut ſemper deliberate agat; adeſt vero, ut, dum deliberate operatur, operetur ut homo, nempe propter finem honeſtum.

XXI. Obiicies 4. Dantur actus indifferentes ſecundum ſpeciem. Ergo dantur actus indifferentes in individuo. Quoniam ſpecies quælibet continet ſua individua; cum nulla ſpecies conſiſtere abſque individuo valeat. Indifferentia eſt vera moralitatis ſpecies: habeat igitur ſua individua oportet. Reſp. Sophiſma iſtud non minus quam cetera omnia, vanum eſt. Si quid evinceret, concluderet, actum indifferentem ſecundum ſpeciem non poſſe ab homine, etiam volente & connitente, in finem honeſtum dirigi; quod fatuitate non caret. Dantur actus indifferentes ſecundum ſpeciem, non hoc in ſenſu, ut indifferentia ſit forma ſpecifica talium actuum, ſicuti rationalitas eſt differentia ſpecifica hominis; ſed ſunt ex meritis obiecti, neque vetiti, neque præcepti, ita indifferentes, ut ſuſcipere vel malitiam, vel bonitatem queant; ſicuti homo indifferens eſt ad albedinem, vel nigredinem. Hæc itaque indifferentia ad bonum, & ad malum, neutrum excludit; ſed ſuſcipere alterutrum poteſt. Nec deſtruitur indifferentiæ ſpecies, dum actus indifferens ex obiecto evadit in individuo bonus, vel malus; ſed indifferentiæ ſtatus determinatur ad alterutram partem; actus autem ſemper ex meritis obiecti remanet indifferens; quamquam ex circumſtantia finis bonitatem, aut malitiam induat; ſicut homo abſolute eſt indifferens ad varios colores, quamquam reipſa ſemper ſit aliquo colore ornatus.

XXII. Obiicies 5. Qui ſequuntur opinionem P. Vaſquez, aut Scoti, eliciunt actus indifferentes, qui nec boni, nec mali ſunt. Numquid opinio, quam Scotica ſchola, & P. Vaſquezius cum tanta diſcipulorum multitudine docet, probabilitate deſtituta erit? Porro, ſi probabilis eſt, qui hac probabilitate præventi officia ex obiecto indifferentia exercent, in nullum finem eadem dirigunt. Ergo indifferentia ſunt. Propterea non bona, quia non relata in finem honeſtum; non mala, quia directa opinione probabiliſſima, quæ ipſis probabilior, nedum probabilis, apparet.

XXIII. Reſp. Argumentum iſtud aliquod fortaſſe aliquibus negotium faceſſit, mihi nullum. Frequentior eſt in caſuiſtica Theologia argumentatio illa quæ a multitudine, probabilitatis præſidium repetit. Verum, non a multitudine opinantium, ſed a veritate, vel a falſitate actio bona, aut mala evadit. Sententiam noſtram Scripturæ divinæ, Patres omnes, iudice ipſo *P. Vaſquezio*, & invicta ratio-

tionum momenta, Eccleſia ipſa in proſcriptis propoſitionibus evidentem demonſtrant. Quid ergo adverſariorum multitudinem obtrudis? Quid quod, ſi multitudo cum multitudine Theologorum conferatur, plures pro noſtra quam pro contraria ſtant? Eſto. At non heinc conſequitur, adverſam ſententiam non eſſe probabilem? Quid, ſi negarem eidem quamcumque practicam probabilitatem? Probabilis ne opinio illa quam Patres, quam graviores Theologi improbant? Quam ipſum naturæ lumen reiicit ut falſam? Quam vel ipſi ethnici Poetæ damnarunt?

Vina ſitim ſedant, natis venus alma creandis
ſervit: finem horum tranſiliiſſe nocet.

Sed fac probabilem eſſe. Propterea ne actus erunt indifferentes? Minime gentium. Sed mali erunt. Probabilitas contrariæ ſententiæ efficere dumtaxat valet ne actuum malitia operantibus imputetur; minime vero aufert quin actus reipſa otioſi, ſeu vacui fine debito, mali ſint. Ceterum, utrum concedendum ſit, reperiri ignorantiam invincibilem quæ a culpa excuſet operarios otioſos, quamcumque iſti ſuæ opinionis probabilitatem obtrudant, non facile aſſentirer. Urget ſemper oraculum Chriſti Domini, punienda eſſe otioſa verba: ergo longe ſeverius otioſa opera. Garrire, cavillari, diſtinctiunculas excogitare plures valent homines ſophiſtæ ad rixandum in ſcholis, ad altercandum in circulis; ſed videndum, num hæc ante Chriſti tribunal vim habere debeant.

XXIV. Obiicies 6. Doctrina hæc ſævum prodit rigoriſmum, & iugum ſuave Chriſti nimis grave efficit: ſcrupulis continuis animas torquet, anxias, triſteſque reddit. Omnibus ne delectationibus vale dicendum? Quis eſt qui, dum ſuaves comedit eſcas, dum fragrantem roſam olfacit, dum virentem campum, florens viridarium proſpectat, harmonicos cantus audit, non oblectetur, delectationemque non percipiat? An David ipſe non canit: *Delectaſti me, Domine, in factura tua?* Si hæc peccata ſunt; vera ergo erit doctrina Ioannis Hus, Lutheri, Calvini, blaſphemantium, homines in actionibus omnibus peccare; quam hæreſim damnarunt Concilia Conſtantienſe, & Tridentinum. Hoc *ſeſſ.*VI. illud *ſeſſ.*XV. ubi hæc ſextadecima *Hus* propoſitio proſcripta eſt: *Diviſio immediata humanorum operum eſt quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa.* Adde, quod S. Hieronymus *epiſt.*LXXXIX. ad Auguſtinum ſcribit: *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis naribus purgamenta proiicere, ſputis rheumata iacere. Hoc nec bonum, nec malum eſt: ſive enim feceris, ſive non feceris; nec iniuſtitiam habebis, nec iuſtitiam.*

XXV. Hæc opponere ii dumtaxat valent qui chriſtianæ legis indolem, & humanæ naturæ dotes ignorant. Iugum Chriſti honeſtatis amori ſuave; contra delectationibus carnis, & ſenſuum voluptatibus aſperum, amarum. Iugum Chriſti hoſtiliter cum voluptatibus pugnat. Quo magis homines moderantur ſenſus, cohi-

bent paſſiones, quo longius a brutis diſtant, operantes, non ut bruta naturæ impetu, ſed rationis ductu; eo facilius portant Chriſti iugum, &, pulſa triſtitia, lætantes in via Dei ambulant. Directio omnium operum in finem honeſtum nec ſcrupulos inducit, nec anxietatibus pungit animum: quoniam directio iſta non actualis, ſed virtualis eſt. Cedo. Onus ne grave iſtud quod homo ſingulos dies auſpicetur a Dei invocatione, omniumque operum oblatione in Dei gloriam? Hæc ſola oblatio, hæc prima directio ſat eſt ad regenda cetera omnia quæ per integrum diem operaris; tametſi plurima ſis facturus quorum nulla te ſubit cogitatio. Quo frequentius repetitur directio iſthæc, eo lætior & exultabunda anima incedit. Delectationes plurimas experitur in dulcium eſcarum ſapore, in pulcherrimo naturæ proſpectu, in cantus auditu, in odorum fragrantia; ſed iſtis utitur, non fruitur, beſtiarum more. Omnia in præſtitutum a ratione honeſtum finem dirigit. Dum homines aſſueſcunt in voluptatibus ſiſtere, & ſenſibus indulgere, pedetentim a morum regulis, a rationis luce cum filio prodigo in brutorum regionem abeunt, & ſiliquis paſti voluptatum cœno ſeſe ingurgitant. Et tum clamant, iugum Chriſti ſeverum eſſe, crudele, immane, quod illorum voluptates damnet. Experientiam conſulamus. Mundanis viris vera Chriſti paupertas, ſtultitia eſt; pœnitentia, qua caro reprimitur, ſenſus coercentur, ſubiguntur appetitiones, truculenta eſt carnificina. Contra Dei viris ſuave convivium, dulces epulæ. Interroga bene moratos homines, grave ne illis ſit iugum iſtud dirigendorum operum in finem honeſtum. Uno ore clamabunt, ſuaviſſimum eſſe, & omnium conſolationum pleniſſimum: tum dies lætos ducere cum vigilantius & ferventius propter verum finem operantur; tum triſtem, mœſtamque agere vitam, cum tepidi, oſcitantes, negligenteſque in hoc operum moderamine fuerint. Et quoniam ſæpe ſenſus rationem præveniunt, voluptas vigilantiam fallit, & ſubdole irrepit; heinc eſt quod viri ſancti trepidant, humiliantur, & cum tremore & pavore æternæ ſalutis negotium agunt. Reſpondeant actuum otioſorum propugnatores. An non peccamus quotidie omnes? An non cadunt ſepties in diem iuſti? Propterea ne ab operibus ceſſandum? Propterea ne laxanda lex eſt? Propterea ne ſcrupulis, anxietatibus, ſuperſtitionibus lacerantur in partes? Pavidi utique ſemper ſunt viri iuſti; ſed tum beatos ſe reputant, cum pavidos ſe experiuntur. Pavor iſte, vigilantia, attentio, ſollicitudo in hoc altiſſimo negotio, non triſtes, non anxios animos efficiunt, ſed hilares, experrectos, conſtantes. Quid, ſi Auguſtini lacrymas ſuſas ob voluptates captas, modo in ipſo Ambroſiani cantus auditu, modo in eſcis percipiendis repræſentarem? Quid Hieronymi auctoritatem obtrudunt? Narrat Doctor maximus naturæ opera, alvum exonerare, nares purgare, rheumata eiicere, quæ nulla præeunte deliberatione, & neceſſario exercentur. Dum vero libere fiunt, ſpectata illorum natura, ſive feceris, ſive non feceris, nec iuſtus, nec iniuſtus

eva-

evadis. Veſtigium ne in tota illa epiſtola eſt de debito operationum dirigendarum in finem honeſtum? Ubi hanc verſat doctrinam, nonne conceptis verbis clamat: Si de verbis otioſis reddenda ratio eſt, quanto magis de operibus? Qua ratione Hieronymi, eadem & S. Thomæ auctoritatem obtrudere poſſent. Nam & Angelicus integrum articulum inſumit, ut evincat, officia reperiri ex obiecto indifferentia. Verum de hoc pluſquam ſatis.

XXVI. Ioannis Hus hæreticalis doctrina merito proſcripta eſt in Concilio Conſtantienſi, quod hæreſiarca ille, non ſecus ac poſteriores diſcipuli, Lutherus, & Calvinus, contenderet, hominem peccatorem in ſingulis actibus peccare. Hæc eſt illius doctrina. *Diviſio immediata humanorum operum eſt quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam; tunc agit vitioſe: & ſi eſt virtuoſus, & agat quidquam; tunc agit virtuoſe. Quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi*. Hunc errorem adoptavit Lutherus, qui ex operibus Hus, & VVicleffi ſe profeciſſe teſtatur in præfatione quam in iſtorum hæreticorum opera ipſe præmiſit: & a Luthero errorem adoptavit Calvinus. Verum error hic perperam obtruditur contra ſententiam noſtram. Nos enim & iuſtos venialiter peccare, & peccatores opera moralia bona efficere poſſe defendimus.

XXVII. Obiicies 7. Divinæ Scripturæ, quæ *omnia in Dei gloriam facienda, ſemper orandum* præſcribunt; Patrum teſtimonia, quæ omnia in finem dirigenda evincunt, aut probant dirigenda eſſe in finem ſupernaturalem; aut nihil evincunt. Non primum: quia alioquin omnia opera infidelium eſſent peccata. Ergo neque ſecundum; cum non minus primum quam ſecundum evincant.

XXVIII. Fateor hoc argumentum non leve mihi faceſſere negotium. Urgent ex una parte Scripturarum oracula, & Patrum, præſertim Auguſtini, teſtimonia, quæ omnia propter Deum facienda eſſe declarant. Urgent ex altera parte Eccleſiæ definitiones, quibus decernitur, non omnia ſive peccatorum, ſive infidelium opera eſſe peccata. Theologi plures, & doctrina, & eruditione celebres, reipſa propugnant, omnia opera dirigenda eſſe in Deum finem ſupernaturalem, nullumque dari actum per ſe talem in individuo indifferentem, etiam in ordine ſupernaturali: quoniam homo in hoc providentiæ ſtatu elevatus eſt ad ordinem ſupernaturalem. Omnibus auxilia ſufficientia offeruntur, vel conferuntur ad dirigendos actus ſuos in finem eumdem. Dicunt vero, non omnia peccatorum, vel infidelium opera eſſe peccata: quoniam ipſa opera ex officio bona, dum non detorquentur in finem pravum, non inficiuntur a malitia omiſſionis dirigendi eiuſmodi opera in Deum. Neque heinc ſequitur: Ergo infideles ſemper peccant, aut quia opera natura ſua bona in finem pravum inflectunt, aut quia omittunt eadem

dirigere in verum finem ultimum, nempe Deum, quem ignorant. Quandoquidem reſpondent, Deum infidelibus ipſis interdum illuſtrationem infundere, & auxilium, quo aliquando in verum Deum aliquod opus bonum ordinant. Sententiam hanc probabilem reputo. Iuxta hanc opinionem corruit obiectio. Oppoſitam ego propugnavi *Tom. I. in Decal. diſſert.* IV. Idcirco alia via occurro argumentationi quam obtrudere adverſarii erubeſcere deberent. Siquidem, ipſis fatentibus, Scripturæ, & Patres præcipere videntur, omnia opera dirigenda eſſe in Deum auctorem ſupernaturalem. Ergo de hoc dumtaxat diſputari poſſet, urgeat ne ſemper, & pro ſemper præceptum iſtud. Verum quod dirigi debeant omnia opera in finem honeſtum, naturæ rationali conſonum, neque in diſputationem ex Scripturis, & Patribus revocari poteſt. Diſcrimen autem, cur nullum opus in individuo ſit indifferens reſpectu honeſtatis moralis, & ſit indifferens in ordine ad meritum ſupernaturale, evidens eſt, & conſtat ex iis quæ dicta ſunt. Nam obligatio operandi ob finem honeſtum inſita eſt naturæ rationali. Quoties enim homo ut rationalis operatur, ob finem rationis operetur oportet. Præceptum caritatis dirigendi omnia opera in finem ſupernaturalem adfirmans eſt, & peculiare, quod pro ſemper non obligat. Conſule, ſi plura cupis, *cit. Tom. I. in Decal.*

XXIX. Quæſt. I. *Sufficit ne habitualis directio operum in Deum, ſive in honeſtum finem?* Reſp. Negat S. Thomas pluribus in locis. In *diſput. quæſt. de carit. art.* 11. ſcribit: *Omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita, ſicut non eſt poſſibile quod ſemper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ; ſed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur.* Poſt ad 3. ſubdit: *Aliud eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens; ſed virtualiter aliquid referre in Deum eſt agentis propter finem ordinatum in Deum.* Interdum S. Doctor directionem habitualem pro virtuali uſurpat. Requiritur ergo virtualis intentio, quæ actuum præcedentium virtute remanet in voluntate. Conſule quæ dicta ſunt in *Tom. I. in Decal. diſſ.* IV.

XXX. Fuſius quam par erat, quæſtionem verſavi; at utilitate prolixitas compenſabitur. Quæſtio quippe hæc univerſalem morum regulam ſpectat: etenim errorem in capitali principio plurima conſequuntur abſurda. Si itineris initio a ſemita deflectis, quo magis progrederis, eo longius ab ſcopo declinas. Primum omnium ergo honeſtæ piæque intentionis lux dirigat univerſum negotiationis tuæ opus, præcedatque officia omnia. Memento primum dignitatis animæ tuæ, qua a brutis animantibus ſeiunctus es, & inter ſpirituales creaturas collocatus. Recordare poſtea redemptionis tuæ; qua Deus te ad finem ſupernaturalem revexit, ut ſcilicet vivas divinam vitam, cuius principium & radix vivifica eſt gratia ſanctificans.

ficans, quam in baptiſmate recepiſti. Vita hæc cæleſtis omnia in ſuum finem erigit quæ malitia non ſordent. Ad hanc regulam oculos converte, animumque intende. Tum iter tuum fauſtis avibus perficies, rectaſque ſemitas alacriter percurres. Dum mane ſurgis, primum omnium Creatorem, Patrem, Proviſoremque tuum omnipotentem Deum profundo reverere obſequio, victimas omnium operationum tali die exercendarum eidem lita. Oblationem hanc ſæpius in diem inſtaura, amoriſque ignem accende. Tum experimento edoctus comperies, quam vanæ, quam ineptæ ſint nugæ quas adverſæ ſententiæ patroni oppoſuere. Concionatoria ne hæc?

XXXI. Quæſt. II. *In duabus propoſitionibus ab Eccleſia damnatis, & ſupra relatis, comprehenditur ne opinio de actuum indifferentia in individuo?* Reſp. Ut meam prodam imbecillitatem, non video qua ratione opinio iſthæc declinare proſcriptionem poſſit. Non me latet, clamaturos adverſarios fore, opinionem hanc docere Scotum, Vaſquezium, & innumeram Scholaſticorum multitudinem. Puerorum terriculamenta hæc ſunt. Suſpiciendi ſunt Scotus, Vaſquez, & ceteri omnes, & merito excuſandi, quod ante definitionem Eccleſiæ ſcripſerunt. Si poſt Eccleſiæ oracula ſcripſiſſent, aliud docuiſſent. Laxius de more ſcripſit in iſtius opinionis favorem P. Matthæus Moya *tract.* VI. *diſp.* II. *quæſt.* III. nec allegare pro hac opinione reformidat S. Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, immo vel ipſum D. Thomam *probabiliter* faventem. Laudat quoque S. Bonaventuram, Scotum, Vaſquez, Stubrochium, nempe Honoratum Fabrum, quorum auctoritate probare ſtudet, & coniuges propter delectationem poſſe licite exequi coniugales actus, & homines ceteros manducare, bibere, ſenſuſque alios exercere ob moderatam voluptatem captandam. Sed hæ theſes proſcriptæ ab Eccleſia ſunt.

DISSERTATIO II.

DE IURE NATURALI, GENTIUM, ET POSITIVO,

prout eſt norma actionum humanarum,

ſeu

DE LEGIBUS.

PRAELOQUIUM.

HActenus iuris naturalis, & univerſæ moralis honeſtatis fundamenta iecimus. Animæ rationalis actus voluntarii & liberi ii ſunt qui iure naturali, & poſitivo divino, ac humano moderari, & regi debent. Lutherus, Calvinus, & ceteri qui libertatem a neceſſitate immunem negant, de medio neceſſario tollunt leges omnes. Vindicata adverſus iſtos rationalis naturæ hoſtes libertate, eiuſque idea expoſita, illud nunc eſt reliquum ut iura, ſeu leges quæ hominis liberi officia moralia dirigunt, coercent, & moderantur, pleno in lumine collocemus. Plura diximus ſupra adverſus aquilonares hæreticos, qui elatis cothurnis, thraſonica iactantia ſibi plaudunt, ſe iuris naturalis ſcientiam, tot ſæculis iacentem, & undique tenebris circumfuſam ad primævum, Luthero duce, revocaſſe ſplendorem. In hac diſſertatione craſſiores *Hobbeſii*, *Puſendorfii*, *Thomaſii*, & aliorum errores contra naturæ iura, nempe, non rebus ipſis cohærere, ſed ſola hominum opinione conſiſtere naturale ius, bonum, & malum, quemadmodum *Hobbeſius* (in cuius caſtra, velit, nolit, immigravit *Puſendorfius*) & alii contendunt, pro modulo meo profligabo, potiſſimum S. Thomæ Aquinatis invictis rationum momentis. Heinc propriam inſcitiam deprehendent illi ſemidocti homines qui præfatos hæreticos, tamquam iuris naturæ magiſtros, ſuſcipiunt, & præconiis extollunt. Sed ad rem.

CA-

CAPUT I.

Variæ iuris acceptiones. Pro lege hic accipitur.

I. Diverſa ſunt Iuriſconſultorum de hac *iuris* voce placita, tum circa originem unde proficiſcitur, tum circa varios ſignificatus quos perhibet. Hugo Grotius in *Prolegom. de iur. bel. & pac. §. 12.* non aliunde eiuſdem repetendam originem arbitratur quam ab ipſo *Iove*, a quo Iovis nomine ius Latinis dictum probabiliter putat. Quam etymologiam prius uſurpaverat Scip. Gentil. *orig. pag.* 270. ut animadvertit Heinecius *Lib. I. cap. 1. §. 9. de iur. nat. & gent.* & poſt illos Ioannes Baptiſta *Vico*. Franciſcus Connanus *Lib. I. iur. civil. cap. 11. num. 4.* iuris etymologiam a dictione *iuxta* arceſſit: quam deductionem communiter ut arbitrariam reiiciunt alii. Maioragius *Lib. IV. Miſc. cap. 1.* a verbo *iuvo ius* derivat, quod adverſus vim præſidium afferat. Sed commentum vanum eſt. Quarta derivatio, Latinis Scriptoribus ſatis familiaris, eſt a verbo *iubeo*, unde iuſſum, & inde, dempta ſyllaba, *ius* dictum volunt. Hæc derivatio minus præcedentibus diſplicet.

II. Ulpianus *Lib. I. ff. de iuſt. & iur.* a iuſtitia ius deducit inquiens: *Eſt autem ius a iuſtitia appellatum.* Communior eſt derivatio hæc. Quare etiam Iſidorus *Lib. V. etymol. cap. III.* ſcribit, *ius eſſe dictum, quia iuſtum eſt*. Et S. Auguſtinus *in Pſalm.* cxlv. inquit: *Ius, & iniuria contraria ſunt. Ius enim eſt quod iuſtum eſt.* Hoc idem ſcribit S. Doctor Lib. XIX. de Civ. Dei cap. XXI. *Illud ius eſſe dicunt quod de iuſtitiæ fonte manavit.* Hæc de etymologia, unde ius ſuam ſortitum eſt appellationem.

III. De multiplici iſtius vocis ſignificatu pauca nunc delibanda ſunt. Sæpe uſurpatur ius pro eo quod rationis dictamini, divinæ, humanæque legi conſentaneum eſt. Interdum accipitur pro loco in quo litigantibus ius ſuum cuique redditur, inquit Ulpianus l. ff. de interrog. iur. faciend. *Ius eum ſolummodo locum eſſe ubi iuris dicendi, vel iudicandi gratia* (iudex) *conſiſtat*. Interdum pro ſententia accipitur, qua iudex ius dicit, ut alicui rem ſuam adiudicet. Sententia ſiquidem iudicis lex quædam privata eſt.

IV. Communiter ius accipitur etiam pro facultate quidquam agendi, vel omittendi, aut ad rem aliquam aſſequendam, aut obligandi alterum ad aliquid agendum, vel omittendum. Et talis poteſtatis violatio iniuriam infert, & reſtitutionis debitum. Hinc, quando aliquid cuidam ex iuſtitia debetur, is habere ius ad illud dicitur. Hoc in ſenſu quis habet ius agnationis, cognationis ad tutelas, ad hereditates, quod ius *neceſſitudinis* nuncupatur: ſicut & quando heres dicitur ſuccedere in omne defuncti ius.

V.

Digitized by Google

V. Iuris nomine ars ipſa non raro intelligitur, ſeu ſcientia legum, canonum; ſicuti medicinæ, inquit S. Thomas, ars a medicinis applicandis ſuam recipit appellationem. Ex quo ii qui huic ſcientiæ ſtudent, *Iuriſconſulti*, vel periti, aut doctores, aut profeſſores iuris nuncupantur.

VI. Tandem verior, & principalior iuris ſignificatus pro ipſa lege, ſeu norma humanorum actuum ſuſcipitur. Leges quippe id quod iuſtum eſt, vel inter ipſos cives, vel Rempublicam inter & cives præcipiunt. Et idcirco leges ipſæ tum divinæ, tum humanæ iuris nomine communiter veniunt: & ſic dicitur ius naturale, divinum, humanum, eccleſiaſticum, ſeu canonicum, civile, publicum, & privatum. Paucis hæc fere omnia exponit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. lvii. art. I. ad I. *Sicut nomen medicinæ impoſitum eſt primo ad ſignificandum remedium quod præſtatur infirmo ad ſanandum, deinde tractum eſt ad ſignificandam artem qua hoc fit; ita etiam hoc nomen* ius *primo impoſitum eſt ad ſignificandam ipſam rem iuſtam; poſtmodum autem eſt derivatum ad artem qua cognoſcitur quid ſit iuſtum: & ulterius ad ſignificandum locum in quo ius redditur; ſicut dicitur aliquis comparere in iure; & ulterius dicitur etiam, quod ius redditur ab eo ad cuius officium pertinet iuſtitiam facere; licet etiam id quod decernit, ſit iniquum.*

VII. Gratianus diſt. I. cap. *Ius generale* docet, ius in communi accipi pro lege; legem in particulari pro conſtitutione ſcripta. S. Thomas *loc. cit. ad* 2. concludit, ius proprie non eſſe legem, ſed aliqualem legis rationem. *Et ideo lex non eſt ipſum ius, proprie loquendo, ſed aliqualis ratio iuris.* Ius ergo latius ipſa lege patet.

VIII. Non eſt operæ pretium fuſius varios iuris ſignificatus diſpicere: quoniam in præſens, miſſis ceteris omnibus ſignificationibus, ius pro lege, ſeu norma actionum humanarum accipimus. In hac vero ſignificatione *ius* eſt iuſti, aut iniuſti, boni, aut mali regula. Quare quod in aliis facultatibus eſt norma, ut in mathematicis eſt circulus, in Geometria linea, in arte fabrili perpendiculum, in ceteris rebus menſurationi obnoxiis ulna, pertica, cubitus, palmus &c. id eſt in humanis officiis *ius*.

IX. Ius pro lege uſurpatum, quemadmodum in præſentia accipitur, tribui in naturale, & poſitivum ſolet. Poſitivum in divinum, & humanum: iſtud in ſacrum, & profanum. Profanum in illud quod eſt omnibus populis commune, & in aliud quod eſt alicui Reipublicæ proprium. Illud ius gentium, iſtud civile nuncupatur. Aliud ius publicum, particulare aliud. Ius publicum eſt quod publica eſt auctoritate inſtitutum, & reſpicit publicam utilitatem. Ius publicum quandoque idem eſt ac univerſale, quod omnes fere gentes, & civitates comprehendit; & coaleſcit partim ex præceptis naturalibus, partim ex placitis Gentium: quandoque vero peculiare tantum eſt, cum videlicet populum particularem, ut Athenien-

Digitized by Google

nienſem, Romanum, Germanum &c. ſpectat. Et hæc quantum ad varios iuris ſignificatus ſatis ſint.

CAPUT II.

De lege in communi. Unde ſuam repetat originem. Eiuſdem notio, & diviſio. Cur præter naturalem, & humanam, divinam poſitivam Deus indixerit. Puſendorfii, Cumberlandi, Thomaſii, *aliorumque gregalium ſyſtema vanum.*

I. Antequam de lege in particulari ſermonem inſtituo, legem ipſam, prout ad quaſque peculiares leges ſeſe extendit, diſcutere opportunum exiſtimavi. De legis origine variæ ſunt opiniones. Aliqui a *legendo*, eo quod lex ſcripta legatur, eam derivant: quæ derivatio communiter reiicitur, cum neceſſe minime ſit ut lex abſolute ſcripturæ conſignetur. Melius a deligendo eam alii repetunt, ut S. Auguſtinus quæſt. xx. in Levit. *Legem a legendo, ideſt ab eligendo, Latini Auctores appellatam eſſe dixerunt.* S. Thomas in hac 1. 2. *quæſt.* xc. eam derivat a *ligando*, quia *obligat ad agendum*. Sed hæc levia ſunt. Legis acceptiones variæ. I. Interdum ſumitur pro conditione adiecta alicui contractui. II. Pro quacumque regula quidquam præſcribente, ſive bonum, ſive malum: nam & iuſſa tyrannorum iniquæ leges appellantur, contra quas clamat Iſaias cap. x. *Væ qui condunt leges iniquas.* III. Pro termino, & cuiuſque rei confinio, iuxta illud Proverb. VIII. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos.... legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* IV. Pro ipſa legis executione; ſicut inquit Ioan. VII. *Nemo ex vobis facit legem.* V. Pro diſciplina religionis dogmata continente; iuxta quam acceptionem dicimus legem chriſtianam, legem veterem, legem novam. VI. Pro quacumque inclinatione, & inſtinctu uſurpatur, iuxta illud Rom. VII. *Video aliam legem in membris meis* &c.

II. Notio legis quam S. Thomas tradit 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 4. hæc eſt: *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* Directio hæc præcipiens eſt. Ex quo lex a conſilio diſtinguitur. *Ad bonum commune.* Per has particulas lex a præcepto, quod nec bonum commune directe ſpectat, nec perpetuitatem prodit, diſtinguitur. Quare fallitur P. Dominicus *Viva*, qui *part.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 1. poſt relatam S. Thomæ definitionem ſubdit, *clarius* legem definiri a P. Suarez, quod ſit *præceptum commune, iuſtum, ac ſtabile, ſufficienter promulgatum*. Quæ ſane definitio & vana eſt, quod legem cum præcepto confundit, & diminuta, quod præceptum iuſtum, ac ſtabile ab iis promulgari poteſt

teſt qui poteſtate carent leges ferendi. Sed, utcumque res ſe habeat, falſum eſt quod clarior hæc definitio ſit ea quam tradit Angelicus. Immo, ut minus, hæc implexa eſt & obſcura. Alio modo S. Thomas deſcribit legem loc. cit. art. 1. *Lex quædam regula eſt, & menſura actuum, ſecundum quam aliquis inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Dicitur menſura, non quorumcumque actuum, ſed humanorum, ſeu moralium. Poſteriores particulæ diſtinguunt legem a conſilio: quod iſtud non obliget, ſed tantum proponat, ſuadeatque; lex contra urget, aſtringitque ad actum. S. Thomas, explicans hanc ſuam definitionem, inquit, quod eiuſmodi menſura, ſeu regula ſit ipſa ratio. *Regula autem, & menſura humanorum actuum eſt ratio, quæ eſt principium primum actuum humanorum*: ſuumque articulum concludit his verbis: *Unde relinquitur quod lex ſit aliquid pertinens ad rationem.*

III. Acriter Theologi diſputant, utrum lex ſit actus intellectus, aut voluntatis; ſeu ad voluntatem ne, aut ad intellectum lex pertineat. Omnes fatentur, S. Thomam in ratione, ſeu in intellectu legem conſtituere. Quam S. Thomæ doctrinam non Dominicani modo omnes, ſed graviores S. I. Theologi, ut Valentia, Vaſquez, Tannerus, Granado, & alii ſequuntur. P. Suarez *Lib. I. cap. V.* ambiguus eſt; eumque auctoritas S. Thomæ determinare non valet. Fatetur neutram opinionem poſſe evidenter demonſtrari; quod nec nos inficiamur; ſed aſſerimus, doctrinam S. Thomæ probabiliorem eſſe, tum vi rationum, tum auctoritate Theologorum. Sed res tanti non eſt ut longiorem contentionis funem ducamus. Paucis controverſiam hanc perſtringere lubet. Lex regula eſt humanorum actuum. Ratio autem, non voluntas, eſt agendi regula. Ergo ad rationem, non ad voluntatem, lex pertinet. Lex illuminat, dirigit. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: Pſal. XVIII. Item Pſalm. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Igitur lex preſſe accepta, ſecundum ſuam eſſentialem notionem, dubio procul ad rationem attinet, cuius eſt loqui, dirigere, illuminare, docere, quocumque voluntatis actu præciſo; ſi æes ſecundum ſolam metaphyſicam notionem ſpectetur. Ceterum reipſa omnis lex poſitiva actum voluntatis includit. Imperium enim quo lex intimatur, actum præſupponit voluntatis. Idque demonſtravit S. Thomas ſupra quæſt. XVII. art. 1. *Imperare eſt eſſentialiter actus rationis: imperans enim ordinat eum cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando: ſic autem ordinare per modum cuiuſdam intimationis eſt rationis.* Imperium elicitur ab intellectu: idcirco, ſi abſolute ſpectetur, nihil niſi rationem prodit. Verum quia reipſa non producitur ab intellectu, niſi præcedente voluntatis motu, a quo efficacitatem accipit; inde eſt quod reipſa ad legem ferendam concurrit etiam voluntas.

IV. Obiicies 1. Scripturæ divinæ legem in voluntate conſtituunt. Nam David Pſalm.

Pſalm. CII. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas*. Item Pſalm. XXXIX. *In capite libri ſcriptum eſt de me ut faciam voluntatem tuam*. Quid quod leges Principum placita appellantur? Reſp. Iam dictum eſt, nullam legem poſitivam ſine voluntatis actu ferri. Teſtimonia divina explicant quod reipſa fit: & modo rationi, ut ex ſupra allatis teſtimoniis patet, modo voluntati legem adſcribunt. Porro S. Thomas vi rationis infert, in lege condenda potiores eſſe intellectus partes. Quod P. Suarez *cit. Lib. cap.* v. *num.* 24. aſſerat, melius intelligi legem naturalem, ſi in actu voluntatis lex conſtituatur, prodit quodnam ſit illius erga S. Thomæ doctrinam obſequium, & propenſio. Quod non ideo dico, quaſi P. Suarez præſidio, S. Thomæ doctrina egeret; ſed ut, data occaſione, patefacerem, Auctorem hunc ab Angelici Doctoris via frequenter recedere. Sententiam S. Thomæ præter laudatos Ieſuitas defendit P. Azorius cum aliis pluribus ſociis.

V. Notionem legis partitio eiuſdem conſequitur. Tametſi ſub finem ſuperioris capitis indicata obiter ſit iuris pro lege accepti diviſio, nihiloſecius lubet paullo clarius legis diverſitatem exponere. Prima partitio eſt in æternam, & temporalem: quoniam lex aut in Deo, aut extra Deum eſt. Si in Deo, æterna; ſi extra Deum, temporanea ſit oportet. AEternam legem ſic deſcribit S. Thomas 1. 2. quæſt. XCIII. art. 1. *Lex æterna nihil aliud eſt quam ratio divinæ ſapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actuum, & motionum*. Temporalis aut a Deo, aut ab homine eſt: & dividitur in naturalem, & poſitivam. Naturalis eſt æternæ legis participatio quædam in creatura rationali; de qua infra ſermo erit. Lex poſitiva ab aliquo poteſtatem habente condita eſt, quæ aut divina, aut humana nuncupatur. Poſitiva divina duplex. Altera lex veteris fœderis, quam Deus Angelorum miniſterio Moyſi, & Moyſes populo Iſraelitico manifeſtavit, intimavitque. Altera eſt lex novi teſtamenti, quam Chriſtus ipſe præſcripſit, & promulgavit ore proprio, & Apoſtolorum prædicatione univerſo mundo denuntiavit. Poſitiva humana ab homine lata ſimiliter duplex. Altera eccleſiaſtica, quæ rogatur vel a Pontificibus, vel a Conciliis. Altera civilis, quam condunt Principes, Reges, Imperatores &c.

VI. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCI. *art.* 4. controverſiam ſcitu dignam, quæque hic opportunam ſedem habet, diſpicit. Diſputat, cur præter legem naturalem, omnibus hominibus a Deo inſitam, & humanam, aliam condiderit poſitivam, quæ divina appellatur? Cui quæſito hac magni momenti doctrina reſpondet. *Præter legem naturalem, & legem humanam neceſſarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam. Et hoc propter quatuor rationes. Primo quidem quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Et ſi quidem homo ordinaretur tantum ad finem qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis,*

minis, non oporteret quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis ſupra legem naturalem, & legem humanitus poſitam, quæ ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ... ideo neceſſarium fuit ut ſupra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad ſuum finem lege divinitus data. Secundo quia propter incertitudinem humani iudicii, præcipue de rebus contingentibus, & particularibus, contingit de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa iudicia, ex quibus etiam diverſæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo abſque omni dubitatione ſcire poſſit quid ei ſit agendum, & quid vitandum; neceſſarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat quod non poteſt errare. Tertio quia de his poteſt homo legem facere de quibus poteſt iudicare: iudicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus, qui latent; ſed ſolum de exterioribus actibus, qui apparent.... Quarto quia... lex humana non poteſt omnia quæ male fiunt, punire, vel prohibere: quia, dum auferre vellet omnia mala, ſequeretur quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis; quod eſt neceſſarium ad converſationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſupervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohiberentur. Et iſtæ quatuor cauſæ tanguntur in Pſal. XVIII. ubi dicitur: Lex Domini immaculata, *ideſt nullam peccati turpitudinem permittens;* convertens animas, *quia non ſolum exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit;* teſtimonium Domini fidele, *propter certitudinem veritatis, & rectitudinis;* ſapientiam præſtans parvulis, *inquantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem, & divinum.*

VII. Quatuor hæc rationum momenta ab imis convellunt ſyſtema Puſendorfii, Thomaſii, & aliorum Lutheranorum, qui pueriliter iactant ſeſe iuris naturalis ſcientiam inſtauraſſe. Quid ſola ratio valeat, gratia deſtituta, in Ethnicorum ſapientibus patet: & evidentius in Lutheranis, Calvinianiſque id çonſtat. Hi enim, utpote rebelliores luci divinæ, & oppido magis ingrati cæleſtibus auxiliis, in craſſiores errores lapſi ſunt. Blaterent Barbeyracus, Budæus, Thomaſius, ceterique, nos antiquorum teſtimoniis implere folia noſtra. Quoniam, ſi ex fructibus plantæ, & ex meſſe agri qualitas colligitur: unde melius ius naturæ quam ex naturæ voce; & unde clarius naturæ vox audiri quam ab iis qui naturæ donis abundantius ceteris affluxerunt, poteſt? Teſtimonia S. Thomæ frequentiſſime promimus, non quod in obſequium Auctoris mens captivetur; ſed quod doctrinam contineant luculentiſſimam, quam carpere multi hactenus tentarunt, labefactare nemini datum fuit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Sit ne lex propter communitatem, & bonum commune. De eiuſdem neceſſitate, iuſtitia, & duratione.

I. Communitas duplex. Imperfecta prima, ut eſt privata domus, quæ communiter ſibi ſufficere non poteſt; perfecta altera, ut civitas. Rurſus altera communitas eſt naturalis, in qua omne genus humanum convenit; politica, ſeu mixta altera, peculiari modo congregata. Priorem communitatem ſpectat lex naturalis. Poſterior communitas aut eſt congregata ſub divina lege ſub aliquo capite; ut fuit olim Synagoga, & nunc eſt Ecclesia catholica: aut lege aliqua ab hominibus lata, ut ſunt civitates, Reſpublicæ &c. Quibus præmiſſis, dicimus leges proprie non ferri propter communitatem imperfectam, ſed perfectam tantum. Communitas imperfecta, ut eſt privata domus, non ſibi ſufficit ad humanam felicitatem comparandam: nec perſonæ quæ componunt domum, ſibi præſtare ſufficiens iuvamen queunt. Nec paterfamilias poteſtate cogente, & æquali in omnes domeſticos potitur. Diverſo quippe modo dominatur in uxorem, in filios, in ſervos. Non eſt ergo in patrefamilias perfecta poteſtas legiſlativa, qua valeat unitatem quamdam moralem in domo conſtituere, prout requiritur ad legis naturam. Lex ergo perfecta communitatem, ut civitatem, provinciam, regnumque, ſpectat. Hæc omnia tradit S. Thomas 1. 2. quæſt. xc. art. 3. ad 3. *Sicut homo eſt pars domus; ita domus eſt pars civitatis. Civitas autem eſt communitas perfecta . . . & ideo. ſicut bonum unius hominis non eſt ultimus finis, ſed ad commune bonum ordinatur; ita etiam & bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis, quæ eſt communitas perfecta. Unde ille qui gubernat aliquam familiam, poteſt quidem facere aliqua præcepta, vel ſtatuta; non tamen quæ proprie habeant rationem legis.*

II. Frequenter tranſcribo S. Thomæ teſtimonia, ut pudore ſuffundantur Lutherani isti, qui iuris naturæ ſcientiam ſibi arrogant. Legatur Puſendorfius *Lib. de iur. nat. & gent. cap.* v. ubi legem in communi exponit; & quiſque iudicet, num quidpiam promat quod luculentius dictum a vulgari Caſuiſta non fuerit.

III. Lex ergo a præcepto diſtinguitur, quod hoc uni, vel alteri homini, illa communitati indicitur. Nec tamen neceſſe eſt ut totam communitatem lex obliget; ſed ſat eſt ut vel totam, vel partem communitatis lex ſibi ſubiiciat; dummodo commune eiuſdem communitatis bonum ſpectet. Contingere enim non raro poteſt ut bonum commune civitatis exigat quod una hominum conditio, & non altera legi ſubiiciatur. Aliqui interdum diſtinguunt leges perſonales a lege publica.

ca. Sed eiuſmodi locutiones minus exactæ ſunt. Etiam privilegium quandoque lex vocatur, cum potius exemptio a lege ſit.

IV. Triplici ratione lex a præcepto diſtinguitur. I. Lex communitatem directe ſpectat. II. Lex natura ſua perpetua eſt. III. Præceptum a quocumque ſuperiore imponi valet: legem ille ſolus ferre poteſt qui vel a Deo, vel a Republica poteſtatem accepit. Dum dicitur, legem directe ſpectare communitatem, non eſt ſenſus, quod lex ſpectet communitatem, quaſi abſtracte ſumptam; ſed perſonas, quæ communitatem componunt, afficit: quandoque collective, quatenus præcipit, vel prohibet actum qui a ſola præſtari, vel omitti communitate poteſt; & interdum diſtributive, quatenus a ſingulis exequenda eſt, aut ab illis quorum lex expreſſe meminit, iuxta legum diverſitatem.

V. Non ſolum lex communitatem, ſed etiam eiuſdem communitatis bonum ſpectat commune; ut docent omnes cum S. Thoma, qui 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 2. perſpicue hoc demonſtrat, concluditque: *Unde oportet quod, cum lex maxime dicatur ſecundum ordinem ad bonum commune, quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habeat rationem legis, niſi ſecundum ordinem ad bonum commune: & ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur.* Omnis lex includit præceptum, quatenus vim præcipiendi habet; ſed nullum præceptum, dum particularis perſonæ commodum, utilitatemque reſpicit, legis obtinet rationem. Idque patet in omnibus legibus. Lex naturalis bonum commune totius generis humani in ordine ad naturalem felicitatem reſpicit. Leges divinæ homines ad cæleſtem gloriam omnibus paratam dirigunt. Leges humanæ tam canonicæ, quam civiles, bonum commune promovent. Idque evidentius mox conſtabit.

VI. Neceſſitas legum, poſita creaturæ rationalis creatione, ſeipſam prodit. Poterat utique Deus non creare hominem; & tum legis neceſſitas nulla eſſet. At, homine condito, neceſſario lex conſequitur, quod creatura hæc ſuperiori, a quo producta eſt, ſubiacet. Ergo ab eodem regi, eidemque parere debet. Porro quatenus hæc creatura ratione prædita eſt, legis capax eſt, directionis, & imperii: & tandem quoniam ex nihilo deducta fuit; in nihilum tendit, & ad bonum, malumve flecti poteſt, in errores labi, & vitia: ergo legis regimine eget. Conditum ergo hominem lex neceſſario conſecuta eſt. Quare mera eſt illuſio quorumdam, qui homines quandoque *exleges* comminiſcuntur. Numquam homines abſque ſocietate, numquam hominum ſocietas abſque lege & naturali, & divina. De legum civilium ortu, & progreſſu infra ſermo erit.

VII. Altera legis prærogativa eſt quod ſit iuſta, tum ex parte materiæ ſubiectæ legi, tum ex forma qua rogatur, tum ex parte legislatoris. Iuſtam eſſe debere legem fatentur omnes. Nam vel divina eſt, vel humana. Si divina, eſt ipſa iuſtitia; ſi humana, ſimilis divinæ ſit oportet; alioquin lex non eſſet. Qua-

re

re optime S. Auguſtinus *Lib. de ver. Relig. cap.* XXXI. inquit : *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt, ut ſecundum eius immutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum, vetandumque diſcernat*. Heinc neceſſario conſequitur, legem omnem debere rem honeſtam præcipere. Omnis enim iniuſtitia, & turpitudo ab æterna Dei lege vetita ſunt. Nullus inferior in ſuperiorem poteſtatem habet. Ergo nullus Princeps, cum inferior Deo ſit, rem turpem, aut iniuſtam præcipere valet. Quoniam res hæc a Deo vetita eſt. Materia ergo legis aut honeſta, aut indifferens, & apta ad bonum commune ſit neceſſum eſt. Poſſibilis quoque eſſe debet; cum impoſſibilia Deus non præcipiat, ut divina Scriptura docet, & Eccleſia definivit in Concilio Tridentino *ſeſſ.* VI. *cap.* XI. *can.* XVIII.

VIII. Ex parte formæ qua lex præſcribitur, iuſta ſit oportet, quatenus diſtribuit onera, reſpectu habito ad ſubditos qui illa ferre debent. Proportio quippe in hac diſtributione ſervanda eſt. Tandem, ut iuſta ſit ex parte legislatoris, requiritur legitima poteſtas ferendæ legis. Hæc omnia perſpicue docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XCVI. art. 4. *Leges poſitæ humanitus vel ſunt iuſtæ, vel iniuſtæ. Si quidem iuſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud Prov.* VIII. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. *Dicuntur autem leges iuſtæ & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune; & ex actore; quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis; & ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis; ſicut & quælibet pars id quod eſt, eſt totius. Unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges, huiuſmodi onera proportionabiliter inferentes, iuſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales.*

IX. Ex triplici autem capite laborare iniuſtitia leges valent, ſi aut non cedant in bonum commune, & utilitatem ſubditorum, ſed ad gloriam, & cupiditatem illius qui leges condit; aut non ſervent iuſtam diſtributionem in onerum partitione; aut excedant poteſtatem legislatoris: Sic optime ibidem S. Thomas perſequitur. *Iniuſtæ autem ſunt leges dupliciter. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum e contrario prædictis: vel ex fine, ſicut cum aliquis præſidens leges imponit oneroſas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam: vel etiam ex actore, ſicut cum aliquis legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem: vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune. Et huiuſmodi magis ſunt violentiæ quam leges.*

X. Si iniuſtæ leges forent, quæ inæqualem onerum, graduum, & dignitatum diſtri-

diſtributionem præciperent; iniuſtiſſimi dicendi forent legum latores, & executores illi qui reipſa inæqualiter onera diſtribuerent, & præmia. Verum de hoc alibi.

XI. Tandem perpetuitas comitatur legem, aut ex parte principii; & ſecundum hanc rationem ſola lex æterna initium non habet; aut ex parte termini, quod dupliciter evenire poteſt: aut quia numquam habitura finem eſt, ut ſubſtantiæ ſpirituales, Angeli, anima rationalis &c. aut quia diuturnam temporis durationem includit, quatenus ex natura ſua lex firma & permanens eſt, diuturnoque tempore communiter viget, ſublato aliquo raro eventu. In hoc ſecundo ſenſu legem perpetuam, ſeu ſtabilem, firmamque aſſerimus, quatenus ita fertur ut ſemper duret. Et hoc eſt diſcrimen præcipuum inter præceptum & legem, quod illud morte præcipientis occidit; lex vero, denato legislatore, conſiſtit. Diſcrimen iſtud ex natura utriuſque, legis, & præcepti, conſtat. Nam lex communitatem, & bonum publicum ſpectat: hæc autem perpetua ſunt. Præceptum perſonam afficit, & bonum talis perſonæ immediate reſpicit. Porro aut perſona præcepto obnoxia, aut ſuperior præceptum imponens deſinunt: idcirco præceptum ſuapte natura ceſſat, & diuturnitatem excludit. Quæ omnia experimento conſtant. Nam lex æterna immutabilis eſt, æternumque ſtabit, ſicuti æternum ſtetit. Lex naturalis, quæ legis æternæ participatio eſt, perpetuo durat: quæ enim præcipit, ſemper bona; quæ vetat, ſemper mala ſunt.

XII. Lex divina, lata per Moyſem populo Iſraelitico, finem habuit in Chriſti adventu; pluresque leges humanæ abrogantur. Falſum ergo eſt leges eſſe perpetuas. Hanc obiectiunculam iam in anteceſſum profligavi, cum innui, legem non eſſe hoc in ſenſu perpetuam, ut numquam habitura finem ſit; quemadmodum eſt anima rationalis ſuapte natura immortalis. Perpetuam diximus legem, quatenus natura ſua ſtabilis, & permanens eſt; nec ceſſat niſi aut voluntate legislatoris revocetur, aut contraria conſuetudine evaneſcat. Legislator quandoque terminum legi imponit, ſic exigente bono communi ſubditorum. Hac ratione definito tempore legem moſaicam Deus circumſcripſit. Heinc ſolum infertur, aliquas leges poſitivas interdum ceſſare; quod verum habet: at hoc non impedit eas ſtabiles eſſe, & permanentes, & quamdam perpetuitatis ſpeciem habere, tum reſpectu communitatis, tum reſpectu boni communis, quæ perpetua ſunt.

C A-

CAPUT IV.

De legis promulgatione. Qualitas promulgationis legis humanæ, civilis, & eccleſiaſticæ. Utrum ſufficiat quod lex, ſive civilis, ſive eccleſiaſtica, promulgetur in Curia.

I. PRomulgandam eſſe legem docent omnes, ut obligandi vim obtineat. Rationem aſſignat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 4. his verbis. *Lex imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur, & menſurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione. Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc quod lex habeat ſuam virtutem.*

II. Iuxta legum diverſitatem promulgationis varietas requiritur. Lex æterna promulgatur media inſpiratione, ſeu illuſtratione divina. Lumine quoque ſuper homines a Deo ſignato promulgatur lex naturalis. Lex divina poſitiva modo promulgatur interna revelatione; & hac via Prophetis ſuis multa Deus promulgavit: modo externa propoſitione; ſicut Chriſtus Apoſtolis ſuam promulgavit legem ſolemnitate externa; ſicuti lex moſaica in monte Sina, & lex evangelica in die Pentecoſtes promulgata fuit.

III. Lex humana ſemper aliquo ſigno exteriori, quo in hominum notitiam devenire poſſit, promulgari debet; ut mox clarius explicabitur.

IV. Diſputant Theologi, ſit ne hæc promulgatio conditio, an pertineat ad legis eſſentiam. Diſputationem hanc iis accenſeo quæ nullius ſunt momenti; cum conveniat penes omnes, legem non obligare, niſi ſit promulgata. Quare ſatis eſt dicere, promulgationem eſſe conditionem eſſentialiter neceſſariam, ut lex reipſa, ſeu, ut aiunt, in actu ſecundo obliget; quemadmodum neceſſe eſt intellectum obiectum proponere, ut voluntas in eiuſdem proſecutionem alliciatur.

V. Tota difficultas eo pertinet, ut qualitas promulgationis declaretur, quæ requiritur, ut lex humana obliget. De divina, & naturali nulla controverſia eſt. Quæ penes omnes certa ſunt, prælibanda. Porro omnes adfirmant, ſpectato naturali iure, & quacumque præciſione facta, non aliam promulgationis rationem requiri præter eam quæ neceſſaria eſt, ut lex naturali, & ut ſic dicam, morali modo ad

 noti-

notitiam perveniat ſubditorum. Quoniam, ut lex legitime condita obliget, ſatis eſt ut nota ſit communitati quæ ſervare illam debet; ſive lex civilis ſit, ſive eccleſiaſtica.

VI. Ad leges civiles imperiales quod attinet, Imperator Iuſtinianus ſancivit *Novel.* lxvi. eas non obligare niſi poſt promulgationem factam in ſingulis provinciis. Dicitur enim in præfata *Novel. cap.* i. conſtitutiones pro teſtamentorum valore factas vim obligandi habere, *ex quo in commune factæ ſunt manifeſtæ. In provinciis autem, ex quo diſcretæ per Metropolitas palam factæ ſunt, vel poſtea factæ fuerint.* Et ſub Novellæ finem in epilogo hæc adiiciuntur. *Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc declarata ſunt legem, præceptis propriis tua Eminentia omnibus faciat manifeſta & qui in hac maxima civitate, & qui foris inhabitant, quatenus omnibus fiant palam quæ a nobis pro omnium cautele ſancita ſunt.* Quæ promulgationis forma tametſi pro teſtamentis condendis inſtituta fuerit, uſus tamen invaluit ut ceteræ quoque leges ſimiliter promulgari debeant in provinciis Imperio ſubiectis.

VII. Petrus de Marca, Vaneſpen, & plures alii contendunt, eamdem promulgationis formam ſervari in ceteris Regnis, Imperio Romano non ſubiectis, ut in Regno Galliæ, in Belgio. Hoc ex uſu & conſuetudine pendet. Nam, ſi abſolute res ſpectetur, ſat eſt ut conſtitutio, ſeu lex in Metropoli, ubi Rex, vel Princeps ſedet, promulgetur. Siquidem forma legis publicandæ in ſingulis provinciis habetur dumtaxat in Novella Iuſtiniani; ſicuti etiam illa determinatio, quod poſt duos menſes a die promulgationis factæ obliget. Ergo, hac Novella ſublata, & iure communi ſpectato, ſingula Regna, & Principatus proprium morem, & conſuetudinem ſervare debent.

VIII. Gravis controverſia eſt de legibus pontificiis, ſeu eccleſiaſticis. Varia fuerunt hactenus Theologorum placita. P. Cardenas in ſua *Criſi tract.* i. *diſp.* ix. *cap.* xx. *art.* ii. inquit, fuiſſe olim probabilem opinionem, quæ docuit, legem Pontificis non obligare, niſi ſit in ſingulis provinciis, & diœceſibus promulgata: pro qua opinione laudat P. Dominicum Soto *Lib. I. de iuſt. quæſt.* i. *art.* 4. Angelum *verbo* Lex *num.* 13. Medinam 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 4. *concl.* 2. Caietanum 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 4. Carbonem *de legibus Lib. III. diſp.* ix. Conradum 1. 2. *quæſt.* xc. *art.* 4. *ad* 2. Serrarium *Tom. II. diſp. de leg.* Molinam *diſp.* cccxcv. Becanum 1. 2. *tract.* iii. *cap.* vii. *quæſt.* vi. Laymanum *tract.* iv. *cap.* iii. Baldellum *Lib. V. diſp.* xvii. Sa verbo *Lex*, Homobonum *in Exam. Part. II. tract.* xii. *cap.* iii. *quæſt.* x. Solerum *de poteſt. Conf. cap.* ix. *quæſt.* v. Mirandam *Tom. II. quæſt.* xxv. *art.* 4. Victorellum *in not. ad Nav. cap.* xxv. Trullenchum, Dianam, Toletum, Duvallium, Marcantium, & alios. Aliqui ex citatis Auctoribus, ut P. Soto diſerte docent, *niſi Papa aliter ſua lege expreſſerit.* Alii ambigue loquuntur, & ut probabilem tantum hanc opinionem defendunt.

IX.

IX. Docet ibidem P. Cardenas, præfatam opinionem nulla frui probabilitate poſt decretum Alexandri VII. in quo damnantur ſequentes propoſitiones. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.* Hæc eſt octava propoſitio. Nona vero eſt eiuſmodi. *Poſt decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Propoſitio vero duodecima hæc eſt. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ab Epiſcopo facultate.* Quæ propoſitiones ideo damnantur, quia oppoſitum præceptum fuit in decretis a Paulo V. & ab Urbano VIII. Romæ dumtaxat promulgatis, minime in ſingulis provinciis. Porro Theologi, qui laudatas propoſitiones propugnarunt, eo nitebantur fundamento, quod decretum Urbani VIII. non erat in provinciis evulgatum.

X. Poſt utriuſque opinionis ſeverum examen, niſi me omnia fallunt, ad certa capita reſtringi lis poteſt, ut diſſidia ceſſent. Et primo certum eſt iure naturæ hanc in ſingulis provinciis promulgationem neceſſariam non eſſe; neque Novellam Iuſtinianæam aſtringere Pontifices ut ſuas leges laudata forma promulgent, immo nec aſtringere poſſe.

XI. Si praxis communis ſpectetur, leges Conciliorum & Pontificum conſueverunt promulgari in ſingulis diœceſibus. Nec eſt quod *Vaneſpen* tam fuſo ſermone factum iſtud illuſtrare conetur. Quis eſt legislatorum qui legem ſuam ubique, nedum in provinciis, promulgari non deſideret, & obſervari? Ut innumera monumenta prætercam, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. poſtquam declaravit invalida matrimonia clandeſtina, hæc in fine decreti adiecit. *Decernit inſuper ut huiuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ promulgationis in eadem parochia factæ numerandos.* Ultro ergo fatemur, Pontifices, non ſolum ut benigniorem, ſuavioremque procedendi modum adhiberent, ſolitos eſſe, & fuiſſe hanc in ſingulis parochiis, nedum provinciis, legum eccleſiaſticarum promulgationem curare; ſed quia legislatores omnes nihil magis cordi habent, quam ut propriæ leges ad ſingulorum notitiam perveniant. Et reipſa Pontifices ſummi, dum aliquam condunt legem, ad ſingulos Epiſcopos eam mitti iubent, ut in ſingulis diœceſibus ſuis illam promulgent, eiuſdemque obſervantiam inculcent. Deſinant ergo Vaneſpen, & ceteri adverſarii exaggerare ſuave Chriſti regimen, benignitatem Eccleſiæ poſtulare, ut leges in ſingulis provinciis promulgentur: quoniam reipſa id præſtat Eccleſia: neque ſub hoc benignitatis & ſuavitatis prætextu falſam doctrinam fucare, & venditare ſtudeant.

XII. Hæc ergo difficultas recidit, utrum lex eccleſiaſtica, ſolemni promulgatione

ne Romæ facta, quæ ob aliquod impedimentum extrinſecus occurrens nequeat in ſingulis provinciis ſolemni forma promulgari, obliget fideles continuo ac iſti moraliter certi ſunt, legem latam eſſe, & Romæ promulgatam.

XIII. Adfirmo ego iuxta communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam: & ſi perſpicue eam explicavero, non video qua ratione revocari in diſcrimen a quoquam iure poſſit. Antequam vero ſententiam evincam, exponendum omnium primum eſt id quod leges eccleſiaſticæ præcipere communiter ſolent. Porro quæ Pontifices communiter præſcribunt, aut credenda, aut agenda ſunt. Aut declarant anteriores leges, divinumque ius interpretantur; aut quidquam iubent quod ad mores formandos attinet. Quo poſito, quis dixerit legem a ſupremo Pontifice latam, qua aut fidei articulum declarat, aut res morum ſanctitatem ſpectantes interpretatur, non obligare continuo ac Romæ promulgata fuerit, & ad fidelium notitiam pervenerit, etiamſi ob aliquod impedimentum in provincia promulgata non ſit? Alius ne ſupremus iudex, præter Concilia, & Pontifices, in iis quæ fidem, aut mores ſpectant? Cur ergo, ſolemni promulgatione Romæ peracta, vi obligandi fideles eiuſmodi leges carebunt? Quid præſumendum eſt, benignam matrem Eccleſiam nolle ſubditos ſuos, niſi poſt factam in ſingulis provinciis legum promulgationem, aſtringere? Præſumptio hæc mera illuſio eſt, ſtatu quæſtionis noſtræ ſpectato. Nam reipſa Pontifices ſummi cupiunt, curantque, ut decreta ſua in ſingulis parochiis, immo fidelibus ſingulis inculcentur, nedum ut in ſingulis provinciis, & diœceſibus promulgentur. Quæſtio noſtra eſt, obligent ne pontificiæ leges ſolemniter Romæ promulgatæ, quoties accidit ut in provinciis, aut regnis non promulgentur; quando alioquin decretum abſolutum eſt, moreſque reſpicit, aut fidem? Quis præſumptioni locus, ſi contra Pontifices ſummi repugnant omiſſioni promulgationis? Quis præſumptioni locus, ſi lex, ſeu decretum omnes fideles indiſcriminatim ſpectat? An Pontifices pro omnium fidelium inſtructione leges conderent, ſi promulgari tantum in propria ditione vellent? An decreta Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. adverſus opiniones damnatas, tametſi in ſingulis provinciis, & regnis non promulgata, fideles omnes non aſtringunt?

XIV. Quid quod, dum eiuſmodi leges in aliquo regno, vel principatu non promulgari contingit, numquam promulgatio omittitur, aut impeditur ob ea quæ ad fidem, moreſque attinent, ſed dumtaxat ob politicas rationes? Quoniam Catholici omnes fatentur, Eccleſiam ſolam, ſeu illius Caput eſſe iudicem ſupremum eorum quæ fidei, aut morum ſunt. Ergo, etſi ob rationes politicas non promulgentur in aliquibus regnis, vel provinciis eccleſiaſticæ leges, non propterea obligare deſinunt. Quoniam iis quæ fidei, aut morum ſunt, nemo catholicorum Principum ſeſe opponere vult; ſed ea quæ hæc duo ſpectant, obſequio ſummo ſuſcipiunt fideles omnes.

XV.

XV. Nec eſt quod opponas, legem non obligare, quando promulgata non eſt, undecumque promulgationis omiſſio proficiſcatur. Quid mea intereſt legem non promulgari ſive ob politicos reſpectus, ſive ob alia rationum momenta? Quoties lex promulgata non eſt, ſive ob hoc, ſive ob aliud rationis momentum, illius obligatione non aſtringor. Huc tandem recidunt quorumdam ſophiſmata, ut ſcilicet leges eludant, fideleſque ab legum obſervantia eximant. Sed fruſtra. Nam vix aliquem repertum iri Theologum puto qui ſententiæ, prout a nobis explicata eſt, repugnare velit. Nam quoties Pontifices leges condunt pro omnium fidelium regimine in iis quæ morum, & fidei ſunt, ubique eiuſmodi leges evulgari, & obſervari avent, nec per ipſos ſtat ne promulgentur; quin & abſolute decernunt non ſemel expreſſe ubique locorum obſervandas eſſe, & omnia univerſalis promulgationis, & acceptationis argumenta perhibent.

XVI. Omnia in pauca redigo. Nemo hactenus aſſeruit, aut aſſerere iure potuit, leges in ſingulis provinciis promulgandas iure naturæ, aut iure divino eſſe. Sed ex clementi, & benigna ſummi Pontificis voluntate hanc in ſingulis provinciis evulgationis formam colligunt. Ergo, quoties Pontifices ſummi promulgari in ſingulis parochiis, nedum provinciis, avent, & per ipſos non ſtat quod non promulgentur; iam iuxta ipſa adverſariorum fundamenta leges pontificiæ ubique locorum obligant. Porro Pontifices ſummi conſtitutiones ſuas, pro fidei, morumve explicatione latas, ubique publicari, ubique inculcari, & ab omnibus obſervari ſtudio ſummo cupiunt. Ergo quoties Pontifices, aut Concilia expreſſe non declarant leges vim obligandi non habere, niſi poſt promulgationem in ſingulis provinciis peractam; ſemper urgent ubique locorum, poſt promulgationem Romæ factam. Cedo. Poſſunt ne Pontifices abſolute legem condere, quæ Romæ promulgata obliget univerſos Catholicos? Quis inficiabitur, ſi iam conceſſum eſt, nec iure naturæ, nec divino iure neceſſariam eſſe talem promulgationis formam? Valent itaque ſummi Pontifices abſolute legibus ſuis, Romæ promulgatis, omnes Catholicos ubique locorum extantes obſtringere. Sed reapſe id præſtant, dum, nulla facta exceptione, leges ſuas abſolute pro omnium Catholicorum regimine condunt, & ſolemni ritu Romæ evulgant, inculcantque ab omnibus ſervandas; & per ipſos non ſtat quominus in ſingulis parochiis, nedum provinciis, evulgentur. Adeo hæc luculenta ſunt, ut adverſarium iure habere nequeant.

XVII. Obiicies. Plura ſequuntur incommoda, niſi leges in ſingulis provinciis evulgentur, & potiſſimum legum ignoratio. Quomodo enim ſervari leges poſſunt, niſi ſciantur? Quomodo autem ſciri poſſunt, niſi promulgentur? Reſp. Nugæ hæ ſunt, & frivolæ ineptiæ. Lex pontificia Romæ promulgata omnes fideles obligat ubique locorum; at ii dumtaxat legis obſervationi obnoxii ſunt qui le-

gem ſciunt. Ignoratio quippe legis ab eiuſdem obſervantia excuſat; nec tranſgreſſio imputatur ad culpam, quando ignorantia eſt invincibilis. Promulgatio in ſingulis provinciis efficit utique ut facilius, & celerius ad omnium notitiam lex perveniat. Huc tantum pertinet hæc promulgatio. At propterea ne exempti a lege ſervanda fideles erunt, quando alia via, licet tardius, legem agnoverint?

XVIII. PP. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* I. *punct.* 6. *§.* I. defendunt, nec leges eccleſiaſticas, nec civiles promulgandas eſſe in ſingulis provinciis, ut obligent; ſed ſatis eſſe ut promulgentur in Curia. Adduntque, in Hiſpania reipſa non promulgari in provinciis, ſed tantum Matriti. Et laudant pro hac opinione P. Petrum de Tapia *Tom. I. Lib. IV. quæſt.* IV. *art.* 3. *num.* 4. P. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* CLVI. *cap.* II. Gordonium *Lib. II. quæſt.* IX. *num.* 26. Granadum *Contr.* VII. *tract.* III. *part.* I. *diſp.* V. *ſec.* 2. *num.* 10. Medinam 1. 2. *quæſt.* XC. *art.* 4. *dub.* 2. *concl.* 4. Monteſinum *Tom. II. diſp.* XX. *quæſt.* IV. *diff.* III. Petrum ab Angelis in *Specul. Privileg. diſp.* V. *ſec.* 2. Salas *diſp.* XII. *ſec.* 2. Villalobos *Tom. II. tract.* II. *dub.* 12. Laymanum *Lib. I. tract.* IV. *cap.* III. *num.* 4. Dianam *I. Part. tract.* X. *Reſ.* 8. Baſilium Pontium de *Matrim. Lib. V. cap.* VII. Bonacinam, Palaum, Suarez, & alios.

XIX. Quæres. *Aliquod ne temporis ſpatium interfluere debet a die promulgationis, antequam lex obliget?* Reſp. Laudati Salmanticenſes *loc. cit. §.* 2. tres ſuper hoc quæſito opiniones recenſent. Prima definit, legem quamlibet, ſive eccleſiaſticam, ſive civilem, continuo ac promulgata eſt, obligare, niſi legislator aliquod intervallum temporis concedat. Quam opinionem defendunt Salas *diſp.* XII. *de leg. ſec.* 2. Bonacina *diſp.* I. *punct.* 4. Gregorius Martinez *quæſt.* XC. *artic.* 4. *dub.* 6. *concl.* 2. Monteſinos *diſp.* XX. *quæſt.* IV. Gordonius *lib. quæſt.* VI. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* CLVI. *cap.* III. Tannerus 1. 2. *diſp.* V. *quæſt.* VI. *dub.* I. & alii.

XX. Altera ſententia ſuſtinet, legem promulgatam in Curia continuo obligare omnes in eadem extantes; nec plus temporis effluere debere quam illud quod neceſſarium eſt, ut legis notitiam comparare ſubditi valeant. Ut vero lex promulgata in Curia obliget extra illam commorantes, tempus congruum requiritur, non definitum, ſed plus minuſve, quo poſſit ad illorum notitiam lex pertingere.

XXI. Tertia opinio defendit, legem nullam ſive eccleſiaſticam, ſive civilem habere vim obligandi tam intra, quam extra Curiam, niſi poſt duos menſes; quando legislatores ipſi non definirent aliquod temporis intervallum. Pro hac opinione citant Salmanticenſes Menochium *de arbitr. Lib. II. caſu* 185. *num.* 19. Valentiam *Tom. II. diſput.* VII. *quæſt.* V. *p.* 5. Sylveſtrum verbo *Lex*, Tapiam *Lib. IV. quæſt.* IV. *art.* 4. Sotum *Lib. II. quæſt.* I. *art.* 4. Reginaldum *Tom. II. Lib. III. cap.* XVI. Granadum *contr.* VII. *tract.* III. *diſt.* XI. *ſec.* 2. Dianam *I. Part. tract.* X. *reſol.* 9. Bonacinam *Tom. III. cap.* VI. *concl.* 2. *num.* 3. Tabienam, Mirandam, & alios. Huic opi-

opinioni ſubſcribunt & ipſi Salmanticenſes. Quoniam, inquiunt, facta promulgatione, aliquod requiritur tempus quo pervenire lex ad ſubditorum notitiam valeat. Porro, quoties tempus iſtud definitum a legislatore non eſt, arbitrio prudentum ſtandum eſt. Prudentiſſimi autem viri tempus duorum menſium taxarunt pro legibus imperatoriis, ut patet ex *Authent. Ut factæ novæ Conſtitut. collat.* v. Standum ergo huic determinationi eſt. Convenientiam iſtius determinationis inde colligunt, quod intervallum iſtud congruum ſit pro omnibus ſubditis, & pro uniformi legis obſervatione tam intra quam extra Curiam.

XXII. Nulla lex, ſive eccleſiaſtica, ſive civilis, vim obligandi a ſubditorum notitia, aut acceptatione, vel executione accipit. Sed continuo ac promulgata eſt, vi obligandi potitur. Et hoc mihi certum eſt. Aliud quippe eſt, an ſubditi teneantur legem ſervare, antequam ad illorum notitiam perveniat; & aliud longe diverſum, utrum ſuam obligandi vim lex habeat, antequam cognoſcatur a ſubditis. Lex naturalis iuxta Probabiliſtas poteſt a pluribus ignorari, & quidem invincibiliter. Propterea ne vim obligandi non habet? Inde ſolum eruitur, ſubditos ignorantes excuſari ab implenda lege, uſquedum illam agnoverint. Ceterum lex promulgata vi obligandi potitur. Quid? Pontifex Romæ decretum ſolemni ritu evulgat: & Romani duorum menſium ſpatio ab obſervando decreto liberi erunt? Si præcipiat aliquid ſervandum in Quadrageſima, tota illa prima Quadrageſima violare impune decretum poterunt? Quod aſſerunt, ſpatium duorum menſium tempus congruum eſſe pro uniformi obſervantia, non urget. Plures, etiam poſt duos menſes, ignorare legem valent. Pro hac uniformitate quælibet civitas, quælibet provincia tum legem obſervet cum primum ad eiuſdem notitiam pervenerit. Et ita in praxi evenire ſolet. Nec auctoritas laudata Authenticæ quidquam concludit reſpectu legis eccleſiaſticæ, vel aliorum Principum. Si enim vellent Pontifices, hoc duorum menſium ſpatium effluere a die promulgationis, id exprimerent. Ergo dicendum videtur, legem abſolute latam, & conſueto ritu promulgatam, ſtatim obligare; omneſque eiuſdem obſervationi aſtrictos eſſe, cum primum illam agnoverint.

CA-

CAPUT V.

Sit ne populi acceptatio ad legis, ſive eccleſiaſticæ, ſive civilis, valorem neceſſaria. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur, profligatis Caramuelis, aliorumque Caſuiſtarum laxis opinationibus.

I. PRimum convenit penes omnes, legem a populi acceptatione pendere, quoties populus Regem, vel Principem eligendo eiuſdem poteſtatem limitavit, ut leges abſolute condere nequeat, populo non conſentiente. Controverſia itaque eſt de lege iuſta, & legitime promulgata, & de legislatoris abſoluta poteſtate, vel a Deo, vel a populo accepta. Et quoniam plures diſputatio hæc ſenſus habet, idcirco, ut clarius diſpiciatur, in ſequentes quæſtiunculas eam tribuo.

II. Quæſt. I. *Valet ne Princeps ſupremus ſua lege iuſta, & legitime promulgata invitos ſubditos cogere ad eam acceptandam?* Reſp. Negat Lutherus *lib. de captivit. Babylon. cap. de baptiſ.* ubi hæc habet. *Neque Papa, neque Epiſcopus, neque ullus hominum habet ius unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper chriſtianum hominem, niſi fiat eiuſdem conſenſu.* Hanc eamdem ſententiam defendit Caramuel pluribus in locis. *In Theolog. Ration. Lib. II. diſp.* 1. *num.* 285. inquit: *Videtis me ſemper in omni lege publica populi conſenſum requirere. Non enim inviti poſſunt opprimi homines liberi, & ingenui, qui occidi non poſſunt.* Fuſius hoc docet in *Reg. S. Bened. diſp.* V. *num.* 48. Plures pro hac opinione Auctores laudat, Bonacinam, Navarrum, Valentiam, & alios, quos diſcutere non vacat.

III. Hæc opinio falſa eſt, & erronea, utpote divinis Scripturis manifeſte oppoſita. Inquit enim S. Paulus ad Rom. XIII. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo. Quæ autem ſunt a Deo, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt... Ideo neceſſitate ſubditi eſtote.* Si populus legem iuſtam reſpuere licite poſſet; actum, conclamatumque eſſet de omni imperio, & principatu: ſocietatis vincula fracta, ordo, tranquillitas, pax, obedientia evaneſcerent; & omnia tumultibus, ſeditionibus, inſidiis reſonarent: & impia Hobbeſii doctrina, qua ſtatuitur, quemque poſſe alium opprimere, triumpharet.

IV. Obiicit Caramuel S. Paulum *II. Cor.* XIII. ſcribere: *Secundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.* Verum habet. Omnes adfirmamus, poteſtatem Principum in ædificationem eſſe, non in deſtructio-

ctionem; leges iuſtas ferre debere in bonum commune ſubditorum. Populi tamen non eſt iudicare, iuſta ne, an iniuſta lex ſit.

V. Quæſt. II. *An ſummus Pontifex, & Epiſcopi poſſint, non expectato ſubditorum conſenſu, leges ferre?* Reſp. Quamvis Principes omnes, ſuprema poteſtate præditi, valeant leges ferre, & populos cogere ad earumdem obſervantiam; tamen peculiari ratione Pontifex ſummus poteſt ſimiles leges condere. Quoniam ceteri Principes a populis, Pontifex a Deo immediate ſuam habet in populum chriſtianum poteſtatem. Idque patet ex Evangeliſta Ioanne cap. XXI. *Paſce agnos meos. Paſce oves meas:* & Evangeliſta Matthæo cap. XVI. *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Numquid paſtor ab ovibus pendet in eiſdem regendis? Numquid iuxta ovium genium exhibere paſcua debet? Poteſtas ligandi vim legis prodit. Adeo certa hæc doctrina eſt, ut oppoſitam opinionem, tamquam manifeſtum errorem contra fidem, non pauci deteſtentur.

VI. Obiicies 1. S. Auguſtinus *Lib. de ver. Relig. cap.* XXXI. inquit: *In iſtis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, atque firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundum ipſas.* Quem locum refert Gratianus diſt. IV. cap. *In iſtis*, ubi hæc infert. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur.*

VII. Truncatum referunt S. Auguſtini teſtimonium. Siquidem S. Doctor ibi admonet legiſlatores, ut mature expendant, ſint ne leges conformes æternæ legi. Nullum ibi vel leve veſtigium de populi conſenſu, ut leges vim obtineant obligandi. Subdit quippe continuo: *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt; ut ſecundum eius incommutabiles regulas quid ſit pro tempore iubendum, vetandumque diſcernat.* Gratianus optime aſſerit, leges firmari, cum acceptantur, ſeu executioni demandantur: quia reipſa non tantum iure, ſed facto confirmantur.

VIII. Obiicies 2. Leges contraria conſuetudine abrogântur. Item *Lib. De quibus nondum*, ff. *de legibus* hæc habentur. *Ipſæ leges non alia de cauſa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ ſunt.* Tandem, ſi univerſa communitas legi reſiſtat, lex iſta haud eſſe bono communi utilis poteſt. Lex autem quæ bono communi opponitur, iuſta non eſt.

IX. Reſp. Conſuetudo legem abrogat legitime præſcripta. Legitimæ autem præſcriptioni Legiſlatoris accedere conſenſus debet. Ergo ex conſuetudine abrogante legem nullo modo colligitur, ex populi conſenſu legem pendere. Lex *De quibus nondum* leges comprehendit latas, non a ſupremo legiſlatore, ſed leges latas a Principe, qui a populo limitatam accepit auctoritatem. Quando tota communi-

tas

Digitized by Google

tas repugnat legi, aut lex iuſta eſt, aut iniuſta. Si iniuſta, lex ipſa nulla eſt; non quia communitas repugnat, ſed quia ante communitatis oppoſitionem vi obligandi propter ſuam iniuſtitiam carebat. Si lex iuxta eſt, communitas reſiſtendo non efficit legem eſſe nullam. Et ſi Legislator vitandi tumultus, & rebellionis cauſſa legem revocat; tum ex voluntate legislatoris, non ex conſenſu populi lex ceſſat. Et quando reipſa prudentiores populi, ſeu communitatis, Principi debito obſequio repræſentant, legem haud eſſe bono communi, & publicæ felicitati conſentaneam, legislator prudenter legem revocabit.

X. Quæſt. III. *Peccant ne ſubditi legem iuſtam non acceptando?* Reſp. Bonacina *diſp.* 1. *de leg. quæſt.* 1. *punct.* 4. docet, ſubditos non acceptantes legem abſolute latam, & promulgatam non peccare. Si tamen legislator exprimeret, ſe velle obligare abſque acceptatione populi; tum peccarent ſubditi non acceptantes. Pro hac opinione citatur P. Valentia *Tom. II. diſp.* VII. *quæſt.* V. *par.* V. ubi docet, Principem non poſſe ferre legem, niſi adiecta conditione, *Si populus acceptaverit*. Hæc opinio damnata eſt ab Alexandro VII. eſtque 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Hæc doctrina ſeditioſa eſt, & perturbat, immo deſtruit principatum, & regimen quodlibet. Ad quid valet Principis poteſtas, niſi cogere ſubditos poſſit, & in ordinem ſuis legibus redigere? Maior in populo quam in Principe poteſtas foret, ſi reſpuere Principum leges populus iure poſſet. Diſtinctio, ſi legislator adiiciat conditionem, *Si populus acceptaverit*, futilis eſt. Quis enim legislatorum ſimilem conditionem, propriæ auctoritati repugnantem, immo indecoram, legibus ſuis inſeruerit?

XI. Quæſt. IV. *An lex reiecta a populo invalida fiat?* Reſp. Caramuel *diſp.* V. *in Reg. num.* 49. hæc ſcribit: *Si non acceptetur, non obligat; & ſic non peccabit qui contra illam operabitur.* Idque probare ſtudet hoc argumento. *Legem vero non acceptatam eſſe invalidam, oſtenditur, quia ſuperior habet auctoritatem dependentem a populo, qui cenſetur illi pro tunc nullam concedere.* Caramuel indefinite loquitur, atque adeo etiam Pontificem Romanum comprehendit. Error autem manifeſtus eſt, conſtituere auctoritatem Pontificis Romani dependentem a populo. Immo reſpectu cuiuſque legislatoris doctrina Caramuelis falſa eſt, & ſeditionis pleniſſima, ludicramque efficit Principum poteſtatem, qua idcirco præditi ſunt, ut queant coercere refractarios, & ea omnia agere quæ bono publico expedire iudicaverint. Nec populus iudex eſt iuſtitiæ, aut iniuſtitiæ legum. Plures alios errores habet Caramuel adverſus Principum poteſtatem; ſed cum natura ſua lumini naturali repugnent, non eſt quod tempus teram in illis ſigillatim convellendis.

XII. Quæſt. V. *Liceat ne ſubditi poſſunt ad legislatorem appellare, ut legem ab ipſo iuſte latam abroget?* Reſp. Si legislator inferior fuerit, tum licitum erit appellationem apud ſuperiorem interponere. Verum ſi legislator ſit ſupremus Princeps,

ceps, tum nulla interponi appellatio valet: quia hæc eſt ab inferiori ad ſuperiorem. Loco ergo appellationis humilis ſupplicatio fieri poteſt, ut Princeps legem ſuſpendat, ſi expediens ei viſum fuerit, auditis rationum momentis.

XIII. Quæſt. VI. *Tempore interpoſitæ ſupplicationis tenentur ne ſubditi legem ſervare?* Reſp. Diana, Bonacina, & alii defendunt, populum minime peccare, dum tempore interpoſitæ ſupplicationis legem non ſervat, ſi iuſta ſupplicandi cauſſa adſit: quia hoc, inquiunt, ad ſuave Reipublicæ regimen pertinet, ne populi legis onere premantur, donec legiſlator clarius mentem ſuam expreſſerit. Sed hæc opinio falſa eſt. Lex iuſta & legitime promulgata vim obligandi habet, nec eam ex populi ſupplicatione amittit. Si vero Princeps, audita ſupplicatione, vel expreſſe legem ſuſpendat, aut prudenter diſſimulet legis inobſervantiam; tum lex non obligat, & ab eiuſdem obſervantia liberi ſunt ſubditi. Quoniam, ſi Princeps vellet legem ſuam conſiſtere, inſtaret, urgeretque pro eiuſdem obſervantia.

XIV. Quæſt. VII. *Quid ſi Princeps non inſtet, nec reproducat legem a ſubditis reiectam?* Reſp. Peccant, ut dictum eſt, ſubditi, dum legem iuſtam non acceptant. Si poſtea Princeps non urget ut lex reiecta acceptetur, nec inſtat pro eiuſdem obſervantia; tum lex per deſuetudinem ceſſat, & ſubditi poſteriores non peccant eam non ſervando. Sed de hoc infra, dum de ceſſatione legis ſermo erit.

CAPUT VI.

De lege æterna Dei.

I. Legis in communi acceptæ notionem, eiuſdemque diviſionem, atque conditiones, quæ iuſtam legem abſolute ſpectatam comitari debent, hactenus declaravi. In præſentia de legibus ſigillatim agendum eſt. Et quoniam prima inter omnes lex æterna Dei eſt, a qua ceteræ ſingulæ proficiſcuntur; ideo de ea primum ſermo eſt inſtituendus.

II. Quæres, *an ſit in Deo, & quid ſit æterna lex?* Reſp. Theologi cum S. Thoma in ratione divina legem conſtituentes, ſub uno reſpectu illam conſiderant ut ſupremam artem, ſub alio ut ideam. Quatenus eſt exemplar omnium rerum creatarum, appellatur idea; prout vero per illam omnia ſunt producta, artem vocant; ſecundum quod vero ratio eſt, omnia dirigens in debitum finem, lex æterna nuncupatur. Nam legem æternam a providentia diſtinguunt. Illa bonum commune univerſi, hæc bonum particulare cuiuſque creaturæ reſpicit: illa vim obligandi prodit, hæc ab obligatione præſcindit. Hanc diverſitatem tradit S. Thomas quæſt. v. de verit. art. I. ad 2. *Providentia in Deo proprie non nominat legem æter-*

æternam, ſed aliquid ad legem æternam conſequens. Lex enim æterna eſt conſideranda in Deo, ſicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in conſiliando, & eligendo, quod eſt prudentiæ, ſive providentiæ. Unde hoc modo ſe habet lex intellectus noſtri ad prudentiam, ſicut principium in demonſtratione. Et ſimiliter etiam in Deo lex æterna non eſt providentia, ſed providentiæ quaſi principium.

III. Ad primam quæſtiunculæ partem reſpondeo, admittendam eſſe in Deo æternam legem. Idque demonſtrat S. Thomas ratione ſatis obvia. In qualibet Republica bene inſtituta reperitur legiſlator, qui omnia adminiſtrat in bonum commune. Demonſtravit Doctor ſanctus *I. Par. quæſt.* XXI. mundum hunc a Deo regi. Ergo conſequitur Deum ſua lege æterna omnia in ſuum finem dirigere. Sic inquit in hac 1.2. quæſt. XCI. art. 1. *Suppoſito quod mundus divina providentia regatur . . . tota communitas univerſi gubernatur actione divina: & ideo ipſa ratio gubernationis rerum in Deo, ſicut in Principe univerſitatis, exiſtens legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet æternum conceptum, ut dicitur Prov.* VIII. *inde eſt quod huiuſmodi legem oportet dicere æternam.* Inſuper admittenda eſt lex firma, immobilis, iuſta, indeficiens, ad quam, ceu ad amuſſim, ceteræ omnes leges exigantur. Hæc autem eſt ſola lex æterna.

IV. Iſtius æternæ legis hanc tradit notionem S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCIII. *art.* 1. Lex æterna, inquit, dicitur *ratio divinæ ſapientiæ ſecundum quod eſt directiva omnium actuum, & motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius univerſi.* Ut definitio clarius intelligatur, lex æterna Dei ſub duplici reſpectu conſideratur. Primum paſſive pro ipſa directione creaturarum, & intimatione creaturis rationalibus facta; & ſecundum hunc reſpectum lex æterna non eſt, ſed temporalis. Secundo active ex parte Dei; & ſub hoc reſpectu æterna eſt, exiſtens in ſupremo Principe, omnium creaturarum motus in ultimum finem dirigente. Notio legis in communi eſt, quod ſit regula, & norma ſubditorum in bonum commune. Porro ratio practica divinæ ſapientiæ eſt prima regula omnium creaturarum in bonum commune totius univerſi. Ergo veram legis rationem habet.

CA-

CAPUT VII.

De lege naturali promiſcua, a lege naturali rationis diſtincta. Corriguntur aberrationes Grotii, Pufendorfii, *& aliorum.*

I. Nihil lege naturali luculentius, cum nemo ignorare illam ſine culpa valeat. At, ſi Iuriſconſultorum, & Theologorum varia placita, controverſiæ, & diſſidia ſpectentur, nihil implicatius. Veritatem omnibus perviam nimium diſputando obſcurarunt, ceteroſque coegerunt ut longiore oratione exponant ea quæ paucis perſtringi alioquin potuiſſent. Et quoniam iuris naturæ interpretatio præcipuum eſt inſtituti noſtri argumentum, peculiaris ratio urget ut pro dignitate eiuſdem nativam picturam veris, ſinceriſque coloribus delineemus. Quod ut efficiamus, ſingula in ſua capita digeremus, & præſtituto ordine explicabimus.

II. In ipſo capitis titulo duplicem indicavi naturalem legem, unam promiſcuam, alteram rationalem. Primum de promiſcua, poſt de rationali verba faciam. Nec nova tibi diſtinctio hæc appareat: quoniam ex doctrina S. Thomæ eruta eſt, & ad controverſiæ perſpicuitatem magnopere conducit. Ex iſtius quippe diſtinctionis neglectu multa tam ICti, quam Theologi congerunt, quæ confuſam, & umbris circumſeptam iuris naturæ ideam efficiunt. In *diſſertatione prolegomena* retuli finitionem quam iuris naturæ Ulpianus tradit, quamque ICti, & Theologi uſurpant; eſtque eiuſmodi. *Ius naturale eſt quod natura omnia animalia docuit. Nam ius iſtud, non humani generis proprium, ſed omnium animalium* &c. Quamdam iſtius finitionis imaginem *loc. cit.* adumbravi, & innui, utriuſque facultatis Doctores ex hac iuris naturalis notione acriter diſputandi occaſionem arripere, inſit ne brutis ipſis iuris naturæ ratio: & in hunc locum pleniorem huiuſce rei explanationem remiſi. Contendunt illi, a ſola humana ratione repetendam eſſe naturæ legem; propugnant iſti, naturæ legem non minus brutis quam hominibus communem eſſe. Quid, inquiunt, legem, quæ totius univerſi naturas comprehendit, uni homini illigare? Naturæ ne ceteræ lege carent, & ordine? Si rationis dictata naturæ legem conſtituunt; hæc in ceteras naturas, ratione deſtitutas, quadrare minime valent. Plures ergo naturæ leges ſint neceſſum eſt, a variis manantes principiis. Quid quod in ipſo homine duæ ſunt naturæ diverſæ, mutuo inter ſe pugnantes? Diverſis ergo devincitur homo legibus, quarum tamen altera alteri pareat oportet: quas duas leges Paulus Apoſtolus in ſemetipſo experiebatur.

II. Promiſcuam ergo legem appello quæ homini, animantibus, & ceteris omnibus

bus naturis communis eſt. Lex iſta tam longe lateque vagatur, ut iſtius univerſi res omnes concludat, regatque. Lex iſta ordo eſt, & moderamen omnium motuum quibus ſingulæ creaturæ volvuntur, & agitantur. Præpotens quippe orbis effector Deus omnibus creaturis, tum ratione & ſenſu præditis, tum ratione & ſenſu carentibus, proprias indidit inclinationes, & motus, quos certis ordinavit legibus, quarum ſeriem legem dicimus naturæ communem, ſeu *promiſcuam*. Hanc *legem promiſcuam* alii appellant ius *naturæ primarium*, ſeu, ut Stoici loquebantur, *Prima naturæ*. Legem vero rationis vocant ius naturæ *ſecundarium*, quod ſecundum Stoicos ipſos ea ſpectat quæ dicuntur *naturæ rationali conſentanea*. Verum minus recta eſt partitio hæc. Quoniam, ſi preſſe loquendum ſit, ius naturale in ſolo homine proprie reperitur; hocque primarium appellandum eſt. Ceterum lis de voce eſt. Nam aliud non intelligunt nomine iuris primarii quam legem promiſcuam. Porro ab hac lege promiſcua, ſeu ordine ita omnia pendent, ut præter hunc ordinem nil aut intereat, aut oriatur, aut reviviſcat. Suas itaque leges habent naturæ ſenſu & ratione deſtitutæ: ſuas bruta, & corpora humana communes, in quibus conveniunt: ſuam peculiarem habet homo, prout a ceteris omnibus iſtius univerſi creaturis diſtinguitur. Ut clarius infra illam explicarem, hanc, quam promiſcuam appello, omnibus naturis communem legem præmittere, & levi penicillo adumbrare, operæ pretium exiſtimavi.

IV. Quæ hactenus dicta ſunt, doctrina S. Thomæ confirmo, hauſta ex 1.2.quæſt. XCIV. art.2. *Ineſt enim primo inclinatio homini ad bonum ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis, prout ſcilicet quælibet ſubſtantia appetit conſervationem ſui eſſe ſecundum ſuam naturam: & ſecundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea per quæ vita hominis conſervatur, & contrarium impeditur. Secundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam in qua communicat cum ceteris animalibus: & ſecundum hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali quæ natura omnia animalia docuit; ut eſt commixtio maris & feminæ, & educatio liberorum, & ſimilia. Tertio ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria; ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoſcat de Deo, & ad hoc quod in ſocietate vivat: & ſecundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quæ ad huiuſmodi inclinationem ſpectant; utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet converſari, & cetera huiuſmodi quæ ad hoc ſpectant.*

V. Si hanc doctrinam præ oculis habuiſſent Proteſtantes, Grotius, Puſendorfius, Chriſtianus Thomaſius, aliique, qui pluſquam puerili iactantia iuris naturæ illuſtrationem ſibi vendicant, non docuiſſent, matrimonii indiſſolubilitatem iure naturæ evinci vix poſſe. Modeſte tamen, & caute de more Grotius hac de re loquitur. Sed, quia iſti non diſtinxerunt legem naturalem promiſcuam a lege rationis, ſre-

Digitized by Google

frequenter aberrarunt; rarius tamen Grotius. Concubitum maris & feminæ innuptæ non eſt contra legem naturæ promiſcuam; idcirco exiſtimarunt, probari non poſſe, eumdem repugnare legi naturali propriæ hominis. Verum, licet præfatus concubitus non perturbet ordinem legis naturalis promiſcuæ, rationis tamen ordinem invertit; ut in libro de matrimonio palam fiet. Hæc obiter indicavi, nam infra clarius oſtendam, Puſendorfium, Thomaſium, alioſque in interpretando naturæ iure vix quidquam laude dignum habere, iis exceptis quæ a noſtris ſunt mutuati. Chriſtianus Thomaſius adeo vana commenta in ſuo *de homine morali capite x.* fabricavit, ut nec legi valeant, nedum refutari.

CAPUT VIII.

De naturali lege rationis, homini propria. Lutheranorum, Thomaſii, Puſendorfii, *aliorumque abſurda commenta.*

I. Feſtivi, & ovantes Proteſtantium celebriores magiſtri, qui de iure naturæ ſcripſerunt, præfidentia ſane incredibili aſciſcere ſibi iuris naturæ illuſtrationem, ut alias dictum eſt, haudquaquam erubeſcunt; ſed paſſim pæana canunt, & triumphale puerorum more tripudium agunt. Si quidquam lucis (uno excepto gravi modeſtoque iuriſconſultiſſimo Hugone Grotio, qui noſtrorum ſapientum veſtigiis inſtitit,) huic ſcientiæ attuliſſent, immo niſi eam ineptiſſimis commentis turpiter fœdaſſent; utcumque ferenda leviculorum hominum iactantia eſſet. At riſu, & ſibilo a viris doctis excipiuntur thraſones iſti, ſolumque ab ſciolis, qui ineptas conſectantur novitates, quibuſdam exiſtimationis auram captare valent. Audi quæ ſcribit Chriſtianus Thomaſius Lib. I. de norm. act. human. cap. IV. §. 17. *Quicumque ante Reformationem ſcripſerunt de conſcientia, nugas ſcripſerunt, ſive propoſitiones obſcuras, petentes principium, & peſſime cohærentes. Interim, quamvis regulæ illæ abſurdæ ſint, utiles tamen fuere Clero ad acquirendum dominatum in laicos: eo enim omnes tendunt.* Ante ergo bacchantem illum Lutherum veſtrum, qui humanam libertatem de medio ſuſtulit, Origenes, Baſilius, Nazianzenus Chryſoſtomus, Lactantius, Ambroſius, Bonaventura, & cetera catholicæ Eccleſiæ lumina *nugas* de conſcientiæ norma, ſeu legibus ſcripſere? Quis non miretur iſtorum hominum cerebra? Hæc ſunt luculenta ſtultitiæ Lutheranæ monumenta. Utinam modeſtius repræſentari iſtorum errores poſſent.

II. Verum, ut evidentius pateat quam ſapienter iſti de naturæ iure ſcripſerunt, meditandam propono regulam illam fundamentalem, univerſalemque iuris naturæ, & gentium, quam idem Thomaſius præſcribit laud. Lib. I. cap. VI. §. 21. pag.

172. *Norma*, inquit, *univerſalis quarumvis actionum, & fundamentalis propoſitio iuris naturæ & gentium, late ſic dicti, eſt: Facienda eſſe quæ vitam hominum reddunt & maxime diuturnam, & feliciſſimam; & evitanda quæ vitam reddunt infelicem, & mortem accelerant.* Næ iſti ſapientiſſimi Epicurei? Hæc eſt fundamentalis iuris naturæ regula, & quarumvis actionum norma? Norma ergo actionis humanæ, dum pro patria, pro virtute, pro religione, decertandum eſt, ſpreta patria, contempta religione, ea peragere quæ ventri conſulunt, quæ diuturnam vitam conſtituunt? Hæc ſunt effata ſapientum Lutheranorum. Integer exſcribendus liber Thomaſii eſſet, ſi omnes eiuſdem craſſiſſimas recenſere aberrationes vellem. Sed ex ungue leonem lector cognoſcet.

III. Samuel Puſendorfius, licet non adeo craſſe ut Thomaſius, de iure naturæ ſcribat, tamen & ipſe, qui vulgo habetur ut principalis inter Lutheranos iuris naturalis interpretes, implicat obſcuratque eiuſdem iuris ideam; immo pro iuris naturæ notione inane perhibet commentum, *Lib. II. de iur. nat. & gent. cap.* CXI. ideam iuris naturalis depingit, ſed coloribus adeo diverſis, & oppoſitis, ut aſſequi facile minime ſit quam ipſe proponere notionem velit. Illud eſt exploratum, plura falſa, & erronea docere, plura vera falſis interſerere, & modo huc, modo illuc ſe ſe rotantem vix alicubi pedem figere. Communem iuris naturæ ideam improbat, poſt eam adoptare videtur, & perpetuis antilogiis ſemetipſum iugulat. Paucos ex multis quos ibi errores habet, hic delibabo, graviores *cap. ſeq.* confutaturus. Itaque Puſendorfius *cit. cap.* III. *§.* 13. reiicit communem doctrinam, dictata nempe rationis, quæ honeſtum & inhoneſtum, bonum & malum, modo infra explicando, oſtendunt, homini ab Auctore naturæ indita, exactam præbere iuris naturæ ideam *citra ulteriorem informationem, aut meditationem.... Sic, quod etiam in pueris, & rudi vulgo magna deprehenditur facilitas æquum ab iniquo diſcernendi, id ex adſuetudine provenit; dum a teneris annis, & ſtatim atque uſum aliquem rationis exſerunt, vident bona probari, mala improbari, & illa in laudem, hæc in pœnam ſequi. Quorum quotidianum exercitium, & totius vitæ communis compages ad iſtum modum digeſta, ita animos diſponit, ut paucis dubitare ſuccurrat, an aliter iſta fieri poſſint.* Secundum itaque Puſendorfium principia naturalis iuris, ſeu naturæ lex ex populari informatione, ex uſu, & aſſuetudine hauritur: non inſita, ſed acquiſita eſt, ut clarius ibidem explicat. *Igitur hoc ſenſu lex naturalis nobis dictamen rectæ rationis aſſeritur, quod intellectui humano ea ſit facultas, ut ex contemplatione conditionis humanæ liquido perſpicere poſſit, ad normam eius legis ſibi neceſſario vivendum; ſimulque inveſtigare principium ex quo eiuſdem præcepta ſolide, & plane demonſtrari queant.* Ut hæc confirmet, artificum exempla obtrudit. Iſti, artes ſuas exercentes, quotidie proficiunt: & quamquam ex artis principiis & regulis ignorent ſic agendi rationem demonſtrare; id non impedit

dit quominus illorum opera ſint ad regulas artis exacta. Hæc ſunt Lutheranorum effata poſt *Reformationem* excogitata. Ante hanc *Reformationem* omnes cæcutiere. Interim ante *Deformationem Lutheranam* Ethnicus Marcus Tullius hunc errorem profligavit *Lib. II. de leg.* ex communi Paganorum ſententia inquiens. *Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi, prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam, & ultimam mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex quam dii humano generi dederunt, recte eſt laudata. Eſt enim ratio menſque ſapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea.* Craſſam Puſendorfii aberrationem refellit vel eiuſdem Adnotator Ioannes Nicolaus Hertius in enarratione ad laudatum §. Nec multis eſt opus ut erroris falſitas evincatur. Quid? Homo ergo ab humano commercio ſeiunctus, qui ceterorum hominum diſciplina, & præceptis non imbuatur, lege naturali carebit? Nemo inficiatur, optimam magiſtrorum informationem, educationemque plurimum ad ipſa iuris naturæ decreta felicius penetranda, & exequenda conducere. Sed in hac inſtructione iuris naturæ legem conſtituere, error eſt manifeſtus. Alioquin tot eſſent iuris naturæ leges, quot ſunt magiſtrorum opinationes; quarum pravitate ſæpe puerorum mentes ita inficiuntur, ut a naturali lege deſciſcant, ſubdit idem Marcus Tullius Lib. II. Tuſcul. *Cum vero parentibus redditi, ideſt magiſtris traditi ſumus; tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat.*

IV. Huic errori alium adiicit peiorem Puſendorfius, qui *cit. cap.* §. 14. fundamentum legis naturalis potiſſimum in amore collocat propriæ utilitatis, & commodi: quo poſito, omnis humana ſocietas perturbatur. Hæc ſunt eiuſdem verba. *Id igitur primo homo habet commune cum omnibus animantibus, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſeipſum quammaxime amet, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare, quæ bona ſibi videntur, nitatur adquirere, & mala repellere.... Et iſte quidem cuiuslibet erga ſeipſum amor regulariter tam validus eſt, ut quævis inclinatio erga quemvis alium hominem ipſi cedat.* Doctrina hæc Puſendorfii de iure naturæ, Lutheri Pſeudopatriarchæ ſui doctrinæ de chriſtiana religione, velut ovum ovo, ſimilis eſt. Amor propriæ utilitatis, commodique primum eſt iuris naturæ fundamentum? Quis Ethnicorum tam immane paradoxon commentus umquam fuit, præter unum Epicurum? Sed quæ ſubdit §. 15. audiamus. Sic itaque perſequitur. *Ex hiſce poſitis facile eſt fundamentum legis naturalis invenire, ſcilicet manifeſto adparet hominem eſſe ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum. Eiuſmodi animali, ut ſalvum ſit, boniſque fruatur, quæ in ipſius conditionem heic cadunt, neceſſarium eſt ut ſit ſociabile, ideſt ut coniungi cum ſuis ſimilibus velit... Neque enim per ſocialitatem hanc intelligimus præciſe procli-*

vitatem ad iungendas ſocietates particulares, quæ etiam malo fine & modo iniri poſſunt, ut eſt coniunctio latronum.

V. Plura alia tranſcribere negligo, ut prolixitatem devitem. Illud admoneo, plura eodem in capite Puſendorſium habere quæ vera ſunt, quia communia, & a noſtris accepta Scriptoribus: quæ omnia ipſe implicavit, ut aliquid novi promeret e penu ſuo. Sed vix aliquid illius proprium eſt quod error non ſit. Secum ipſe pugnat, & frigidum, & calidum eodem ore profert. *Loc. cit.* §.20. ſcribit quod ſcilicet *plures homines in libertate naturali conſtituti ad iſta dictata* (rationis) *ſervanda conſpiraverint; diutius tamen eadem haudquaquam ſubſiſtent quam ipſorum conſenſus duraverit. Neque ſolum, ſi omnes, qui conſpiraverunt ſimul, diſcedere placuerit, obligatio expirabit (ſicuti iam quando a pactis mutuo diſſenſu reſilitur, fieri ſuevit); ſed etiam durante eo conſenſu vis obligandi deerit: quippe cum illud dictamen rationis de ſervandis pactis nondum vim legis induerit, id quod ſupponitur; adeoque etiam ſingulis pro libitu, ceteris licet diſſentientibus, ab eiuſmodi placito licebit abire.* Vides hominem philoſophantem, veluti nautam abſque clavo navigantem, huc atque illuc pugnantium fluctuum impetu rapi. Scopum, quo pergat, non habet: quia a certa fixaque communi doctrina deſcivit, ut novus iuris naturæ magiſter appareret. Sed, unde ſibi captare gloriolæ auram credidit, inſcitiæ notam contraxit. Rationis dictata, indita a ſupremo Numine, fixa ſunt, nulli mutationi obnoxia: & ad iſta, ceu ad amuſſim, revocanda ſunt hominum pacta, & commercia: non ab hominum conſenſu, ſed a Deo vim obligandi dictata iſta receperunt, prout infra explicaturi ſumus. Quis inficias ire auſus fuerit, clariſſimum hunc iuris naturæ magiſtrum ad impii Hobbeſii caſtra tranſiiſſe, & ius naturæ in ſola hominum opinione conſtituiſſe? Verum de hoc infra.

VI. Quæ de hominis ſocialitate ſcribit, extranea ſunt, & falſa. Hominem animal ſociale eſſe, non ſibi tantum, ſed aliis natum, fatentur omnes, & ante Puſendorſium, eiuſque Deformationem luculentius hoc docuerunt quotquot hac de re ſcripſere. At nemini umquam in mentem venit, in hac ſocialitate legem naturalem ſitam eſſe. Socialitas hæc materia eſt, a naturæ lege dirigenda. Nonne & bruta ipſa ad mutuam ſocietatem, & coniunctionem inclinant? Datur lex promiſcua, ſeu iuxta Stoicos prima, quæ hanc communem cum brutis ſocialitatem dirigit. Sermo nunc eſt de lege rationis, quæ propria ſolius hominis officia moderatur. Ergo non in ſocialitate, brutis communi, ſed in ratione, homini ſoli propria, ſita eſt lex naturalis. Nec Puſendorſii aberratio maiore confutatione eget.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Homo exlex natura ſua repugnat. Bonitas, & turpitudo ante omnem legem inſunt actionibus. Errores Hobbeſii, Oſiandri, Seldeni, Pufendorfii, *aliorumque Proteſtantium auctoritate M. Tullii Ciceronis refelluntur.*

I. HOmo natura ſua exlex nuncupatur, qui nulla lege ante ſuam liberam determinationem obſtringitur, ſed ei pro ratione & lege ſtat ſua voluntas. Hominem hunc repugnare aſſerimus, quia ante eius liberam determinationem inſunt intrinſecus rebus, ſeu officiis bonitas, aut malitia. Bonum ſitum in ordine eſt, perficitque rem cui ineſt; malum, ſeu turpitudo, quæ in receſſu ab ordine reſidet, eamdem inficit. Omnes actiones humanæ liberæ vel perficiunt corpus animumque, aut imperfectionis labem eiſdem aſpergunt. Si res omnes ante quamcumque legem indifferentes eſſent, homo reipſa natura ſua eſſet exlex: quia innata obligatione conformandi actiones ſuas cum rebus ipſis, modo inferius explicando, minime aſtringeretur. Obligatio enim connexio eſt actionis cum ordine rebus ipſis intrinſecus hærente. Et quoniam ordinem hunc rebus hærere dicimus, ante omnem exteriorem legem, liberumque imperium; idcirco hominem ſubiectum huic obligationi, ſeu connexioni conformandi officia ſua cum ordine aſſerimus. Porro ordo iſte, ipſis rebus inſitus, obiectum eſt iuris, ſeu legis naturalis, prout clarius explicaturus ſum. Bonitas, aut malitia, quas rebus ipſis hærere dicimus, ſintne ante legem omnem fundamentaliter tantum, an formaliter, quæſtio eſt quam Scholaſtici in utramque partem diſputant; & ego infra illam ad criticen revocabo. In præſentia dumtaxat defendimus abſolute, ante omnem legem, bonum, malumque rebus ineſſe contra *Hobbeſium*, *Oſiandrum*, *Pufendorfium*, ceteroſque Proteſtantes, oppoſitum propugnantes.

II. Errores *Hobbeſii*, & *Pufendorfii* propriis ipſorum verbis recenſentur. Defendit impius Thomas Hobbes Anglus, omnia ante legem voluntariam eſſe indifferentia; atque adeo ex ſolo libero beneplacito bona, aut mala evadere. Siquidem de *Cive cap.* XII. *ſec.* I. ſcribit, *regulas boni, & mali, iuſti, & iniuſti, honeſti, & inhoneſti eſſe leges civiles; ideoque quod legislator præceperit, id pro bono, id quod vetuerit, pro malo habendum eſſe*. Quare hoc ceu primum ſui ſyſtematis praiacet fundamentum cit. Lib. de Civ. cap. I. ſect. 10. *Natura dedit unicuique ius in omnia; hoc eſt, in ſtatu mere naturali, ſive antequam homines ullis pactis ſeſe invicem obſtrinxiſſent, unicuique licebat facere quæcumque, & in quoſcumque licebat, &*

poſſidere, *uti*, *frui omnibus quæ volebat*, *&* *poterat*. Quam ſit hæc doctrina ſeditionis, tumultuum, & abſurdorum pleniſſima, nemo non videt. Homines natura pares ſunt? Filius ergo inferior patre non eſt? Iure potiuntur omnes homines eadem ſibi accipiendi bona: & quiſque ſuam exercere poteſtatem valet, ut vi, quæ aliorum ſunt, ſibi comparet; etiamſi opus alterius occiſione fuerit? Eadem ergo res iuſta, & iniuſta erit, idemque ius in eamdem rem habere duo mutuo queunt? Singuli ergo homines in alterius hominis vitam ſtruere inſidias poterunt; & cuique, ut ſuæ conſulat ſecuritati, prævenire alterum, illumque de medio tollere ius erit? Quidni? ſubdit Hobbeſius loc. cit. ſec. 12. *Bellum omnium in omnes*. Et patentius hoc adfirmat cap. v. ſec. 1. *Spes unicuique ſecuritatis*, *conſervationiſque ſuæ in eo ſita eſt*, *ut viribus*, *artibuſque propriis proximum ſuum vel palam*, *vel ex inſidiis præoccupare poſſit*. Item Leviathan cap. XIII. *Securitatis viam maiorem habet nemo anticipatione*. In cuiuſnam mentem veniſſet umquam, tam abſurda paradoxa edi in lucem ab homine ratione prædito potuiſſe? Ut doctrinæ horrorem temperet, generiſque humani declinet invidiam, cogitur ipſemet quamdam naturæ legem admittere. Ut homines, inquit *Lib. de Cive cap.* III. *ſec.* 1. huiuſmodi bellum omnium in omnes devitent, mutuis ſe devincire pactionibus debent. At quæ lex urget ut hæc pacta cuſtodiant? Lex, ſubdit, antecedens contractus iſtos. Extat igitur lex naturæ, hominum decreta antecedens. Pugnat ergo ſecum ſyſtema Hobbeſianum. *Lib. de civ. cap.* XI. *ſec.* 2. hæc habet: *Prima & fundamentalis lex naturæ eſt*, *quærendam eſſe pacem ubi haberi poteſt*. Si prima naturæ lex homines impellit ut mutuis pactis pacem curent; hæc eadem lex damnat bellum omnium contra omnes. Propriis itaque antilogiis Hobbeſius contra ſemetipſum pugnat. Sed, ut clarius pateat quam ſit erroneum Hobbeſianum ſyſtema, hoc pacto diſputo. Ante hominum contractus nulla lex iuſti, aut iniuſti, Hobbeſio teſte. Licite homo ſurripere vitam homini valet, pactis mutuis ſublatis. Quidni & poſt pacta? Cur enim pacta vim obligationis mutuæ inferunt? Quia homines mutua ſe obſtrinxere fide. Sed quæro: cur peccatum eſt hanc mutuam infringere fidem? Hic eſt nodus ſolvendus. Alterutrum enim reſpondendum eſt. Aut regula eſt, cum qua fidei fractio pugnet; & tum ante hominum pacta adeſt regula boni & mali. Aut ſi nulla regula eſt, cui fidei violatio repugnet; tum nullum crimen erit fidem oppignoratam frangere. Si enim lex naturæ ante omnia pacta homicidium non vetat; cur violare promiſſionem factam vetabit? Aut contra, ſi oppignoratam fidem frangere lex naturæ vetat; potiori iure prohibet bellum omnium in omnes, & homicidia privata auctoritate peracta. Bonum ergo, & malum eſt ante hominum pacta.

III. Nonnulla alia ex Hobbeſio tranſcribam, quo evidentius eiuſdem monſtroſa paradoxa manifeſtentur. Conſtituit alterum principium ſui ſyſtematis potiſſimum,

omni-

omnipotentiam videlicet Dei unicum eſſe fundamentum ſui in creaturas iuris ex eo quod nemo poſſit eidem reſiſtere. Hæc ſunt eiuſdem verba Leviathan. cap. XXXI. *Regni divini naturale ius derivatur ab eo quod divinæ potentiæ reſiſtere impoſſibile eſt*. Idque prius dixerat Lib. de Cive cap. XXV. *In regno naturali regnandi, & puniendi eos qui leges ſuas violant, ius Deo eſt a ſola potentia irreſiſtibili.* Ex quibus hanc colligit concluſionem Lib. de Civ. cap. XVII. §. 7. *Quod ſi ius regnandi babeat Deus ab omnipotentia ſua, manifeſtum eſt obligationem ad præſtandum ipſi obedientiam, incumbere hominibus propter imbecillitatem*. Hæc ſunt impia, nedum abſurda, *Hobbeſii* commenta. Creaturarum imbecillitas ratio eſt cur obedire iſtæ Deo debeant? Creaturæ ergo obedire Deo haud aſtringuntur, quod editæ in lucem a Deo ſint, quod conſerventur, quod æquum ſit inferiorem ſuperiorem venerari? Hæc ſunt paradoxa, poſt *Reformationem Lutheranam*, & *Calvinianam* excogitata, omnibus Ethnicorum doctiſſimis viris reclamantibus. Non eſt quod nunc pluribus eadem refellam. Infra quippe palam faciam, naturæ lege, omnem voluntatem antecedente, homines aſtrictos eſſe ad Dei cultum, ad vitanda turpia, agendaque honeſta.

IV. *Samuel Pufendorfius* doctrinam Hobbeſii de indifferentia actionum omnium ad honeſtatem, vel turpitudinem adoptavit, & totis lacertis eam propugnare ſtudet. Scribit enim Lib. I. de iur. nat. & gent. cap. XI. §. 6. *Haudquaquam neceſſarium arbitramur cum nonnullis ſtatuere, quædam per ſe citra omnem impoſitionem eſſe honeſta, aut turpia; & hæc facere obiectum iuris naturalis & perpetui: cum illa, quæ ideo honeſta, aut turpia ſunt, quia legislator voluit, ſub legum poſitivarum cenſum veniant. Cum enim honeſtas, ſive neceſſitas moralis, & turpitudo ſint affectiones actionum humanarum, ortæ ex convenientia, aut diſconvenientia a norma, ſeu lege; lex vero ſit iuſſum ſuperioris; non adparet quomodo honeſtas, aut turpitudo intelligi poſſit ante legem, & citra ſuperioris impoſitionem*. Allegat auctoritatem Seldeni de *I. N. & G.* & poſtea concludit. *Et ſane qui extra impoſitionem divinam moralitatis actionum humanarum æternam aliquam ſtatuunt regulam, nil aliud mihi videntur agere quam ut Deo adiungant principium aliquod coæternum, extrinſecum, quod ipſe in aſſignandis rerum formis ſequi neceſſum habuerit.*

V. Hanc eamdem doctrinam repetit *Lib. II. cap.* CXI. §. 4. Fuſius vero in *Eride ſcandica*, cui inſerta eſt apologia adverſus Nicolaum Beckmanum, ſuæ doctrinæ oppugnatorem, in quem, & in omnes Scholaſticos ſic invehitur pag. 26. *Explicare tamen paullo clarius ibi* (loc. cit.) *tradita placet, ut eo manifeſtius conſtet Aſinium Tenebriorem omnibus ſycophantis, & nebulonibus palmam præripere. Quando igitur a Scholaſticis inquirebatur, quodnam diſcriminis eſſet inter ea quæ naturali, & quæ poſitiva lege vetantur, aut præcipiuntur; id demum ab uno, vel altero pronuntiatum in tralatitium dogma invaluit, ut quæ lege naturæ præcipiuntur, aut ve-*

tantur, in ſe, & ſua natura honeſta, aut turpia eſſe; quæ vero poſitiva, per voluntatem, & imperium legislatoris talia fieri dicerentur. Et admiſiſſe, ut hæc fortaſſe commodam explicationem, modo certum conſtituiſſent γνώρισμα, *ex quo liquido conſtaret, an, & cur aliquid in ſe eſſet honeſtum, vel turpe. Id dum non fecerunt, neceſſum fuit prævenire definitionem legis naturalis, quæ non poſſet non in circulum revolvi, & petere id quod eſt in principio. Si enim quæras ex iſtis hominibus, de quibuſnam lege naturali diſponatur? reſpondent de iis quæ per ſe, & ſua natura honeſta, vel turpia ſunt. Sin ulterius quæras: Quænam autem ſunt illa per ſe & ſua natura honeſta, vel turpia? nihil aliud habent quod reſpondeant, quam ea de quibus lege naturæ diſponitur. Ex quo & aliud horribile abſurdum conſequitur: ſi nempe datur aliquid honeſtum in ſe antecedenter ad Deum, vel admittendum eſſe fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus; vel dari aliquod principium, Deo prius, aut coæternum, formas rerum quaſi determinans, & ſpecificans, cui ne Deus quidem contravenire debeat, aut poſſit. Quo cum nihil ſtolidius fingi poſſe videatur, ſæpe miratus ſum, non Grotium ſolum, ſed & pleroſque ex noſtratibus Theologis iſtam aſſertionem citra ullam dubitationem paſſim aſſumere.*

VI. Eccur *Grotium*, & pleroſque Lutheranos ſuos demiratus dumtaxat eſt? Latuit ne Pufendorfium, omnes & Paganorum, & Chriſtianorum ſapientes citra ullam dubitationem errorem hunc craſſiſſimum unanimi conſenſione labefactaſſe? Hugo Grotius vir gravis, doctuſque communem amplexatus doctrinam eſt: quia inter Proteſtantes unus fuit qui non adeo, ut communiter ceteri, deſiperet. Quid horribile obtrudis abſurdum, admittendum eſſe fatum Stoicum, aut principium Deo prius, aut coæternum? Nugæ iſtæ ſunt, & gerræ. Divina eſſentia, quæ Dei intellectum, voluntatemque præcedere concipitur, omnium rerum fons, & exemplar eſt: omniaque creata ad illam, tamquam ad normam, ordinem habent. Hanc ſuam eſſentiam Deus contemplans videt quæ neceſſarium, & quæ liberum ordinem exprimunt. Spectat plurima, quæ neceſſariam cum eadem relationem habent; & hæc honeſta: alia, quæ neceſſario cum ea pugnant; & hæc turpia ſunt. At iterum ovans, & veluti triumphabundus clamat, nos circulo vitioſo involvi & implicari. Si enim quæras, ſubdit, *ex iſtis hominibus*, cur hæc turpia, cur illa honeſta; reſpondent, quia pugnant cum prima, & neceſſaria regula. Si ulterius perconteris, cur ante omnem legem pugnent, aut conſentanea eidem regulæ ſint; reponunt, quia aut turpia, aut honeſta ſunt natura ſua. Et en illos perpetuo involutos circulo. Eadem ſemper chorda oberrat *Pufendorfius*, & ſophiſtam agit. Circulum ipſe ſibi fingit, & cavillatur. Nos dicimus, ideo res turpes, aut bonas eſſe: quia aut ordinem produnt cum eſſentia divina, prima regula, & omnium rerum fonte; aut ab eadem deflectunt. Si autem ultra pergis, & inquiras, cur ante omnem legem conſentanea, aut diſſentanea ſint primæ regulæ; non repo-

reponimus, quia aut turpia, aut honeſta ſunt. Sed dicimus, quia omnes res creatæ pendent ab eſſentia divina, tamquam a prima cauſſa exemplari, ſeu a prima archetypa idea, quam Deus contemplans omnia creat, diſponit, & ordinat. En principium, in quo ſiſtimus. Quodnam hic vitioſi circuli veſtigium? Aut negat *Puſendorſius*, omnia a divina eſſentia, tamquam a prima exemplari cauſſa, pendere, & ab ipſo Deo, tamquam ab effectrice cauſſa, produci; aut ſecus. Si primum; Atheiſmum prodit. Si ſecundum; ergo aut ordinem exprimunt cum divina eſſentia, & ecce honeſtatem; aut eidem diſſentanea ſunt, & ecce turpitudinem. Cedo. Cur paries iſte diſtortus ſit? Quia, inquis, ad normam non conformatur. Bene habet. Sin ulterius pergo percontari: Eccur ad normam non conformatur? quid repones? Non aliud ſane, niſi quia a norma recedit. Circulo ne vitioſo implicaris? Ediſſere, cur par, & impar pugnent? Cur duo, & tria conficiunt quinque? Quid hiſcit homo iuris naturæ illuſtrator? Quis non videt, baculo Ariſtotelæo, ut aiunt, non argumentatione confutandos illos eſſe ſophiſtas qui prima principia, & quæ natura ſua nota ſunt, demonſtratione evincenda contendunt? Aſinium Tenebrionem, & omnibus ſycophantis, & nebulonibus nequiorem poſtulat Nicolaum Beckmanum Lutheranum, ſed poſtea, eiurata Lutherana hæreſi, Catholicum, quod errorem hunc refutaverit. Nihil ſtolidius inclamat, quam aliqua conſtituere quæ turpia, aut honeſta ſint antecedenter ad legem voluntariam. Nos, utpote honeſtatis amatores, non quibus ille meretur, ſed iis quæ nos decent, vocibus ab illo percontabimur, an, ſicut tria, & duo ſunt æqualia quinque, ita quinque ſint æqualia tribus, & duobus antecedenter ad omnem legem? Quidquam ne ſtoliditatis redolet, aſſerere has veritates diſputandas eſſe? Minus ne veræ hæ ſunt propoſitiones, quæ praxim ſpectant? Deus eſt colendus, vitandum mendacium, periurium, fraus. Deo nec placere, nec probari flagitium poteſt. Nullum Deo principium prius; ſed ab æterna eſſentia divina, ceu a prima regula, neceſſario rerum ordines dimanant. Poteſt Deus creare, aut non creare pro ſuo arbitrio quæ ei libuerit; at poſito quod aliqua creare velit, iuxta ordinem neceſſarium, quem hæc exprimunt cum ſua divina eſſentia, regula prima omnium rerum, diſponere illa debet, ut mox fuſius dicturus ſum.

VII. Interim lubet auctoritate M. Tullii Ciceronis recenſitos Proteſtantium errores labefactare. Stoliditatis arguit Puſendorſius Scholaſticos, quod doceant, natura ſua honeſta, aut turpia eſſe quæ naturæ lege præcipiuntur, aut vetantur. Contra Cicero dementiæ dicam impingit *Hobbeſio*, *Puſendorſio*, *Seldeno*, *Oſiandro*, ceteriſque Proteſtantibus, qui oppoſitum docent. Et primum illum craſſiſſimum errorem convellit quem ſuperiore capite exploſi, quo nempe ab utilitate, iuris naturæ principia repetuntur. Inquit enim Lib. I. de leg. *Si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda ſunt; negliget leges, eaſque perrumpet, ſi poterit, is qui ſibi eam*

rem

rem fructuoſam putabit fore. Ita fit ut nulla ſit omnino iuſtitia, ſi neque natura eſt, & ea quæ propter utilitatem conſtituitur, utilitate alia convellitur, atque ſi natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollantur. Ubi enim liberalitas? Ubi patriæ caritas? Ubi pietas? Ubi aut benemerendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit exiſtere? Nam hæc naſcuntur ex eo quod natura propenſi ſumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris eſt.... Quod ſi populorum iuſſis, ſi Principum decretis, ſi ſententiis iudicum iura conſtituerentur, ius eſſet latrocinari, ius adulterare, ius teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur.

VIII. Nec eſt quod Puſendorfius obtrudat *Lib. II. cap.* CXI. §. 4. Deum reapſe prohibuiſſe turpia, & præcepiſſe honeſta; atque adeo ſupervacaneum fore, & petulans quærere quid facere potuerit, cum conſtet quid fecerit. Nam reponit continuo Cicero. *Quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententiis, atque iuſſis, ut eorum ſuffragiis rerum natura vertatur; cur non ſanciunt ut quæ mala, pernicioſaque ſunt, habeantur pro bonis, ac ſalutaribus? Aut cur, cum ius ex iniuria lex facere poſſit, bonum eadem facere non poſſit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia via, niſi naturæ norma dividere poſſumus, nec ſolum ius, & iniuria diiudicatur, ſed omnino omnia honeſta, ac turpia: nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaque in animis noſtris inchoavit, ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione exiſtimare, non in natura poſita, vere dementis eſt.* Nec dementiæ notam *Puſendorfius* diluit, dum argutatur, petulantiam eſſe inquirere quid Deus facere potuerit, cum conſtet quid fecerit. Nam iure & evidenter inferimus, Deum potuiſſe mendacium, odium, fraudem præcipere, poſitione facta quod indifferentia omnino ſint officia hæc. An non quilibet legiſlator præcipere, aut vetare iure valet ea quæ natura ſua indifferentia ſunt, dum, omnibus penſatis, id expedire bono publico iudicaverit? Quid ni ergo & Deus? His anguſtiis preſſus Puſendorfius ſecum pugnat, *cit. Lib. II. cap.* CXI. §. 4. Fatetur ex una parte, poſtquam deſtinavit Deus creare animal rationale, & ſociale, neceſſitate hypothetica conſequi ut legem eidem congruentem aptare debuerit; at ſimul inclamat, hoc minime impedire quin omnes actiones ante legem fuerint indifferentes. Quæ contradictio adeo manifeſta eſt, ut nulla egeat confutatione. Barbeyracus irrito conatu defendere in notis ad Gallicam verſionem Puſendorfium adnititur. At ego, ne prolixior ſim, eiuſdem cavillationes, ut inanes, prætereo.

C A-

C A P U T X.

S. Thomas *in anteceſſum errores* Hobbeſii, Pufendorſii, *aliorumque labefactavit. Invictis argumentis probat, honeſtatem, & turpitudinem actionibus ineſſe ante omnem legem.*

I. CAput iſtud eo ſpectat, ut quorumdam ſciolorum inſcitiam redarguam, & Lutheranorum, Calviniſtarumque, ſibi iuris naturæ illuſtrationem falſo vindicantium, feſtivam iactantiam, ne dicam petulantiam, retundam. Quod ut præſtem, ob oculos repræſentare quæ adverſus iſtorum errores in anteceſſum Angelicus Doctor ſcripſit, operæ pretium exiſtimavi. Capite ſuperiore unius Ethnici Ciceronis teſtimoniis Hobbeſianos, & Pufendorſianos errores profligavi. In præſentia unius Eccleſiæ Romanæ Doctoris argumentationibus eoſdem labefactare errores in votis ac animo eſt. Prolixa ſunt quæ ex Angelico tranſcribam, ſed utilia. Colligent quippe heinc Pufendorſiani, quanta argumentorum copia, quantaque orationis perſpicuitate veritates quæ nunc in diſcrimen adducuntur, firmaverit, atque a pluribus ſæculis muniverit AQUINAS noſter, iuxta quem, velint, nolint, noctuæ in conſpectu ſolis, & pygmæi in conſpectu gigantis ſunt novi aquilonares iuris interpretes.

II. Controverſiam noſtram ex inſtituto S. Thomas dirimit, & omni argumentorum genere evincit *Lib. III. cont. Gent. cap.* CXXIX. cuius hic eſt titulus: *Quod in actibus humanis ſunt aliqua recta ſecundum naturam, & non ſolum quaſi lege poſita.* Hanc theſim ſequentibus argumentis demonſtrat.

III. *Ex præmiſſis autem apparet quod ea quæ lege præcipiuntur, rectitudinem habent, non ſolum quia ſunt lege poſita, ſed etiam ſecundum naturam.*

1. Ex præceptis enim legis divinæ mens hominis ordinatur ſub Deo, & omnia alia quæ ſunt in homine ſub ratione. Hoc autem naturalis ordo requirit, quod inferiora ſuperioribus ſubdantur. Sunt igitur ea quæ lege divina præcipiuntur, ſecundum ſe naturaliter recta.

2. Præterea. Homines ex divina providentia ſortiuntur naturale indicatorium rationis, ut principium propriarum operationum. Naturalia autem principia ad ea ordinantur quæ ſunt naturaliter. Sunt igitur aliquæ operationes naturaliter homini convenientes, quæ ſunt ſecundum ſe rectæ, & non ſolum quaſi lege poſitæ.

3. Præterea. Quorumcumque eſt natura determinata, oportet eſſe operationes determinatas, quæ illi naturæ conveniunt: propria enim operatio uniuſcuiuſque natu-

ram

ram ipſius ſequitur. Conſtat autem hominum naturam eſſe determinatam. Oportet igitur operationes eſſe aliquas ſecundum ſe homini convenientes.

4. *Adhuc. Cuicumque eſt aliquid naturale, oportet etiam eſſe naturale id ſine quo illud haberi non poteſt: natura enim non deficit in neceſſariis. Eſt autem homini naturale quod ſit animal ſociale, quod ex hoc oſtenditur quod unus homo ſolus non ſufficit ad omnia quæ ſunt humanæ vitæ neceſſaria. Ea igitur ſine quibus ſocietas humana conſervari non poteſt, ſunt homini naturaliter convenientia. Huiuſmodi autem ſunt unicuique, quod ſuum eſt, conſervare, & ab iniuriis abſtinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus recta.*

5. *Amplius. Supra oſtenſum eſt quod omnis homo naturaliter hoc habet quod utatur rebus inferioribus ad ſuæ vitæ neceſſitatem. Eſt autem aliqua menſura determinata, ſecundum quam uſus prædictarum rerum humanæ vitæ eſt conveniens: quæ quidem menſura ſi prætermittatur, ſit homini nocivum; ſicut apparet in ſumptione inordinata ciborum. Sunt igitur aliqui actus homini naturaliter convenientes.*

6. *Item. Secundum naturalem ordinem corpus hominis eſt propter animam, & inferiores virtutes animæ propter rationem; ſicut & in aliis rebus materia eſt propter formam, & inſtrumenta propter principalem agentem. Ex eo autem quod eſt ad aliud ordinatum, dicitur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. Eſt igitur naturaliter rectum quod ſic procuretur ab homine corpus, & inferiores vires animæ, ut ex hoc & actus rationis, & bonum ipſius minime impediatur, magis autem iuvetur. Si autem ſecus accideret, erit naturaliter peccatum. Vinolentiæ igitur, & comeſſationes, & inordinatus venereorum uſus, per quæ actus rationis impeditur, & ſubdi paſſionibus, quæ liberum iudicium rationis eſſe non ſinunt, ſunt naturaliter mala.*

7. *Præterea. Unicuique naturaliter conveniunt ea quibus tendit in ſuum finem naturalem. Quæ autem e contrario ſe habent, ſunt ei naturaliter inconvenientia. Oſtenſum eſt enim ſupra quod homo naturaliter ordinatur in Deum ſicut in finem. Ea igitur quibus homo inducitur in cognitionem, & amorem Dei, ſunt naturaliter recta. Quæcumque vero e contrario ſe habent, ſunt homini naturaliter mala. Patet igitur quod bonum, & malum in humanis actibus non ſolum ſunt ſecundum legis poſitionem, ſed etiam ſecundum naturalem ordinem. Hinc eſt quod in Pſal.* XVIII. *dicitur, quod iudicia Domini ſunt vera, iuſtificata in ſemetipſis. Per hoc autem excluditur poſitio dicentium, quod iuſta & recta ſunt ſecundum legem poſita.*

IV. En quam verum ſit id quod initio dixi, S. Thomam Hobbeſianos, Puſendorfianoſque errores præſocaſſe. Iampridem enim ante S. Doctorem errores huiuſmodi evulgati erant. Quare, ſicut Pſeudopatriarcha Lutherus in religionis negotio non novas, ſed antiquas ex orco revocavit hæreſes; ſic eiuſdem diſcipuli in iuris naturæ controverſiis, non novi quidquam, ſed vetuſtos errores in ſcenam redu-

reduxerunt. Non eſt ergo, ut inquit Hieronymus adverſus Vigilantium, quod gloriari queant, quaſi ſint novi ſceleris repertores. Erumpant in medium omnes Hobbeſiani, & Pufendorfiani, & agmine facto, ſeptem quæ ab Angelico Doctore producta argumenta ſunt, aggrediantur. Nihil hactenus adverſus eadem excogitarunt. An negabunt novi iſti iuris naturæ inſtauratores, partem inferiorem eſſe toto, atque propter totum factam, corpus ſpiritui, inferiora ſuperioribus, & creata omnia Deo ſubiecta? Negabunt ne hominem ratione præditum, atque animal ſociale? Ergo normam ad quam hæc ſocialitas conformetur, admittant oportet. Porro norma & regula iſtius ſocialitatis, quæ omnem legem antecedit, eſt quod unicuique id quod ſuum eſt, conſervetur, & ab iniuriis abſtineatur. Sine iſtis quippe conſiſtere ſocialitas nequit. Non ergo ſocialitas ipſa norma eſt, ſed materia normæ ſubiecta. Si homo in ſe ſpectetur, an pluribus non eget ut vivat? Nonne ante omnem legem inordinata ciborum ſumptio noxia eidem eſt? Evidenter itaque conſtat humanis actibus ordinem naturalem ineſſe, qui regula bonitatis, aut malitiæ ſit. Hæc adeo luculenta ſunt, ut diſputando obſcurentur potius quam illuſtrentur. Quoniam, inquit M. Tullius, ius eſt *non ſcriptum, ſed natum: quod non didicimus, accepimus, legimus; verum a natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

V. Sed ipſum S. Paulum audiamus ad Rom. 11. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex.* Ut omnia quæ hoc in capite dicta ſunt, magis ſint tibi perſpicua, ob oculos habeas velim illud luculentum S. Thomæ principium, nempe, *Homines ex divina providentia ſortiuntur naturale iudicatorium rationis, ut principium propriarum operationum. Naturalia autem principia ad ea ordinantur quæ ſunt naturaliter. Sunt igitur aliquæ operationes naturaliter homini convenientes, quæ ſunt ſecundum ſe rectæ, & non ſolum quaſi lege poſitæ.* Inditum homini eſt naturale iudicium rationis? Ergo neceſſario conſequitur, admittendum eſſe in actionibus ipſis iſtius iudicii obiectum. Hoc autem obiectum eſt rectitudo, quæ ſcilicet obiectiva appellatur. Prætereo docta commentaria in hunc articulum Franciſci Ferrarienſis, inter Scholaſticos, quos novi iuris interpretes derident, valde celebris.

C A.

CAPUT XI.

Fundamentalis ne, an formalis dicenda ſit honeſtas, vel malitia, quæ antecedenter ad legem actionibus hæret.

I. PRopoſitæ quæſtioni anſam dedit P. Gabriel Vaſquez vir acerrimi ingenii, qui 1. 2. *diſp.* cl. *cap.* 111. defendit, naturam rationalem eſſe primam honeſtatis moralis regulam. Si huic naturæ actus conformes fuerint, honeſti; ſi difformes, turpes fiunt. Ratio P. Vaſquezii eſt doctrina ſuperiore capite tradita. Sunt, inquit ille, actiones natura ſua & intrinſecus ita malæ, ut nulla extante lege, ſive æterna Dei, ſive iudicio rationis prohibente, malitiam prodant: & e contrario aliæ ſunt natura ſua ita honeſtæ, ut antecedenter ad omnem divinam voluntatem, & rationis dictata tales ſint. Porro aliqua aſſignari regula debet huius honeſtatis, vel malitiæ. Non voluntas divina, non iudicium rationis. Ergo ipſa natura rationalis ſecundum ſuam eſſentiam ſpectata.

II. Hæc doctrina, inquit eximius Doctor P. Suarez *Lib. I. de leg. cap.* v. *num.* 5. quatenus ſpectat honeſtatem, aut malitiam, intrinſecus actionibus quibuſdam hærentes, vera eſt; falſa vero, prout loco naturalis legis prohibentis, aut vetantis aſſignat ipſam animam rationalem. Quandoquidem natura rationalis, abſolute ſpectata ſecundum ſua prædicata eſſentialia, nec præcipit, nec prohibet, nec dirigit, nec illuminat. Ergo legis notionem habere nequit.

III. Communiter Theologi omnes ſententiam P. Vaſquez reiiciunt: & licet verum ſit actiones plures intrinſecus honeſtas, aut turpes eſſe; falſum tamen eſt illarum honeſtatem, aut turpitudinem repetendam eſſe a difformitate, aut conformitate cum ipſa animæ rationalis eſſentia ob rationem aſſignatam.

IV. Porro Theologi communiter, ut ab argumentatione P. Vaſquezii, propugnantis intrinſecam actuum humanorum honeſtatem antecedenter ad iudicium rationis, voluntatemque Dei, ſeſe expediant, reſpondent, actiones antecedenter ad omnem legem honeſtas, aut turpes eſſe fundamentaliter, ſecus formaliter. Salmanticenſes *tract.* xx. *cap.* 11. *punct.* 3. *num.* 5. inquiunt: *Si enim amor Dei non præciperetur ab aliqua lege, non eſſet bonus formaliter, ſed tantum fundamentaliter: & ſimiliter odium Dei, niſi aliqua lege prohiberetur, tantum eſſet malum, & peccatum initiative, & fundamentaliter.* Pro hac ſententia laudant ceteros Thomiſtas.

V. P. Ignatius de Camargo *Lib. II. contr.* IV. *art.* I. *num.* 24. vir meo quidem iudicio perſpicaciſſimus, fatetur, maximum fore abſurdum, quod recenſita obiecta poſ-

poſſent, aut non poſſent prohiberi. Quemadmodum nos adverſus *Hobbeſium* & *Pufendorſium* demonſtravimus reapſe ita evenire poſſe, ſi amor Dei, odium Dei, fraus, mendacium, ſimileſque actiones eſſent omnino indifferentes. Verum, ut aliqua actio non contingenter, ſed neceſſario a lege æterna Dei & naturali præcipiatur, aut prohibeatur, opus haudquaquam eſt ut in ſigno antecedente legem æternam præcipientem, aut prohibentem habeat conſummatam perfectamque bonitatem, aut malitiam moralem; ſed ſat eſt quod ſit natura ſua vel conformis, vel repugnans ultimo fini naturæ rationalis, ſeu eſſentiæ divinæ, primæ regulæ & menſuræ cuiuſque moralitatis per acceſſum, aut receſſum ab illa: hoc ipſo enim debet neceſſario aut præcipi, aut prohiberi ab Auctore naturæ. In illo ergo ſigno priori ad legem laudatæ actiones habent malitiam, vel bonitatem, non perfectam, ſed inchoatam, vialem, imperfectam, quæ appellari *fundamentalis* ſolet.

VI. Nemo non videt, quæſtionem hanc verborum eſſe, non rei. Theologi iſti omnes in id conſentiunt, quod actiones quæ conſtituunt obiectum iuris naturalis præcipientis, aut vetantis, non eſſe indifferentes, ſed natura ſua repugnantes, aut convenientes ultimo fini creaturæ rationalis in ſigno antecedente omnem legem. Heinc legitime inferunt, neceſſario, & non libere, prohibendas, aut præcipiendas a Deo auctore naturæ eſſe. Quod poſtea honeſtas, aut malitia, quæ in hoc acceſſu, vel receſſu ab ultimo fine fundatur, ſit vialis, inchoata, & imperfecta, aut formalis, & perfecta; nominis, non rei, aut ſaltem minimi momenti quæſtio eſt. Nam tota controverſia verſatur circa conceptiones obiectivas, & rationis ſigna. Nullum quippe temporis momentum eſt in quo, exempli gratia, odium Dei, mendacium, blaſphemia, & cetera huiuſmodi non fuerint prohibita. Quare ſemper, & ab æterno eiuſmodi actiones reipſa malæ formaliter fuerunt. Solum ergo diſputatur, utrum in illo ſigno in quo intellectus metaphyſica præciſione conſiderat laudatas actiones conſentaneas, aut diſſentaneas ordini, ultimoque fini creaturæ rationalis, ante legem æternam, & naturalem, in ſigno poſteriori eaſdem vetantes, formalem perfectamque, aut vialem & imperfectam malitiam, honeſtatemve prodant.

VII. Quamquam res tanti momenti non ſit, ut ſeverius exigat examen; tamen, ut mea præfert opinio, ſi preſſe, & metaphyſico rigore loquendum ſit, hæc ſcholaſticorum Theologorum doctrina vera eſt. Tum quod nulla actio quæ plures excipit metaphyſicas præciſiones, & conceptiones, totam ſuam aut bonitatem, aut malitiam haurit ab uno ſolo reſpectu, ſeu ſecundum unam ſolam conſiderationem, ſed ſecundum ea omnia quæ actio illa neceſſario reipſa exigit. Porro actio ſuapte natura inordinata, ut odium Dei, neceſſario vetari exigit. Ergo conſummatam perfectamque malitiam ſuam accipit tum ab ipſa repugnantia cum ulti-

ultimo fine, tum a lege æterna & naturali, illam neceſſario prohibente. Tum quod hoc pacto conſiſtit communis SS. Patrum, & Theologorum loquendi uſus: omnes quippe Patres, & Theologi per ordinem adverſus legem peccatum definiunt. S. Auguſtinus *Lib. XXII. contr. Fauſt. cap.* XXVI. hanc peccati definitionem, ab omnibus Theologis ſuſceptam, tradit. Peccatum eſt *dictum, factum, concupitum contra legem æternam Dei. Eſt autem lex æterna ratio, vel voluntas Dei.* Item ad illa *Pſalmi* CXVIII. verba, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, idemmet Auguſtinus inquit: *Si prævaricatores ſunt omnes peccatores terræ, nullum eſt utique ſine prævaricatione peccatum: nulla eſt prævaricatio ſine lege: nullum eſt igitur, niſi in lege, peccatum.* Tandem idem Auguſtinus Lib. de peccat. merit. & remiſ. cap. XVI. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus iubeatur ut non ſit.* Similia habent ceteri Patres, qui non ſecundum metaphyſicas præciſiones, ſed ut reipſa peccatum perpetratur, definiunt. Porro reipſa perpetrari peccatum contra legem naturæ nequit, niſi violando legem: quia ab æterno lex æterna actiones ſua natura turpes prohibuit.

VIII. Finem huic capiti imponit Doctor Angelicus, qui de more & difficultatem, & reſolutionem paucis, ſed ſignificantibus verbis, nobis exhibet. Totam quam hactenus verſavimus difficultatem ſibi opponit 1. 2. quæſt. LXXI. art. 6. arg. 4. *Ex hoc dicitur aliquid eſſe prohibitum, quia legi contrariatur. Sed non omnia peccata ſunt mala, quia prohibita; ſed quædam ſunt prohibita, quia mala. Non ergo in communi definitione peccati debuit poni, quod ſit contra legem Dei.* Cui argumento hoc præbet reſponſum. *Dicendum, quod cum dicitur, quod non omne peccatum ideo eſt malum, quia eſt prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius poſitivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, ſecundario vero in naturali iudicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum eſt malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipſo quod eſt inordinatum, iuri naturali repugnat.* Capite ſuperiore ſeptem argumentis demonſtravit Angelicus Doctor ante legis poſitionem plures actiones aut inordinatas, aut ordinatas eſſe, atque adeo turpes, aut honeſtas. Ergo aut repugnant iuri naturæ, aut conveniunt. Ergo prohibendæ, aut iubendæ. In ſigno antecedenter ad legem illam turpitudinem inordinatam, aut honeſtatem ordinatam habent, quæ neceſſariam exigunt aut prohibitionem, aut iuſſionem. Poſita neceſſaria lege aut prohibente, aut vetante, tum completa conſummataque malitia plenæ ſunt.

IX. Fuſius fortaſſe quam par fuerat, diſputatum hoc de argumento eſt: non inficior. Sed idcirco tribus integris capitibus hanc diſpicere quæſtionem volui, ut pudore ſuffundantur iactabundi iuris naturæ interpretes novi, qui eiuſdem naturæ inſcitiam exprobrare Theologis ſcholaſticis non erubeſcunt. Quis namque illorum Proteſtantium, qui errores *Hobbeſii*, & *Puſendorſii* confutarunt, tanta præciſione

per-

perſpicuitate, & argumentorum copia ſpartam hanc exornavit? Nemo ſane. Sileant ergo, ſuaſque impoſturas adverſus Scholaſticos retractent.

CAPUT XII.

Legis naturalis pictura. In quo ſita vera illis notio ſit, ex doctrina S. Thomæ explicatur.

I. HActenus de materia legi naturali ſubiecta; in præſentia de ipſa lege diſputandum eſt. Lex naturalis primum omnium conſiderari ſub duplici aſpectu poteſt, nempe reſpectu hominis, & Dei. Si comparate ad hominem ſpectetur, duplicem prodit relationem, alteram obiectivam, quæ eſt ordo ille rebus inhærens de quo ſupra ſermo fuit; alteram formalem, ipſi intellectui hærentem, ſcilicet lumen illud quo ordo rebus inſitus cognoſcitur. Lex naturalis in Deo naturæ auctore duplicem quoque reſpectum prodit: alterum obiectivum, qui eſt ipſa eſſentia Dei, idea archetypa, & exemplaris omnium ordinum, rerumque creatarum; alterum formalem, qui eſt ipſa æterna ratio, qua Deus, ſuam infinitam eſſentiam, omneſque ordines, & rerum relationes cum eadem neceſſario connexas contemplando, omnia decernit, præcipit, aut vetat iuxta ordinem & relationem, aut repugnantiam cum eadem divina ſua eſſentia. Lex ergo æterna reſpectu Dei eſt ipſa æterna ratio, quæ, ſuam eſſentiam meditando, ſecundum ordinem rerum ad ipſam, vel ab eadem receſſum, præcipit, aut vetat. Heinc poteſt utique Deus creaturas producere, & non producere; at, facta poſitione quod velit eaſdem creare, ſervandi ſunt ordines quos res producendæ habent cum ultimo fine, ſuaque divina eſſentia. Igitur lex æterna *prima* regula eſt; lumen animæ rationali impreſſum *ſecunda* cuiuſque humanæ operationis. Quæ omnia perſpicue docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XCI. art. 2. *Lex, cum ſit regula, & menſura, dupliciter poteſt eſſe in aliquo: uno modo ſicut in regulante, & menſurante; alio modo ſicut in regulato, & menſurato: quia, inquantum participat aliquid de regula, vel menſura, ſic regulatur, vel menſuratur. Unde, cum omnia quæ divinæ providentiæ ſubduntur, a lege æterna regulentur, & menſurentur, manifeſtum eſt quod omnia participant aliqualiter legem æternam, inquantum ſcilicet ex impreſſione eius habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cetera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ ſubiacet, inquantum & ipſa ſit providentiæ particeps, ſibi ipſi, & aliis providens. Unde & in ipſa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.* David Propheta, ſubdit Angelicus, hanc quæſtionem proponit illorum ore qui iuſtitiæ opera ſibi manifeſtari poſtula-

bant. *Quibuſdam quærentibus* (pergit S. Thomas) *quæ ſint iuſtitiæ opera, ſubiungit :* Multi dicunt : Quis oſtendit nobis bona ? *Cui quæſtioni reſpondens dicit :* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; *quaſi lumen rationis naturalis, quo diſcernimus quid ſit bonum, & quid ſit malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit quam impreſſio divini luminis in nobis. Unde patet quod lex naturalis nil aliud eſt quam participatio legis æternæ in rationali creatura.*

II. Hæc eſt veluti generalis pictura, ſeu ſpecimen quoddam legis naturalis. De eiuſdem notione diſputant Theologi. Aliqui pro eodem accipiunt legem naturalem, ſynderesim, & conſcientiam : quæ tria tamen maxime differunt. Nam lex naturalis eſt ordinatio rationis nobis a Deo impreſſa; ſynderesis lumen eſt naturale, quo ipſam divinam ordinationem cognoſcimus; conſcientia vero dictamen practicum intellectus eſt, quo legem ipſam applicamus, & iudicamus quid hic & nunc agendum ſit. Synderesis verſatur circa principia generalia abſque ullo diſcurſu, quæ ignorare nemo valet; ut bonum eſt amandum, malum fugiendum. Conſcientia contra, media ratiocinatione, ſeu, ut ait Angelicus, *ſyllogiſmo practico* ſuas elicit concluſiones. Heinc tot conſcientiæ, quot homines; immo idem homo pro temporum, affectuum, & cognitionum diverſitate, variam ſibi conſcientiam format. Lex autem naturalis ſemper eadem eſt, ſemperque ſibi conſtans.

III. Legis naturalis ideam aliqui collocant in ipſa natura rationali ſecundum ſe ſpectata. Alii legem hanc contendunt eſſe ipſum lumen naturale, quo diſcernimus honeſta, & turpia; non tamen in ipſo actu diſcernendi, ſed in habitu eam conſtituunt. Plures alii eam in ipſo actu ſitam volunt. Primam opinionem ſupra reieci. Videndum itaque, ſita ne ſit lex iſta in habitu, vel in actu, aut in potentia, vel in ipſo lumine.

IV. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCIV. *art.* 1. docet, legem naturalem non eſſe habitum proprie acceptum, inquiens : *Dicendum, quod aliquid poteſt dici eſſe habitus dupliciter. Uno modo proprie, & eſſentialiter ; & ſic lex naturalis non eſt habitus. Dictum eſt enim ſupra, quod lex naturalis eſt aliquid per rationem conſtitutum; ſicut etiam propoſitio eſt quoddam opus rationis. Non eſt autem idem, quod quis agit, & quo quis agit. Aliquis enim per habitum Grammaticæ agit orationem congruam. Cum igitur habitus ſit quo quis agit, non poteſt eſſe quod lex aliqua ſit habitus proprie, & eſſentialiter. Alio modo poteſt dici habitus id quod habitu tenetur ; ſicut dicitur fides id quod fide tenetur. Et hoc modo, quia præcepta legis naturalis quandoque conſiderantur in actu a ratione, quandoque autem ſunt in ea habitualiter tantum, ſecundum hunc modum poteſt dici, quod lex naturalis ſit habitus ; ſicut etiam principia indemonſtrabilia in ſpeculativis non ſunt ipſi habitus principiorum, ſed ſunt principia, quorum eſt habitus.*

V.

Digitized by Google

V. Lex itaque naturalis non eſt habitus proprie acceptus, neque potentia, neque actus. Quid ergo? Reſpondet S. Thomas, qui hæc tria ſibi opponit 1. 2. quæſt. xc. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod ſicut in actibus exterioribus eſt conſiderare operationem, & operatum, puta ædificationem, & ædificatum; ita in operibus rationis eſt conſiderare ipſum actum rationis, qui eſt intelligere, & ratiocinari, & aliquid per huiuſmodi actum conſtitutum: quod quidem in ſpeculativa ratione primo quidem eſt definitio, ſecundo enuntiatio, tertio vero ſyllogiſmus, vel argumentatio. Et quia etiam ratio practica utitur quodam ſyllogiſmo in operabilibus ... ideo eſt invenire aliquid in ratione practica quod ita ſe habeat ad operationes ſicut ſe habet propoſitio in ratione ſpeculativa ad concluſiones: & huiuſmodi propoſitiones univerſales rationis practicæ ordinatæ ad actiones habent rationem legis: quæ quidem propoſitiones aliquando actualiter conſiderantur, aliquando vero habitualiter à ratione tenentur.*

VI. Lex itaque naturalis non eſt habitus, neque potentia, neque actus; ſed propoſitiones univerſales, non enuntiativæ, ut ſunt propoſitiones intellectus ſpeculativi, ſed præcipientes bonum, & vetantes malum, legem naturalem conſtituunt. Idcirco S. Thomas vocat has propoſitiones univerſales rationis practicæ ordinatas ad operationem. Hæ propoſitiones, ſeu hæc dictata ſunt nobis inſita ab ipſo Deo; ſuntque participationes legis æternæ Dei: & quamquam habitus proprie non ſint, ſunt tamen permanentes, & fixæ in mente noſtra. Lex iſta neque lumen, ſi preſſe loquendum ſit, dici poteſt: quoniam lumen oſtendit dumtaxat, non præcipit quid ſit agendum: lumen tamen ſæpe vocatur, quia lex iſta & oſtendit, & ſimul iubet, & vetat, honeſta, & turpia. S. Thomas vocat has propoſitiones *univerſales*, quia peculiaria dictata, & iudicia, quæ, cum quidpiam agendum eſt, excitantur, quæque oſtendunt quid operandum, quid vitandum, ſit, non ſunt leges abſolute acceptæ, ſed ſunt lectiones legis, & legis applicationes, & intimationes, quæ tranſeunt, & recurrunt. Lex hæc naturalis participatio eſt, ut dixi, legis æternæ. Lex autem æterna eſt ratio divinæ ſapientiæ, directiva omnium actuum, & motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius univerſi; ut docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCIII. *art.* 1. Ergo etiam lex naturalis in nobis, quæ eſt illius æternæ lucis veluti radius, ſignatus ſuper vultum mentis noſtræ, eſt ordinatio rationis per ſapientiam divinam digeſta.

VII. Heinc colligas velim, legem naturalem eo ſpectare, ut hominem in cognitione veri imbuat, & illuminet: veri, inquam, non ut meditandi, ſed ut exequendi; veri practici, cui individua eſt bonitas, quæ allicit voluntatem. Perpetua & conſtans eſt S. Thomæ doctrina, ut vidimus, legem abſolute ſpectatam ad intellectum pertinere: idcirco dicitur *ordinatio* rationis in bonum commune. Obiectum autem rationis, ſeu intellectus eſt verum. Ergo ius, ſeu lex naturalis

Digitized by Google

huc pertinet, ut veritas practica humanis officiis executioni demandetur. Quapropter David tam frequenter clamat: *Lex tua veritas*. Quod enim verum, id honeſtum, id bonum, id iuſtum, id decorum. Quapropter nos *Tom. II. Apparatus ad Theologiam chriſtianam*, fuſo ſermone palam faciemus, *ſolam veritatem*, exploſa, & convulſa quacumque probabilitate veritatis vacua, eſſe regulam veræ honeſtatis, & virtutis. Quid enim eſt verum, niſi mentis cognitio rerum ordini conſentanea? A rerum ordine tam veritas, quam bonitas hauriuntur. Lex æterna Dei, lex veritatis eſt. Lex naturalis participatio eſt legis æternæ. Ergo utraque lex veritatis eſt. Rerum ordo, menti conſentiens, & a mente cognitus, veritatem præfert: Amor iſtius ordinis, appetitui rationali conſentaneus, honeſtatem, bonitatem, & iuſtitiam præfert.

VIII. Hactenus picturam quamdam generalem iuris naturæ delineavi. Notio nunc præciſa eiuſdem danda eſſet. Verum notionem præciſam vix apud Theologos, & Iſtos reperire licet. Quædam quippe ſunt quæ deſcriptione manifeſtari, non ſevera definitione circumſcribi valent. Luculentius lex iſta deſcribi, mea quidem ſententia, nequit, quam hac brevi oratione: *Lex naturalis eſt rationis practicæ in bonum commune ordinatio menti noſtræ a Deo indita, eaque præcipiens, aut vetans quæ lumine naturali cognoſci poſſunt*. Deſcriptio ex iis quæ diximus, patet. Quælibet lex eſt rationis practicæ ordinatio, & quidem in bonum commune. Porro hæc eſt legis naturalis differentia propria, quod ſit menti noſtræ a Deo impreſſa, & quod ea præcipiat, aut vetet quæ lumine naturali cognoſcuntur. Dum dicimus, honeſta a lege naturali præcipi, ſenſus non eſt quod omnia quæ honeſtatem produnt, lege naturæ præcipiantur vero præcepto; ſed ea tantum quæ neceſſaria ſunt ad bonum commune ſervandum. Ceterum plura ſunt honeſtiſſima, quæ conſuluntur, & commendantur, minime vero præcipiuntur a Deo. Poſſunt tamen lege humana præcipi, quia ex aliqua circumſtantia alicuius ſtatus evadere bono communi neceſſaria poſſunt. Deſcriptionem hanc ipſe M. Tullius *lib. de Repub.* tradit, ut refert Lactantius Lib. VI. cap. VIII. *Eſt quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium iubendo, vetando* &c.

IX. Ex iis quæ dicta ſunt, facile colliges, legem naturalem, nobis impreſſam, non eſſe legem abſolute, & perfecte talem; ſed tantum *participative*, ut dicitur, ſecundario, & ſecundum quid. Exiſtit quippe in nobis, ſicut in *regulatis, & menſuratis*, inquit Angelicus; ſed dumtaxat ſecundaria, & proxima, quæ unice dirigit operationes noſtras per conformitatem ad primam regulam honeſtatis moralis, nempe ad legem ipſam naturalem æternam in Deo exiſtentem. Quamobrem S. Thomas dixit 1. 2. *quæſt.* lxxi. *art.* 6. *ad* 4. ut ſupra vidimus, *ius naturale contineri primo quidem in lege æterna, ſecundario vero in iudicatorio rationis*

humanæ. Ratio evidens eſt : quia ſola lex æterna Dei ſupremi, & primi legislatoris dirigit, ordinatque actus noſtros ad finem ultimum aſſequendum. Hæc ſola lex ſeipſa eſt recta, ſancta, vera, immaculata ; atque adeo ſola prima cuiuſque moralitatis, honeſtatis, veritatis, & ſanctitatis regula. Quare lex naturalis in nobis eſt veluti propoſitio, & applicatio proxima legis æternæ ; omniaque moderatur, & dirigit per conformitatem ad eamdem primam regulam.

X. Obiter animadvertas velim, quam aberrent a veritate plures, etiam eorum qui bene morati habentur, dum paſſim iactant ſua *dictamina* veluti primam honeſtatis regulam. Quoties perſuaſi ſunt propriis dictatis ſua reſpondere officia ; ſecuritatem ſibi ſpondent. Nihil moliti ſumus, inquiunt, nihil definivimus præter ea quæ conſcientiæ noſtræ dictamina præceperunt tamquam honeſta. Bene habet. At videndum ſupereſt, utrum hæc dictamina ſint primæ regulæ, & principi legi naturali conſentanea. Si enim hæc dictata a prima regula diſſentiunt ; erronea ſunt, & falſa. Lex autem prima, & ſempiterna lex veritatis eſt, cui falſitas, & error repugnant. Error autem in iis quæ iuris naturæ ſunt, non excuſat, ut ſuo loco demonſtrabitur. Hæc per tranſennam dicta ſint, ut ſubtilem, & metaphyſicam diſputationem aliquo documento quod praxim ſpectat, temperarem. Quod ut efficacius præſtem, auctoritatem S. Auguſtini adiicere lubet Sanctus hic Doctor *Lib. I. Retract. cap.* 1. exponens effatum illud quod ſcripſerat *Lib. I.* contra Academicos : *Quid cenſes eſſe aliud beate vivere, niſi ſecundum illud quod in homine optimum eſt ; vivere ?* Hæc ſubdit : *Hoc quidem verum eſt. Nam, quantum attinet ad hominis naturam, nihil eſt in eo melius quam mens & ratio ; ſed non ſecundum ipſam debet vivere qui bene vult vivere : alioquin ſecundum hominem vivit, cum ſecundum Deum vivendum ſit, ut poſſit ad beatitudinem pervenire, propter quam conſequendam non ſeipſa debet eſſe contenta, ſed Deo mens noſtra ſubdita eſt.* Dum S. Doctor inquit, non eſſe ſecundum rationem vivendum, non aliud intelligit, niſi quod ratio noſtra non ſit prima regula, ſed ſecunda, quæ, ut recta ſit, ad primam ſe conformare debet.

XI. Ut a diverticulo in ſemitam regrediamur, quamvis lex naturalis, cum prima æterna lege comparata, ſit participative, & ſecundum quid talis; abſolute tamen ſpectata lex ſimpliciter nuncupatur, eique legis proprietates competunt. Dirigit quippe officia noſtra, præcipit honeſta, vetat turpia, omniaque ordinat in finem ultimum. Eo tantum ſpectant quæ ultimo loco dicta ſunt, ut vigilantiam excitem ad meditandam legem illam veritatis æternæ, torporemque atque hallucinationem illorum excutiam qui nimis facile ſibi illudunt in ſuis honeſtandis officiis, quique parum ſcire curant, ſintne hæc legi æternæ conſentanea. Preces ſe fudiſſe ſæpe aiunt, ut conformitatem ſuorum dictaminum cum æterna lege internoſcerent : & non raro amoris proprii impetum pro divina re-

velatione deglutiunt. Principium verum, unde colligi legitime poſſis, ſintne tua dictamina legi æternæ conformia, hoc eſt. Si officia, reſolutiones, & molimina tua ipſa experientia conſtiterit eſſe vera, honeſta, optimeque librata; tum magna probabilitate inferre poteris eorumdem cum æterna, primaque regula conformitatem: ſi ſecus experientia patefecerit; dictamina tua amoris proprii illuſiones fuere. Et hæc de iuris naturæ idea ſatis ſint.

CAPUT XIII.

Quæ præcepta contineantur in lege naturali. Num omnia Decalogi mandata includantur in eadem.

I. NON defuere qui contenderent, ut advertit etiam eximius Doctor P. Suarez *Lib. II. de leg. cap.* VII. *num.* 2. ſola generalia præcepta, puta, bonum amandum, declinandum malum, ſub lege naturali comprehendi. Verum opinio hæc, ut aperte falſa, ab omnibus exploditur.

II. Lex naturalis plura præcepta includit, quæ ab uno, tamquam prima radice, proficiſcuntur. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. XCIV. art. 2. *Dicendum, quod... præcepta legis naturæ hoc modo ſe habent ad rationem practicam, ſicut principia prima demonſtrationum ſe habent ad rationem ſpeculativam: utraque enim ſunt quædam principia per ſe nota... Quædam ſunt dignitates, vel propoſitiones per ſe notæ communiter omnibus: & huiuſmodi ſunt illæ propoſitiones quarum termini ſunt omnibus noti; ut, omne totum eſt maius ſua parte; &, quæ uni & eidem ſunt æqualia, ſibi invicem ſunt æqualia. Quædam vero propoſitiones ſunt per ſe notæ ſolis ſapientibus... In his autem quæ in apprehenſionem hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit in apprehenſionem, eſt ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonſtrabile eſt, quod non eſt ſimul affirmare, & negare; quod fundatur ſupra rationem entis, & non entis: & ſuper hoc principio omnia alia fundantur... Sicut autem ens eſt primum quod cadit in apprehenſionem ſimpliciter, ita bonum eſt primum quod cadit in apprehenſionem practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica eſt, quod fundatur ſupra rationem boni; quæ eſt, Bonum eſt quod omnia appetunt. Hoc eſt ergo primum præceptum legis, quod bonum eſt faciendum, & proſequendum, & malum vitandum: & ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut ſcilicet omnia alia facienda; vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona humana. Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem*

tem rationem contrarii, inde eſt quod omnia illa ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per conſequens ut opere proſequenda, & contraria eorum ut mala, & vitanda. Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium eſt ordo præceptorum legis naturæ. Ineſt enim primo inclinatio homini ad bonum ſecundum naturam.... Secundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus... Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria.

III. En quam alte arceſſit S. Thomas cuiuſque ſententiæ ſuæ originem. Ab ente initium capit, conſtituitque hoc primum principium: *Quodlibet eſt, vel non eſt*. Ubi enim, inquit ille, ordo reperitur, primum deſignandum eſt iſtius ordinis, a quo cetera pendent, principium. Porro, ſicuti primum quod occurrit menti meditandum, eſt eſſe, ſeu ens; ita primum quod volnntati offertur, eſt bonum. Ex quo colligitur hoc primum in genere appetibilium principium: *Bonum eſt amandum, malum fugiendum*. Bonum aſſerit quod omnia appetunt. In quam deſcriptionem inepte quidam ſaperdæ garriunt. Si enim bonum illud eſt quod perficit res omnes; nullaque creatura ſit quæ ſui non appetat perfectionem: iure infertur, bonum eſſe quod omnia appetnnt. Ex primo laudato principio ea primum ſponte dimanant natnralia præcepta quæ conſervationem propriam ſpectant, removentque oppoſita. Huc pertinent præcepta comedendi, ſobrietatis, temperantiæque ſervandæ, abſtinendique ab iis quæ propriæ ſunt perniciosa ſanitati. Altera inclinatio hominis ſpeciem ſuam propagandam, ſervandamque reſpicit. Heinc vero præcepta quæ matrimonii officia, prolis educationem dirigunt. Tertia inclinatio rationis naturam conſequitur: ex qua proficiſcuntur omnia præcepta quæ cultum Dei, & proximi ſocietatem moderantur. Hæc autem plurima ſunt, eaque fuſa oratione deſcribit M. Tullius *Lib. II. de legibus*. Pauca ex multis huc tranſcribere lubet. A primo fonte & ipſe ſermonem repetit: *Quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iovis*. Poſt pauca autem ad legum varietatem deſcribendam accedit. *Conſtat profecto ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam, & beatam inventas eſſe leges... Eas tu igitur leges rogabis, videlicet quæ numquam abrogentur*. Et poſt plura leges promit quæ Dei cultum præſcribunt, Quinti fratris impulſu. *Sed iam exprome, ſi placet, iſtas leges de religione. M. Expromam equidem, ut potero.... Ad divos adeunto: caſte pietatem adhibento: opes amovento: qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. Separatim nemo habeſſit deos, neve novos.... At olla, propter quæ datur homini aſcenſus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra ſunto, nec ulla vitiorum. Sacra ſolemnia oveunto. Feriis iurgia amovento, eaſque in famulis, operibus patratis, ha-*

bento .... Quæque quoſque divo decoræ, gratæque ſint hoſtiæ, providento: diviſque aliis ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto: virgineſque Veſtales cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.

IV. Plurima ibidem alia enarrat præcepta, quæ tum commentitiam religionem, tum hominum fœdera, & ſocietatem ſpectant, adiectis inventis quæ ſuperſtitioſæ religionis cæremonias dirigunt. Quare, his miſſis, præcepta illa decem quæ Decalogo concluduntur, ex ipſius naturæ iuris ſinu promanare oſtendendum eſt. De tertio mandato dumtaxat Theologi diſputant, utrum a lege naturæ proficiſcatur. Sed hanc controverſiam dirimit S. Thomas in III. diſt. XXXVII. quæſt. I. art. 5. quæſtiunc. 2. *Præceptum de ſabbato obſervando, quantum ad aliquid morale eſt, & quantum ad aliquid cæremoniale, & quantum ad aliquid poteſt etiam dici iudiciale. Secundum enim illud eius quod naturalis ratio dictat, præceptum morale eſt, ut ſcilicet aliquo tempore homo contemplationi vacet: ſed taxatio temporis in quo vacandum ſit, non eſt de dictamine naturalis legis; & ideo non eſt morale præceptum. Sed ſecundum quod habet pro cauſa ſignificationem, ſic eſt cæremoniale. Secundum autem quod habet pro cauſa conditionem illius populi, cui ſubveniendum erat, per hoc præceptum iudiciale eſt.* Quatenus itaque præceptum iſtud cultum Dei ſpectat, ab ipſa naturæ lege dimanat: temporis vero determinatio, cæremoniæ obſervandæ, & alia id genus, lege poſitiva præſcripta ſunt.

V. Cetera Decalogi mandata, quæ cultum Dei, propriæ vitæ honeſtam conſervationem, ſocialitatis iura ſervanda præcipiunt, a naturali lege proficiſci compertum eſt. Nam omnia hæc præcepta ſunt natura ſua rectæ rationi conſentanea. Heinc infert Sanctus Thomas, iſtorum præceptorum explicitam cognitionem neceſſariam omnibus eſſe, quæſt. XIV. de verit. art. 11. ad 3. *Mandata Decalogi ſunt de his quæ naturalis ratio dictat: & ideo quilibet tenetur ea explicite cognoſcere.* Mandata primæ tabulæ cultum Dei, vota, iuramentaque cuſtodienda præſcribunt. Quid autem rectæ rationi magis conſentaneum? Reliqua mandata, tum adfirmantia, tum negantia, de honorandis parentibus, de homicidiis, de vago concubitu, de adulteriis, de furtis, de mendaciis, de pravis deſideriis vitandis, ſunt ipſi naturæ ſimiliter inſita.

VI. Alia præcepta tum univerſalia, tum particularia, ad Decalogum revocari, vel tamquam principia in concluſionibus, vel tamquam concluſiones ex principiis erutas, evincit S. Thomas 1. 2. quæſt. C. art. 3. *Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimode. Nam illa quæ ſunt prima, & communia, continentur in eis, ſicut principia in concluſionibus proximis; illa vero quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis e converſo, ſicut concluſiones in principiis.* Prima principia ſunt: Bonum amandum, fugiendum malum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hæc, & ſimilia continentur in Decalogo,

tam-

tamquam principia in concluſionibus, quæ ſunt deductæ ex iiſdem principiis. Porro mandata decalogica ſunt concluſiones ex his primis principiis expromptæ; cetera vero ſunt concluſiones expreſſæ medio ratiocinio ex iiſdem Decalogi mandatis.

VII. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCIV. *art.* 3. diſputat, ſintne omnia virtutum officia a naturæ lege præſcripta: & hanc præbet reſponſionem. *De actibus virtuoſis dupliciter loqui poſſumus: uno modo, inquantum ſunt virtuoſi; alio modo, inquantum ſunt tales actus in propriis ſpeciebus conſiderati. Si igitur loquamur de actibus virtutum, inquantum ſunt virtuoſi, ſic omnes actus virtuoſi pertinent ad legem naturæ. Dictum eſt enim, quod ad legem naturæ pertinet omne illud ad quod homo inclinatur ſecundum ſuam naturam. Inclinatur autem unumquodque ad operationem ſibi convenientem ſecundum ſuam formam; ſicut ignis ad calefaciendum. Unde cum anima rationalis ſit propria forma hominis, naturalis inclinatio ineſt cuilibet homini ad hoc quod agat ſecundum rationem: & hoc eſt agere ſecundum virtutem. Unde ſecundum hoc omnes actus virtutum ſunt de lege naturali. Dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuoſe agat. Sed, ſi loquamur de actibus virtuoſis ſecundum ſeipſos (prout ſcilicet in propriis ſpeciebus conſiderantur) ſic non omnes actus virtuoſi ſunt de lege naturæ. Multa enim ſecundum virtutem fiunt ad quæ natura non primo inclinat; ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt, quaſi utilia ad bene vivendum.*

VIII. Sub duplici aſpectu humana officia meditanda proponit Angelicus. Primo ſecundum rationem genericam, quatenus exercenda ſunt iuxta rationis regulas; & ſub hac conſideratione omnes humanæ actiones virtutis ſpeciem produnt. Porro homo, dum operatur, agere ſecundum ſuam formam, ſeu rationem debet. Quapropter actuum humanorum indifferentiam reiecimus. Ergo omnia humana officia, ad regulas rationis rectæ exacta, ad legem naturæ ſpectant. Secundo conſiderat hæc officia, prout ſunt aliquibus circumſtantiis ſubiecta, ſeu in ſpecie particulari determinata: & ſecundum hanc conſiderationem, non lege naturæ, ſed humana præſcribuntur. Exemplo doctrina clarior fiat. Officia temperantiæ ſecundum genus ſuum, ſeu quatenus cibum temperatum includunt, lege naturæ præſcribuntur: quia temperate vivere ad vitæ conſervationem requiritur. Verum temperantia a carnibus, a licito matrimoniali concubitu, non naturali, ſed voluntaria humana lege præſcripta eſt. Et ideo dicit Angelicus, actus eiuſmodi, in hac ſpecie conſtitutos, non cadere ſub naturæ lege. Nec enim eiuſmodi officia neceſſaria ſunt, ſed dumtaxat utilia ad finem facilius comparandum. Dum itaque S. Thomas docet, omnes actus virtutum ad legem naturæ pertinere, ſenſus haud eſt quod unuſquiſque omnia virtutum officia exequi debeat. Plura quippe virtutum officia ſunt quæ aut ſolo conſilio, aut lege ſupernaturali præſcribuntur.

Sen-

Senſus ergo angelicæ doctrinæ germanus eſt, quod omnes actus virtutum ſecundum rationem genericam virtutis, nempe quatenus exercentur ab homine deliberate operante, ad legem naturæ pertinent. Eccur? Quia quoties homo operatur ut homo, debet ſecundum rectæ rationis normam operari; atque adeo virtuoſe iuxta regulas rationis.

IX. Oppones. Mandata Decalogi lege voluntaria divina præſcripta ſunt. Ergo non naturæ iure. Quæ enim naturæ lege præcepta ſunt, inhærent hominum cordibus, inſita humanæ menti ſunt. Hanc difficultatem ſibi opponit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCIX. *art.* 2. *arg.* 2. & hoc præbet reſponſum ad 2. *Legi divinæ conveniens erat ut non ſolum provideret homini in his ad quæ ratio non poteſt, ſed etiam in his circa quæ contingit rationem hominis impediri. Ratio autem hominis circa præcepta moralia quantum ad ipſa communiſſima præcepta legis naturæ non poterat errare in univerſali; ſed tamen propter conſuetudinem peccandi obſcurabatur in particularibus agendis. Circa alia vero præcepta moralia, quæ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat; ita ut quædam quæ ſunt ſecundum ſe mala, multorum ratio licita iudicaret. Unde oportuit contra utrumque defectum homini ſubveniri per auctoritatem legis divinæ. Sicut etiam inter credenda nobis proponuntur non ſolum ea ad quæ ratio attingere non poteſt, ut DEUM ESSE TRINUM; ſed etiam ea ad quæ ratio recta pertingere poteſt, ut DEUM ESSE UNUM, ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis.*

X. Ut paucis omnia comprehendam, triplicis ſunt generis, ut alias dictum eſt, iuris naturalis præcepta. I. Alia Deum colendum, reverendum, adorandumque ſpectant. II. Alia ad nos attinent, quæ honeſtos mores præſcribunt, & vitæ propriæ cuſtodiam vetantque ebrietatem, illicitoſque concubitus. III. Cetera ſocialitatem reſpiciunt, quæque iubent honorare parentes, Magiſtratus, Principes, omneſque ſuperiores; imperant fidelitatem in contractibus, in promiſſionibus, vetantque iniurias, iniuſtitiaſque omnes.

XI. Naturæ ius non modo actus inhoneſtos, turpeſque vetat, ſed plures etiam irritat, nulloſque efficit. Quamobrem contractus uſurarii, pacta turpia, non modo illicita, verum etiam nulla ſunt. At inquies, unde diſcernendum, ſint ne aliqui actus iure naturæ irriti? Quoties actus ſecum deferunt turpitudinem perpetuam, eo ipſo ſunt nulli; cuiuſmodi ſunt donatio, venditio rei alienæ, contractus vi, fraudeque extortus, matrimonium initum cum perpetua impotentia, & cetera id genus, quæ ſocialitatem lædunt.

CA-

CAPUT XIV.

De iuris naturæ immutabilitate, abrogatione, & diſpenſatione. Variæ quæſtiunculæ dirimuntur.

I. QUæſtionem diſputandam proponimus quam perdifficilem, & implexam effecerunt varia Theologorum placita. Tamen, ſi omnia in ſuo vero lumine collocentur, & omnia quæ faceſſere negotium videntur, ad ſua vera principia exigantur; deciſio facilis & perſpicua evadet. Operæ pretium itaque eſt ut ea præmittamus quæ certa videntur, quæque negari a nemine iure valent.

II. Et primum omnium ea in memoriam revocanda ſunt quæ ſupra fuſo calamo explicuimus, nempe honeſtatem, & turpitudinem rebus ipſis ineſſe antecedenter ad omnem legem. Porro officia illa quæ natura ſua ante omnem legem aut honeſta, aut turpia ſunt, nulli mutationi, abrogationi, aut diſpenſationi obnoxia eſſe, quis ire inficias poterit? Hoc principium penes omnes certum, & ineluctabile eſt.

III. Alterum principium non minus certum conſtituendum eſt, nempe, iuris naturalis præcepta diverſi generis eſſe. Alia ſunt quæ humanum conſenſum præſupponunt, quo conſtituto, ſurgit naturæ ius, quod in pactis, in promiſſionibus, in contractibus, in iuramentis, in votis &c. reſplendet. Huc etiam pertinent præcepta quæ bonorum proprietatem reſpiciunt. Gentium quippe conſenſu rerum partitio invecta eſt; qua poſita, ius naturæ vetat quempiam invitum propriis bonis ſpoliari. Hæc omnia mutationi, & variationi ſubiecta ſunt; idque penes omnes convenit.

IV. Tertium principium non minus certum ſpectat iuris naturalis partitionem; quam ſupra indicavi, & nunc repetendam iudico. Tribuitur itaque primum ius naturale in præcepta prima per ſe nota; & in alia præcepta, quæ ſunt concluſiones ex iiſdem collectæ, quarum aliæ proximiores, aliæ remotiores ſunt. Secundo tribuitur in ius *præceptivum*, & in *approbativum*, ſeu *conceſſivum*, quod etiam *permiſſivum* dicitur. Plura quippe approbat, & concedit ius naturæ, quæ tamen non præcipit. Approbat ius iſtud bonorum communionem, homines liberos eſſe, matrimonia contrahere, virtutes omnes exercere, filium patri ſuccedere, fidem adhibendam duobus teſtibus. Hæc vero, & alia plura ſingulis ius naturæ non præcipit; quamquam approbet, concedatque. Hæc omnia, quæ ſub iure *conceſſivo* cadunt, mutationi ſubiecta eſſe nemo inficiatur.

V. Quarto loco ſtatuendum eſt tamquam certum id quod docet S. Thomas

1. 2. *quæſt.* xciv. *art.* 5. nempe, *quod lex naturalis poteſt intelligi dupliciter mutari: Uno modo per hoc quod aliquid ei addatur; & ſic nihil prohibet legem naturalem mutari: multa enim ſupra legem naturalem addita ſunt ad humanam vitam utilia tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas. Alio modo poteſt intelligi mutatio legis naturalis per modum ſubtractionis; ut ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali quod prius fuit ſecundum legem naturalem: & ſic, quantum ad prima principia legis naturæ, lex naturæ eſt omnino immutabilis; quantum autem ad ſecunda præcepta, quæ diximus eſſe quaſi quaſdam proprias concluſiones propinquas primis principiis, ſic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus ſit rectum ſemper quod lex naturalis habet; poteſt tamen mutari & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſervantiam talium præceptorum.*

VI. Quinto loco aio, hac S. Thomæ doctrina ſola perſpicue explicata, in nihilum occidere omnes difficultates quæ opponi adverſus iuris naturæ immutabilitatem ſolent. Et quia S. Thomæ interpretes hanc doctrinam, ut ego quidem arbitror, pleno in lumine non collocarunt; idcirco, cum de diſpenſatione, ſeu ſolutione ab hac lege diſputant, minus clare difficultates dirimunt. Neque eo hæc dicta ſpectant, ut nova ego me promere iactem; ſed huc pertinent, ut, niſi me amor fallit, quæ alii & fuſius, & aliquo modo obſcurius diſputarunt, paucis perſtringere, & clarius proponere velim.

VII. Itaque aliqua præcepta iuris naturæ ita ſunt immutabilia, ſibique conſtantia, & firma, ut ſemper, & in quocumque eventu obligent. Cuiuſmodi ſunt: *Colendus Deus eſt, non mentiendum, non peierandum, non falſum teſtimonium dicendum, non calumniandum, non odio habendum: ſervanda iuſtitia, amplectendæ virtutes, temperate vivendum.* Hæc, & ſimilia nullam excipiunt circumſtantiam, nullamque ſubeunt mutationem. Alia ſunt præcepta iuris naturæ, quæ abſolute ſpectata ſimiliter ſibi conſtant, & cuiuſque ſunt mutationis expertia. Verum hæc circumſtantias excipiunt, quarum ratione id prohibent quod abſolute, tali, aut tali circumſtantia ſublata, præcipiunt. Exemplo a S. Thoma adducto doctrina luculentior evadet. Lex naruralis eſt, inquit 1. 2. quæſt. xciv. art. 4. *quod depoſita ſint reddenda: & hoc quidem ut in pluribus verum eſt; ſed poteſt in aliquo caſu contingere quod ſit damnoſum, & per conſequens irrationabile, ſi depoſita reddantur; puta, ſi aliquis petat ad impugnandam patriam. Et hoc tanto magis invenitur deficere, quanto magis ad particularia deſcenditur; puta, ſi dicatur, quod depoſita ſint reddenda cum tali cautione, vel tali modo. Quanto enim plures conditiones particulares apponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere, ut non ſit rectum vel in reddendo, vel non reddendo.*

VIII. Ex his ſponte conſequitur, etiam hæc ſecundaria præcepta eſſe in uno ſen-

ſu

ſu immutabilia, quatenus eadem ſemper præcipiunt, vel vetant: quoniam eadem ſemper præcipiunt, vel vetant abſolute; aut non præcipiunt, nec vetant ſub hac, aut illa circuſtantia. Et hoc in ſenſu non minus quam prima conſtantiam, & immutabilitatem produnt. Dicuntur mutabilia, non quod aliquando obligaverint, aliquando non obligaverint; ſed mutabilia dicuntur, quatenus ſub hac aut illa circumſtantia non obligant. Verum hæc mutatio propria non eſt: quoniam ab æterno verum fuit, depoſitum abſolute eſſe reddendum; non eſſe vero reddendum in hac aut illa circumſtantia: homicidium eſſe licitum publica auctoritate iuſſum; illicitum privata auctoritate perpetratum: illicitum furtum; licitum in hac aut illa circuſtantia, vi cuius furti malitiam, & vel ipſum nomen exuit. Dicuntur igitur hæc præcepta mutabilia, non quod ipſa in ſe mutationi ſubiecta ſint; ſed ratione materiæ, & circumſtantiarum, iuxta quarum diverſitatem ſemper, & ab æterno, modo præcipiunt, modo non præcipiunt, modo vetant, modo non vetant. Quibus poſitis, ſequentes quæſtiuneulas dirimendas propono.

IX. Quæſt. I. *Lex naturalis quantum ad principia naturalia eſt ne in ſeipſa immutabilis omnino & invariabilis, tam in communi, quam in particulari?* Reſp. Affirmanter reſpondeo. Quandoquidem lex iſta ſita eſt in ordine rerum, ſeu officiorum cum eſſentia divina, idea archetypa omnium ordinum, & naturarum, quæ indiſſolubili nexu cum eadem connexæ ſunt. Porro ordinem hunc antecedere rationis ſigno vel ipſam divinam voluntatem, diximus ſupra. Ergo lex naturalis abſolute, & in ſeipſa cuiuſque variationis, & diſpenſationis expers eſt. Enim vero lex iſta vel accipitur, prout eſt in homine, & conſequitur ipſam naturam rationalem, veluti eiuſdem proprietas neceſſaria; & ſecundum hanc conſiderationem, ſicuti natura rationalis immutabilis eſt, ita immutabilis eſſe debet lex naturalis, quæ neceſſario eamdem conſequitur, modo ſupra expoſito: vel accipitur, prout eſt in Deo, ſeu quatenus cum divina eſſentia coniungitur; & ſub hoc aſpectu quamcumque variationem, mutationemque excludit, quoniam divina eſſentia immutabilis, & invariabilis eſt.

X. Quæſt. II. *Lex naturalis quantum ad præcepta ſecundaria eſt ne ſimiliter in ſeipſa immutabilis?* Reſp. Deciſio patet ex iis quæ *num.* 8. dicta ſunt. Quandoquidem hæc præcepta ſecundaria in ordine cum recta ratione, & divina eſſentia ſita ſunt, non ſecus ac prima. Ordo autem iſte æque in ſecundis ac in primis neceſſarius eſt. Ergo eodem modo invariabilis & immutabilis. Id ſolum verum eſt, quod iam innuimus, his ſecundariis præceptis advenire circumſtantias poſſe vi quarum lex non præcipiat id quod, ſublatis circumſtantiis, præcipiebat: quia rectæ rationi congruit ut in his circumſtantiis lex vetet quod ablatis circumſtantiis præcipiebat. Lex naturalis vetat abſolute manibus tangere ubera feminarum ob intrinſecam cum recta ratione repugnantiam; at, adveniente infirmitatis gravis neceſſitate, lex naturæ,

ſe-

ſeu recta ratio præcipit tactum prædictum, ut, pulſo morbo, ſanitas reparetur. Porro mutationem hanc recte interpretes D. Thomæ *materialem*, ſecus *formalem*, vocant. Quoniam mutatio *formalis* tunc evenit, quando lex, quæ olim urgebat, nunc obligare ceſſat, aut quia inutilis, & irrationabilis evadit; aut quia legislator eam revocat ob aliquem peculiarem finem ſub initium latæ legis non prævisum. Tum lex ceſſat, & formaliter mutatur. Legem naturalem, etiam quantum ad præcepta ſecundaria, mutari hoc modo repugnat. Quoniam hæc eadem præcepta caſus ipſos excipiunt. Præcipiunt aliqua officia abſolute ſpectata, ut reddere depoſitum, obedire parentibus &c. & hæc eadem officia prohibent, aliqua circumſtantia occurrente, nempe quando reſtitutio depoſiti, & obedientia parentibus ſunt noxia proximo, & pernicioſa Reipublicæ. Et quia reipſa eiuſmodi circumſtantiæ variantur, idcirco dicimus hæc præcepta variationem excipere materialem, quatenus ſcilicet officia ſubiecta legi modo hac, modo illa circumſtantia involvuntur. Lex autem non modo abſolute, verum etiam ſpectatis circumſtantiis, officia aut præcipit, aut prohibet. Patet igitur, hæc ipſa præcepta ſecundaria formaliter, & in ſe immutabilia eſſe, quia vetant, aut iubent officia humana, quatenus rectæ rationi aut congruunt, aut repugnant. Ex quibus conſequitur totam mutationem eſſe materialem, quatenus materia legi ſubiecta, modo una, modo altera circumſtantia circumſcribitur.

XI. Ex his quæ dicta ſunt, evaneſcunt nonnullæ quæ opponi difficultates ſolent. Bona omnia naturæ iure communia erant, & hominum voluntate eorumdem invecta diviſio eſt, & proprietas, & hominum ſervitus. Verum habet. Sed iam diximus, hæc & alia etiam ſub iure naturali, non præceptivo, ſed conceſſivo, ſeu approbativo tantum contineri; ut optime explicat S. Thomas 1. 2. quæſt. XCIV. art. 5. ad 3. *Aliquid dicitur eſſe de iure naturali dupliciter. Uno modo quia ad hoc natura inclinat; ſicut non eſſe iniuriam alteri faciendam. Alio modo quia natura non inducit contrarium; ſicut poſſemus dicere, quod hominem eſſe nudum eſt de iure naturali, quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars adinvenit. Et hoc modo communis omnium poſſeſſio, & una libertas dicitur eſſe de iure naturali, quia ſcilicet diſtinctio poſſeſſionum, & ſervitus non ſunt inductæ a natura, ſed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ. Et ſic etiam in hoc lex naturæ non eſt mutata niſi per additionem.*

XII. Altera quoque difficultas de præſcriptione, vi cuius bona quæ erant Pauli, hoc invito evadunt Franciſci (quod cum iure naturæ pugnare videtur) ſeipſa corruit. Nam quemadmodum gentium conſenſu inducta eſt bonorum partitio, ita quoque invecta præſcriptio eſt ad tollendam confuſionem, & perturbationem. Diximus ſub initium, aliqua eſſe de iure naturali ex præſuppoſito humano conſenſu: & hæc mutationi obnoxia ſunt. Præſcriptio, ut fuſius ſuo loco dicemus, ab

ipſo

ipſo iure naturali, & divino proficiſcitur: tantum abeſt ut his iuribus adverſetur. Congruum quippe rectæ rationi ſemper fuit ut diviſa bona tranquille, & pacifice poſſideantur; atque adeo ea præſcribantur remedia quæ hanc tranquillam, quietamque poſſeſſionem fovent, & conſervant. Idcirco legislatores humani ea adiecerunt remedia quæ ſunt huic fini congrua, & neceſſaria. Verum de his ſuo loco.

XIII. Quæſt. III. *Eſt ne poteſtas aliqua humana, ſive civilis, ſive eccleſiaſtica, quæ ab obſervatione legis naturalis diſpenſare, ſeu ſolvere homines queat?* Reſp. Antequam reſponſionem exhibeo, notionem diſpenſationis præmittam oportet. Diſpenſatio, quæ latine indulgentia, ſeu ſolutio a lege, dicitur, eſt exemptio aliquorum ſubditorum ab obſervatione legis in aliquo particulari eventu, ceteris ſubditis legi ſervandæ devinctis manentibus. Alii dicunt, diſpenſationem eſſe relaxationem communis iuris. Diſcriminatur tum ab irritatione, qua lex aboletur, antequam obliget; ut quando Princeps refugit approbare legem latam ab inferiore, lex non approbata a legitimo ſuperiore irritata dicitur: tum ab abrogatione, vi cuius lex quæ iam obligabat, & obſervabatur, penitus aufertur; cuiuſmodi fuit lex Moſaica quantum ad cæremonialia, & iudicialia per Chriſtum penitus abrogata: tum a derogatione, quæ legis aliquid detrahit, & aliquid relinquit: tum a declaratione, ſeu interpretatione, vi cuius declaratur, legem hoc in caſu particulari non urgere. Declaratio non eget poteſtate; ſed iudicio, & doctrina. Diſpenſatio impertiri a ſolo legitimo ſuperiore, cui lex ſubiecta ſit, poteſt. Theologi, & Icti interpretantur iura, eaque declarant; at diſpenſare ab iiſdem nequeunt.

XIV. His breviter delibatis, ad propoſitam quæſtiunculam reſpondeo, nulla poteſtate humana diſpenſari homines poſſe ab iis ſervandis quæ iuris naturæ ſunt. Reſolutio evidens eſt. Nullus enim inferior in legem ſuperioris poteſtatem habet. Sed lex naturalis ſuperior eſt omnibus Principibus tum laicis, tum eccleſiaſticis: lex enim naturalis primario eſt in Deo, & ſecundario in recta ratione antecedente omnem voluntatem humanam. Nec minus legis naturæ præceptis ſubiecti ſunt Principes, Reges, Imperatores, & Pontifices quam ſint ceteri homines. Qui plura hac de re cupit, conſulat opus noſtrum *De uſura contractus trini adverſus P. Pichler diſs.* v. ubi fuſo calamo labefactavimus illius paradoxon, quo contendit, uſuram lege naturali vetitam, alto Principum dominio & poteſtate licitam fieri poſſe.

XV. Obiicies. Diſpenſant Pontifices ſummi Epiſcopos a reſidentia, quæ iuris & naturalis, & divini eſt; alios fideles ab obſervandis votis, diebuſque feſtis, quæ ſimiliter a iure naturæ, & divino præſcribuntur. Obiectiunculæ iſtæ ex iis quæ in anteceſſum dicta ſunt, in fumum abeunt. Aliqua iuris naturalis, & divini eſſe diximus, præſuppoſito hominum conſenſu, quo poſito, ius utrumque urget. Porro plu-

plures ſunt eventus in quibus hoc ius ob alicuius circumſtantiæ additionem non obligat reipſa; immo aliquando oppoſitum præcipit. Non eſt tamen cuiuſque decernere, quo in caſu obliget, aut ſecus eiuſmodi ius; ſed hoc pertinet ad ſupremum illum iudicem quem Deus conſtituit in terris tamquam ſuæ voluntatis interpretem. Summi itaque Pontifices nullo modo a reſidentia perſonali Epiſcopos diſpenſant; ſed in aliquo caſu ob maiorem Eccleſiæ utilitatem declarant, a reſidentia exemptum Epiſcopum eſſe. Neque replices, frequentes nimium eſſe eiuſmodi exemptiones: quoniam ad neminem privatum ſpectat virgam cenſoriam extendere in Superiorum interpretationes, & declarationes. Satis nobis eſt aſſerere, exemptionem a reſidentia eſſe licitam iis tantum in caſibus in quibus reipſa ius nec naturale, nec divinum obligat. Admiſſo vero quod vi iuris naturalis, & divini reſidere in diœceſi Epiſcopi aſtringantur in hoc aut illo caſu, nulla pontificia auctoritate eximi a reſidentia valent. Idem dicendum de exemptione ab implendis votis, ſervandiſque diebus feſtis. Quæ P. Suarez *Lib. II. cap. xv. num. 22.* opponit, nullum mihi faceſſunt negotium. Contendit ille in hac controverſia, ſæpe concedi veras diſpenſationes; at ſubdit, eas non eſſe in iure naturali præceptivo per ſe ſpectato; ſed in materia eius, mutando illam; qua mutata, ceſſat ius naturale obligare. Si quæras, quomodo Pontifices mutent materiam, plura reponit quæ mihi nihil ſignificant: & reipſa P. Suarez recidit in reſponſum *P. Soto*, quod oppugnat, & in communem doctrinam, quam dedimus ſupra, videlicet ius naturale eiuſmodi non obligare in hoc aut illo caſu; cuius obligationis, aut non obligationis Pontifices ſunt interpretes. Ne multa. Si iuxta P. Suarez mutatur materia; ergo ceſſat obligatio: ergo falſum eſt quod aſſerit, illam eſſe veram diſpenſationem. Nam vera diſpenſatio tum adeſt, quando, vigente lege, & conſiſtente eadem materia, Superior diſpenſat ab obligatione adimplendæ legis. Verum hæ lites de vocibus ſunt, atque adeo prætermittendæ.

XVI. Quæſt. IV. *Poteſt ne Deus ſua abſoluta poteſtate diſpenſare in aliquibus iuris naturæ præceptis?* Reſp. Triplex reperitur ſententia. Prima in omnibus etiam univerſalibus, altera in decalogicis, quæ proxime eliciuntur ex primis, tertia in remotis dumtaxat iuris naturæ præceptis diſpenſare poſſe Deum contendit. Omnes tres opiniones mihi falſæ videntur. Aio ergo cum S. Thoma, in nullo iuris naturæ præcepto poſſe fieri ut Deus revera diſpenſet. Idque ex iis quæ iam præmiſi, evidens eſt.

XVII. Diſpenſatio eſt ſolutio a lege, cuius obligatio, & materia manent, & urgent. At fieri nullo modo poteſt ut Deus impertiat facultatem agendi contra legem naturalem, quæ in his circumſtantiis, in quibus diſpenſat, vigeat, urgeatque. Quoniam, dum ius naturæ urget, præcipitque aliquod officium, oppoſita humana actio intrinſecus mala eſt, & turpis. Ergo fieri nequit ut media diſpenſa-

tio-

Digitized by Google

tione a Deo probetur. Quæ luculentiora apparebunt, ſi in medium revocavero quæ ſupra expoſui; videlicet, iuris naturæ materiam, ſeu obiecta ita eſſe intrinſecus ordinata, aut inordinata, ut neceſſario petant aut præcipi, aut vetari. Ergo nullo modo ſubiacent liberæ & voluntariæ diſpenſationi: alioquin eadem officia honeſta ſimul, & turpia eſſent; quod contradictionem involvit.

XVIII. Sed audiamus rationem quam ipſe S. Thomas promit 1. 2. quæſt. c. art. 8. *Tunc in præceptis debet fieri diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, in quo, ſi verbum legis obſervaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. Intentio autem legislatoris cuiuslibet ordinatur primo quidem & principaliter ad bonum commune; ſecundo autem ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundum quem bonum commune conſervatur, & ad ipſum pervenitur. Si qua ergo præcepta dentur quæ contineant ipſam conſervationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis, huiuſmodi præcepta continent intentionem legislatoris: & ideo indiſpenſabilia ſunt.... Præcepta autem Decalogi continent ipſam intentionem legislatoris, ſcilicet Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipſum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus eſt. Præcepta autem ſecundæ tabulæ continent ordinem iuſtitiæ inter homines obſervandæ; ut ſcilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum. Secundum hanc enim rationem ſunt intelligenda præcepta Decalogi. Et ideo præcepta Decalogi ſunt omnino indiſpenſabilia.* Quæ doctrina paucis concludi poteſt. Præcepta Decalogi, & cetera omnia quæ iuris naturæ ſunt, dirigunt homines, ut ordinate ſe habeant adverſus ſe, & adverſus Deum, ſerventque in ſocialitate iuſtitiæ ordinem. Sed ab hoc ſervando ordine diſpenſare Deus nequit (ſeu, ut melius loquar, hic ordo non excipit diſpenſationem) cum perturbatio iſtius ordinis ſit reipſa, & intrinſecus mala. Ergo præcepta nulla iuris naturæ diſpenſationi divinæ ſubiacent.

XIX. Obiicies 1. Poteſt legislator humanus diſpenſare ſubditos a legibus a ſe latis. Ergo & Deus in legibus naturalibus, quarum auctor eſt: alioquin minoris poteſtatis eſſet Deus quam homines. Reſp. Conſequentia falſa eſt: quoniam præcepta iuris naturæ eà præcipiunt, aut prohibent quæ antecedenter ad liberam voluntatem honeſta, aut turpia intrinſecus ſunt. Antecedens quoque ſuas habet exceptiones. Nam quoties legislator humanus quidquam vetat quod repugnat bono communi, nulla fruitur ab hoc diſpenſandi facultate. Exemplum perhibet S. Thomas 1. 2. quæſt. c. art. 8. *Si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus deſtrueret Rempublicam, neque proderet civitatem hoſtibus, ſive quod nullus aliquid faceret iniuſte, vel male, huiuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia.* Quoniam ea prohiberent quæ rectæ rationi repugnant. Nec eſt quod reponas, Deum libere, & non neceſſario condidiſſe ius naturæ, ſeu naturam humanam, quæ fundus eſt iuris naturalis. Quandoquidem iam diximus, Deum libere produ-

cere omnia quæ extra ipſum ſunt. At, poſita hypotheſi quod producere ea velit, neceſſitate hypothetica aſtringitur ut eadem producat juxta ordinem quem hæc exprimunt cum ſua divina eſſentia, & recta ratione. Rerum exiſtentia libera Deo eſt. At ordo rerum cum prima regula neceſſarius eſt.

XX. Obiicies 2. Deus reipſa diſpenſavit in pluribus Decalogi mandatis. Nonne Abraham præcepit ut filium ſuum Iſaac perimeret? ſicut narratur *Gen.* XXII. Nonne Samſoni iuſſit ut ſemetipſum conficeret? quemadmodum habetur *Iudicum* XVI. Quis Iſraelitis imperavit ut vaſa AEgyptiorum, aurea, & argentea ſurriperent, niſi Deus? Quis Patriarchis facultatem indulſit ducendi plures uxores? Quis Iudæis omnibus poteſtatem alienis fenerandi impertiit, niſi Deus? Nonne Oſea Dei iuſſu accepit mulierem fornicariam?

XXI. Hæc omnia ex iis quæ ſub initium capitis præmiſi, ſeipſis corruunt. Dictum eſt, plura reperiri præcepta iuris naturæ quæ iuxta circumſtantiarum varietatem modo præcipiunt, modo vetant eamdem rem, variis adventitiis accidentibus affectam. Et hæc ipſa mandata ſunt in ſe formaliter immutabilia; ſolumque eorumdem præceptorum materia variis ſubeſt circumſtantiis: idcirco illa ipſa præcepta excipiunt caſus qui congruunt, aut repugnant fini ultimo. Porro ſolus Deus, qui humani generis conditor eſt, comprehendit caſus omnes in quibus officia humana aut conveniunt, aut pugnant cum fine ultimo.

XXII. Deus itaque Abraham præcepit filii innocentis occiſionem: quia vita cuiuſque creaturæ ſubiacet divino dominio. Mandatum Decalogi vetat occiſionem iniuſtam, qualis ea eſt quæ privata auctoritate perpetratur, ſecus quæ publica poteſtate iubetur. Homicidium quod repugnat bono publico, malum eſt; quod vero in gloriam Dei cedit, ſanctum reputatur. Victima Iſaac Deo litanda gloriam Dei promovebat; ideo iuſta, & ſancta. Hoc eſt in diſputatione, inquies. Occiſio innocentis ſuapte natura mala eſt. Ergo nullo modo cedere in gloriam Dei valet. Sua natura mala eſt, abſolute ſpectata; ſecus circumſtantia peculiari affecta. Ecquænam eſt circumſtantia iſthæc? Reſpondeo, iſtam circumſtantiam mentem humanam, quæ comprehendere univerſalem humani generis finem nequit, fugere. Ergo pro arbitrio loquimur? Falleris. Principia certa habemus, unde reſponſum colligimus. Scimus certo mortem, & vitam in manu eſſe Domini. Ipſa rectæ rationis dictata nobis repræſentant, congruum eſſe atque conſentaneum ut vita noſtra ſubiecta ſit Creatoris voluntati, & arbitrio, quo poſſit eam aut diutius, aut citius ex hoc mundo eripere. Ex quibus principiis certis & ineluctabilibus colligimus, occiſionem cuiuſque hominis, divina peractam voluntate, divinam promovere gloriam. Terreni Principes in hominum vitam abſoluto non potiuntur dominio; nec univerſalem totius mundi finem comprehendunt: ideoque innocentum homicidia præcipere directe nequeunt; ſed facinoroſorum hominum

dum-

dumtaxat, qui Reipublicæ tranquillitati infeſti ſunt, mortem iure imperant. Contra Deus, ut ſupremus Dominus, cuiuſcumque hominis vitam ſervare, aut tollere iure poteſt. Et hoc non modo non repugnat, ſed maxime iuri naturæ congruit. Nulla ergo opus diſpenſatione eſt ut quorumcumque hominum, atque adeo Iſaaci, & Samſonis mortem Deus iubeat.

XXIII. Iſraelitæ ſurripuere AEgyptiis vaſa aurea, & argentea: quia partitio bonorum, quæ communia erant, voluntario hominum conſenſu facta fuit, ſupremo & abſoluto dominio eorumdem omnium bonorum Deo relicto. Unde ergo diſpenſandi a iure naturæ neceſſitas, ſi naturæ iure omnia creata bona liberæ Dei diſpoſitioni ſubiecta ſemper fuere, ſunt, eruntque? Quis aſſerere auſus fuerit, hanc bonorum partitionem cum præiudicio, & limitatione divinæ poteſtatis factam fuiſſe? En quam vera ſit doctrina quam præmiſi, ius nempe naturæ ſuas admittere exceptiones, & appendices. Facta bonorum partitione, ius naturæ prohibet ne quis invitus propriis bonis ſpolietur a quacumque humana poteſtate. Verum hoc ius naturæ dictat, Deum poſſe eodem quo pollebat ante diviſionem dominio, etiam poſt diviſionem, pro ſua libertate, cuicumque ſibi placuerit, eadem bona donare, poſſeſſoreſque ſpoliare in delictorum pœnam, vel ob alios ſibi notos fines; ut ſapienter S. Thomas *laud. quæſt.* c. *art.* 8. *ad* 3. declarat. *Si alicui auferatur quod ſuum erat, ſi debitum eſt quod ipſum amittat, hoc non eſt furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur: & ideo, quando filii Iſrael præcepto Dei tulerunt AEgyptiorum ſpolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex ſententia Dei.* S. Auguſtinus adiicit, AEgyptios ob ſacrilegum auri, argentique abuſum iure multatos a Deo fuiſſe. Inquit enim Lib. XXII. cont. Fauſtum cap. lxxi. *AEgyptii vero ſacrilegi, & iniqui: nam & auro illo, hoc eſt Dei creatura, male utentes ad Creatoris iniuriam, ſuis idolis ſerviebant, & homines peregrinos labore gratuito iniuſte, ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant & iſti quibus talia iuberentur, & illi qui talia paterentur.*

XXIV. Qua ratione, qua auctoritate ſuprema Dei translatio bonorum iuſta eſt, eadem uxorum pluralitas licita evadit. Deus enim, non minus corporis quam bonorum dominus eſt; & quemadmodum bonorum, ita & corporum mutare dominia valet. Repugnat uxorum pluralitas naturæ iuri abſolute; verum hoc ius naturæ præſupponit humanum conſenſum, & ſuas includit appendices. Servandum ius iſtud iuxta conditionem propriam, quatenus nempe conſenſus humanus, quem præſupponit, intrinſecus claudit conditionem, niſi Deo, qui ſupremus humanorum corporum dominus eſt, aliter placuerit. Matrimonium ad propagandam, ſervandamque naturam inſtitutum eſt. Solus Deus univerſæ naturæ conditor comprehendit, quando uxorum pluralitas conducat ad iſtius naturæ propagationem, atque conſervationem. Quapropter ſolus Deus declarare poteſt, hoc aut illo tem-

T ij pore

pore congruam eſſe uxorum pluralitatem. Nulla ergo diſpenſatione Deus uſus eſt, dum Patriarchis ſanctis plures conceſſit uxores; ſed declaravit, ut legitimus, & ſupremus interpres, ius naturæ tali tempore, & talibus perſonis non prohibere uxorum pluralitatem. Sicuti quodlibet præceptum voluntarium humanum obſervandum eſt iuxta conditiones, quas includit; ita quoque ius naturæ ſervandum eſt ſecundum eas appendices quas ob varias materiæ circumſtantias admittit. S. Thomas in *IV. diſt.* XXXIII. *quæſt.* I. *art.* 2. utitur verbo diſpenſationis, loco declarationis. Diſpenſationem ibi amplo in ſenſu accipit, ut ex omnibus aliis locis ubi de hac re loquitur, patet.

XXV. Nec eſt quod opponas, ius naturæ eſſe neceſſarium: nullus ergo conditiones adiicere, vel ſubtrahere poteſt. Quoniam obiectio hæc ex falſa imaginatione oritur. Scilicet quia neceſſarium eſt ius naturæ, conſequitur ut debeat præcipere, aut vetare iuxta materiæ, & circumſtantiarum diverſitatem. Congruit rectæ rationi hoc officium tali tempore huic perſonæ: hoc idem officium, variatis circumſtantiis, cum recta ratione pugnat. Hanc autem diverſitatem ſolus Deus agnoſcit; & ideo ſolus Deus declarare valet, quandonam liceat, aut ſecus, pluralitas uxorum. Solus quippe Deus etiam impedire iurgia, diſſidia, ceteraque incommoda, quæ pluralitatem uxorum conſequuntur, eaque impertiri ſubſidia poteſt quæ valent ad has in ordine, & tranquillitate continendas. Nulla itaque humana auctoritate neque pluralitas uxorum concedi poteſt, neque matrimonium contractum diſſolvi; ut ſuo loco fuſius palam fiet.

XXVI. Fenerandi licentiam Deus Hebræis permiſit cum alienis ob eorum obſtinatam avaritiam, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. LXXVIII. art. I. ad I. *Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum; ſed permiſſum ad maius malum vitandum; ne ſcilicet a Iudæis, Deum colentibus, uſuras acciperent, propter avaritiam, cui dediti erant.*

XXVII. Ad exemplum Oſeæ patet ex dictis reſponſio. S. Hieronymus hæc verba, *Sume tibi uxorem fornicariam*, ſic interpretatur. *Ex quo oſtenditur mulier iſta, quam Propheta ſumit in coniugem, non ſemel, ſed frequentius fornicata.* Et fac tibi filios fornicationum. *Utrumque poteſt intelligi: quod & fornicariæ priores de fornicatione ſuſceptos recipiat filios; & ipſe ex meretrice generet filios, qui idcirco fornicationis appellandi ſunt filii, quod ſint ex meretrice generati.* Accepit ergo Propheta in coniugem mulierem meretricem: quæ actio nullam prodit deformitatem. An non licet cuique meretricem ſibi deſponſare in coniugem? S. Thomas ſuo, & communi principio nixus, reſpondet laud. quæſt. C. art. 8. ad 3. *Similiter etiam Oſee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus: quia acceſſit ad eam quæ ſua erat ſecundum mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonii.* Ex divinæ Scripturæ textu non eruitur, hanc

hanc mulierem fuiſſe adulteram, ſed ſimplicem meretricem, quam in uxorem ſuſcipere nulla lex vetat. Ideo S. Thomas 2. 2. *quæſt.* clIV. *art.* 2. *ad* 2. inquit : *Ita etiam Oſee non peccavit fornicando ex præcepto divino : nec talis concubitus proprie fornicatio debet dici, quamvis fornicatio nominetur, referendo ad curſum communem.* Nec S. Doctor definite aſſerit, fuiſſe adulteram, ſed fornicariam, vel adulteram, quatenus etiam cum viris uxoratis copulam habuit. Verum non eſt huius loci rem hanc ſeverius diſcutere. Semper ergo recurrit eadem doctrina. Ius naturale quod in contractibus viget, cum præſupponat, tamquam fundamentum, conſenſum voluntarium, mutationi materiali obnoxium eſt : quia ſemper in ſe continet conditionem intimam, niſi Domino ſupremo aliter viſum fuerit. Et quia Deus auctor eſt matrimonii, & ſupremus Dominus corporum; idcirco pro temporum opportunitate, & iuxta finem a ſua æterna Sapientia præſtitutum poteſt efficere ut matrimonium temporaneum ſit; quemadmodum ex S. Thoma interpretatur Cornelius a Lapide in *cap.* I. *Oſee*.

XXVIII. Obiicies 3. S. Bernardus *Lib. de diſpen. cap.* III. inquit : *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis ſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittant.... Dominus tamen horum, quod voluit, quando voluit, ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria fornicari præcepit*. Reſp. Vera hæc omnia eſſe iam demonſtravi. Quæſtio dumtaxat nunc eſt de modo quo id Deus præſtat. Factum S. Bernardus narrat; modum quo id fit, ſilet, nec de eodem diſputat.

XXIX. Opponi plura alia ſolent levioris momenti, ut matrimonium filiorum Adæ cum propriis ſororibus, quod matrimonium legi naturæ adverſatur. Verum tantum abeſt ut cum lege naturæ primis illis temporibus pugnaverit matrimonium præſatum; quinimmo ad naturam conſervandam propagandamque neceſſarium erat. Matrimonii auctor, ut diximus, Deus eſt : ergo eas præfigere illius celebrationi conditiones poteſt quas expedientes iudicaverit. Omnia nituntur præiacto fundamento, quod præcepta illa naturalia quæ præſupponunt liberum conſenſum, includunt ſemper ſubiectionem ad ſupremam Domini voluntatem.

XXX. Ut paucis omnia concludam, plures Auctores in hac controverſia minus exacte loquuntur : quia veram & integram iuris naturæ notionem, ideamque perſpectam minime habent. Aiunt aliqui, hanc hominum ſocietatem evertere Deum poſſe, aliamque ſubſtituere : quod dubio procul verum eſt, cum omnium rerum exiſtentia contingens ſit. Ex quo inferunt, oppoſitas leges præſcribere poſſe, & furtum, homicidium, & adulterium imperare. Quæ ſane locutiones falſæ ſunt. Quamquam verum ſit poſſe Deum efficere ut ea quæ abſolute, &, nullo ad illius ſupremum dominium habito reſpectu, ſunt furta, homicidia, adulteria, iuri naturæ ſecundi ordinis adverſa, talia non ſint, ſi ſuprema eius poteſtas accedat; ta-

men ut hæc Deus præſtet, haud opus eſt ut hanc ſocietatem evertat; ſed in hac ipſa ſocietate hæc omnia præſtitit, ut ex exemplis ſupra allatis palam eſt. Verum cum Deus ſuo ſupremo dominio hæc præſcribit, ea quæ ſpectato iure naturæ ſecundi ordinis, pendente ſcilicet a conſenſu libero, ſunt adulterium, furtum, homicidium indebitum, adiecto reſpectu ad ſupremam divinam diſpoſitionem, non ſunt adulteria, nec furta, nec homicidia indebita. Quare præfatæ locutiones, *Deus poteſt furtum, adulterium &c. imperare*, implicant contradictionem. Eo ipſo enim quod Deus hæc imperat, furtum non eſt furtum, adulterium non eſt adulterium; ſeu id quod eſt adulterium illicitum, & oppoſitum iuri naturæ abſolute ſpectato, adiecta conditione, evadit licitum, & adulterii, furti, homicidii malitiam exuit. Sunt utique hæ quæſtiones vocum. Ergo vitandæ ſunt ambiguæ phraſes, & minus exactæ locutiones; cum poſſimus verborum proprietate, & perſpicuis expreſſionibus hæc omnia repræſentare.

XXXI. Quæſt. V. *Locum ne in lege naturali babeat epiikia?* Reſp. Prolixo ſermone hac de re ſcribit P. Suarez *Lib. II. de leg. cap.* XVI. variaſque opiniones recenſet. Sed totum diſſidium ex diverſa *epiikiæ* intelligentia oritur. Nam alii nomine *epiikiæ* legis correctionem intelligunt; alii illam pro interpretatione, & declaratione accipiunt. Quemadmodum, ut vidimus ſupra, plures diſpenſationem cum interpretatione confundunt; ita non pauci *epiikiam* pro diſpenſatione uſurpant. Nos *epiikiam* eo in ſenſu intelligentes in quo illam exponit S. Thomas, dicimus, in lege naturali locum eamdem non habere. Porro S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CXX. *art.* I. docet *epiikiam* emendationem, & correctionem legis eſſe, eamque in legibus humanis locum habere. *Quoniam*, inquit, *bumani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt; non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui quæ in nullo caſu deficeret; ſed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum boc legem ferentes: quam tamen in aliquibus caſibus ſervare eſt contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit.... Et ad boc ordinatur epicheia, quæ apud nos dicitur æquitas.* Ex quibus apparet, S. Doctorem *epiikiam* pro correctione legis accipere, quatenus legislator humanus, cum non poſſit omnes caſus prævidere, leges fert, ſecundum quod res communiter contingunt. Idcirco neceſſariam aſſerit *epiikiam*, qua lex in hoc aut illo caſu corrigatur. Lex autem naturalis immutabilis & invariabilis in ſe ipſa formaliter eſt; omneſque caſus poſſibiles illius conditor Deus prævidit: idcirco in hac epiikia locum habere nequit. Et quando caſus aliqui occurrunt in quibus ob varietatem circumſtantiarum lex ipſa naturalis non obligat, hos ipſos caſus ſolus Deus agnoſcit. Sola ergo interpretatione, & declaratione Deus utitur, minime autem *epiikia*. Nec res fuſiorem exigit orationem.

CA-

CAPUT XV.

De iure gentium, diſtincto a iure naturali. Errores Hobbeſii, Pufendorfii, Heinnecii, *aliorumque exploduntur.*

I. THomas Hobbeſius de *Cive cap.* XIV. naturalem legem tribuit in *naturalem hominum, & naturalem civitatum, quæ vulgo ius gentium adpellatur. Præcepta utriuſque eadem ſunt; ſed quia civitates ſemel inſtitutæ induunt proprietates hominum perſonales, lex quam loquentes de hominum ſingulorum officio naturalem dicimus, adplicata totis civitatibus, nationibus, ſive gentibus, vocatur ius gentium.*

II. Samuel Pufendorfius *Lib. II. de iur. nat. & gent. cap.* 11. *§.* 23. poſt relatam Hobbeſii doctrinam ſubdit: *Cui ſententiæ & nos plane ſubſcribimus.* Hanc eamdem opinionem amplectitur Heinnecius *Lib. I. de iur. nat. & gent. cap.* 1. *§.* 21. ubi conſueta præfidentia ſcribit: *Rationes eos fugere qui neſcio quod ius gentium, a iure naturæ diverſum, ſibi fingunt.* Hæc ſunt effata quæ promunt hi qui iuris naturæ, gentium, & poſitivi arcana reſeraſſe, & illuſtraſſe modeſtiſſime ſe iactant. Erronea hæc opinio conſectarium eſt illius erroris quem ſupra profligavi, videlicet legem naturalem voluntariam eſſe; nullamque ſive bonitatem, ſive malitiam antecedenter ad legem liberam in rebus reperiri. Quod profecto commentum ſat eſt ad evincendum, quam profundi Metaphyſici fuerint Doctores iſti.

III. Antequam iſtorum errorem convello, præmittam oportet iuris gentium deſcriptionem. Medium quodammodo eſt ius iſtud, naturale inter & poſitivum, reipſa tamen a naturali, cum quo habet propinquitatem, omnino diſtinctum eſt, ut mox declarabo; & ad poſitivum accedit, immo poſitivum dici poteſt. Gentium ius nuncupatur, quia gentium omnium, vel plurimarum invectum eſt conſenſione. Omnes fere gentes, nulla Principum, ſive ſubditorum diſtinctione facta, obſtringit. Gentium nomine non intelliguntur omnes populi nobis incogniti, aut barbaræ, ſtupidæque nationes, quæ, morum honeſtate deſtitutæ, brutalem vitam ducunt; ſed gentes cultæ, morarumque, quales fuere ſemper plurimi, & inſigniores mundi populi, ut Iudæi, Græci, Romani, & potiſſimum Europæi.

IV. Plures diſtinxere ius gentium in primarium, & ſecundarium. Ius primarium in naturali hominum inſtinctu, ius ſecundarium in hominum uſu & conſuetudine collocant. Sed hanc diſtinctionem ut futilem reiicimus. Alii negarunt ius gentium proprie dictum, hoc nixi fundamento, quod numquam gentes ſimul coiverint ad ius iſtud inſtituendum: quod vanum commentum ſponte corruit. Nec

enim neceſſe fuit ut gentes omnes, vel plurimæ una convenirent, & mutuum conſenſum verbis exprimerent; ſed ſat fuit conſenſus tacitus, quo cultiores gentes omnes in certas fixaſque regulas, ſeu leges conſpirarent. Nonne gentes mutuam inter ſe ſocietatem inivere? Societates iſtæ conſiſtere ne abſque ulla lege poterant? Qua ratione inire fœdera, agere commercia, celebrare contractus, plectere fraudes, & dolos poterant, niſi pacta, & leges ſtatuiſſent, ad quarum amuſſim formare & dirigere officia ſua poſſent? Porro has leges, tacito & uniformi conſenſu latas, ius gentium appellamus. Hæc quæ indicavimus, eiuſdem iuris neceſſitatem evincunt.

V. His delibatis, dico, ius gentium a naturali omnino diſtinctum eſſe. Nam obiectum iuris naturalis, ut vidimus, ſunt actiones quæ natura ſua intrinſecam habent honeſtatem, vel turpitudinem; atque adeo neceſſario præcipiendæ, aut vetandæ. Iuris gentium obiecta non ſunt intrinſecus neceſſario honeſta, aut turpia; atque adeo neque neceſſario præcipienda, vel prohibenda, quamvis maxime utilia ad finem præſtitutum. Idque indicando quæ ius gentium præcipit, aut prohibet, palam fit. Iure gentium bonorum diviſio, admiſſio legatorum, tranſitus viarum, & cetera plura introducta ſunt. Ius gentium vetat veneno interficere etiam in iuſto bello hoſtem, recuſare abſque legitima cauſſa legatos. Quæ omnia natura ſua nec honeſtatem, nec turpitudinem neceſſario produnt.

VI. Aliqua quæ ad ius gentium pertinent, ſcriptis conſignata ſunt, ut illa quæ fœdera, pacta, & cetera id genus ſpectant. Cauſſa efficiens iuris gentium ſunt gentes ipſæ. Nec alicuius momenti eſt quod obtrudit Pufendorfius *loc. cit.* quod gentes ipſæ ſubiectæ ſint huic iuri. Ius autem quodlibet a ſuperiore rogari debet. Nonne Communitates Reipublicæ leges condunt, ſimulque eiſdem legibus ſubiiciuntur? Fatemur tamen, ſummam cum iure naturæ ius gentium propinquitatem habere. Adeo enim rectæ rationi congruum eſt, ut, quaſi impellente, ſeu inſtigante natura, fuerit unanimi conſenſione receptum. Tamen quia ea quæ præcipit, aut vetat, non continent neceſſariam intrinſecam malitiam, aut honeſtatem, ſed mutationi propriæ & formali obnoxia ſunt; ut palam eſt in partitione bonorum, quorum exactam communitatem ſervabant Chriſtiani primi, ſervantque nunc plures, & in captivitate ſervorum, & in aliis pluribus; idcirco a iure naturæ prorſus diſtinctum eſt.

VII. Dividi ius gentium communiter ſolet in affirmativum, & negativum; in proprium, & minus proprium. Ius gentium preſſe acceptum illud eſt quod, ut iam deſcripſi, comprehendit ea quæ natura nec iubet, nec vetat; ſed tacito conſenſu, moribus, & conſuetudine in communem omnium, vel plurimarum gentium utilitatem, & commodum invecta fuerunt. Talia ſunt *I. legatorum*, qui ab uno Principe, Republica, Communitate ad aliam deſtinantur, acceptatio: quæ accepta-

ptatio iure naturæ nec prohibetur, nec præcipitur. II. Publica eorum ſecuritas, ut communia peragere negotia valeant Communitatis, ſeu Principatus nomine. III. Prohibitio, ne arma, aut fontes veneno inficiantur. IV. Ne hoſtes per ſicarios dolo, & proditione occidantur. V. Fœdera pacis, & induciarum, quæ licet, poſtquam inita ſunt, iure naturæ obſtringant; quoad inſtitutionem tamen, petitionemque iure gentium ſunt inſtituta. VI. Servitus, ſeu poteſtas utendi captivis iuſto bello captis. VII. Commerciorum procuratio inter nationes non inimicas. VIII. Ius ſepulturæ. IX. Bonorum partitio. Exempla iuris gentium *minus proprie* accepti ſunt I. Munitio civitatum. II. Permutatio rerum. III. Ius poſtliminii. IV. Uſus panis pro cibo, iura acquirendi bona, & nonnulli alii contractus. V. Deſignatio certi ſtatus hominum ad offerenda Deo ſacrificia.

VIII. Ius iſtud obligat in conſcientia plus minuſve, iuxta materiæ gravitatem maiorem, aut minorem. Immo huiuſce iuris violatio tantum apud omnes gentes ſceleris prodit, ut eiuſdem violatores non modo culpam contrahant in divino conſpectu, ſed ut infames, & publicæ tranquillitatis hoſtes reputentur. Quare ius iſtud obſtringit omnes, & potiſſimum orbis terrarum Principes, Reges, Imperatores, & omnium Communitatum capita. Secundum iſtius iuris regulas dirimuntur lites, & diſſidia inter ſupremas Poteſtates. Plura ſunt iura civilia in quocumque ſtatu, extra quem non tranſiliunt. Verum quæ iure gentium invecta ſunt, populos omnes obligant. Quare Principes, ſupremæque Poteſtates non modo proprii ſtatus, ſed omnium populorum, quibuſcum commercium & negotia habent, pacem, tranquillitatem, felicitatemque ſpectare, & cavere eius perturbationem ſummopere debent.

IX. Illud tamen animadvertendum, mutationi obnoxia eſſe, ut iam dictum eſt, ea quæ iure gentium comprehenduntur. Mutari poſſunt non uſu, & deſuetudine; temperari, roborari iuris civilis decretis apud unam gentem, & non penes alteram. Rationem mutabilitatis iam dedi, quia nempe ea quæ hoc iure aut præcipiuntur, aut prohibentur, intrinſecam bonitatem, aut malitiam neceſſariam non continent. Licet tamen omnia mutabilia ſint, reipſa tamen fieri moraliter nequit ut omnia mutentur: quandoque plura ita publicæ utilitati conſentanea ſunt, & utilia, ut abſque iiſdem tranquillitas publica conſiſtere nequeat.

DIS.

DISSERTATIO III.

DE LEGE POSITIVA DIVINA VETERE, ET NOVA.

PRAELOQUIUM.

LEGI naturali, de qua hactenus, ſuccedit lex poſitiva voluntaria, in divinam,& humanam tributa. Hanc diſſertationem, quæ circa divinam legem verſatur, duobus capitibus concludam. In primo legem veterem, in altero novam exponam. Si materiæ vaſtitatem, dignitatem, excellentiam, & utilitatem ſpectes, ampla eſſe deberet diſſertatio noſtra. Verum, quia longum iter ſupereſt, plura paucis perſtringam, ne utriuſque legis lectorem meum ieiunum relinquam. Plura de evangelicæ legis ſpiritu, & fine dicturi ſumus in *Tomo I. Apparatus ad Theologiam Chriſtianam*. Quapropter illuc lectorem uberiora cupientem remitto.

CAPUT I.

Lex Moſaica bona, a Deo lata ſoli populo Iudæo. Eius finis, præcepta, & abrogatio.

I. PRima lex quam Deus mundo intimavit, eſt Moſaica. Præceſſerunt utique aliqua divina præcepta, quæ tamen legis univerſalis denominationem non ſubierunt. Præceptum intimavit Deus Adæ in ſtatu innocentiæ. Poſt lapſum aliqua itidem præſcripſit Deus, quæ ſpectant ſacramentorum uſum, quo tum adulti, tum infantes a peccati originalis macula mundarentur. Item ante diluvium animalium quædam munda, quædam immunda reputata fuere, ut legitur *Gen.* VII. Et poſt diluvium Deus præcepit Gen. IX. *Carnem cum ſanguine non comedetis: ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram*. Diſcretio illa animalium ſacrificia tantum ſpectabat; cum probabilius ſit ante diluvium non obtinuiſſe conſuetudinem eſus carnium. Hæc tamen, ut dixi, præcepta fuerunt peculiaria, quæ legem preſſe acceptam non conſtituunt.

II. Prima lex proprie dicta quam Deus rogavit, eſt illa quam Moyſes Dei iuſſu promulgavit, idcirco Moſaica nuncupata. Adverſus hanc legem hæretici plures blaſphemarunt primis chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis. Propugnabant ſceleſti homines duo principia, bonum unum, malum alterum. Legem veterem a malo Deo fuiſſe

fuiſſe latam docebant Simoniani, Carpocratiani, Cerdoniani, Valentiniani, & omnium impudentiſſime Manichæi; quorum inſaniam ſtrenue repreſſit S. Auguſtinus. Pelagiani contra plus iuſto legem extollebant, contendentes illa ſola homines iuſtitiam aſſequi, ut narrat S. Auguſtinus Lib. IV. contr. duas epiſt. Pelag. cap. v. *Rurſus in laudem legis quid eis prodeſt quod contra Manichæos verum dicunt; quando ex hoc ad illud volunt ducere quod falſum contra Catholicos ſentiunt? Dicunt enim: Legem etiam veterem ſecundum Apoſtolum iuſtam, & ſanctam, & bonam fatemur, quæ cuſtodientibus mandata ſua, ac per fidem iuſte viventibus, ſicut Prophetis, & Patriarchis, omnibuſque Sanctis, vitam potuit conferre perpetuam. Quibus verbis callidiſſime poſitis, legem contra gratiam laudant. Neque enim lex illa, quamvis iuſta, ſancta, & bona, omnibus hominibus Dei, ſed fides, quæ in Chriſto eſt, vitam potuit conferre perpetuam.*

III. Bonam eſſe, utilemque legem Moſaicam demonſtrat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCVIII. *art.* 1. tum auctoritate, tum ratione. Chriſtus Dominus *Matth.* VIII. dicit: *Vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes.* Item S. Paulus ad Rom. VII. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum.* Ratio quam exhibet S. Thomas, hæc eſt. *Dicendum, quod abſque omni dubio lex vetus bona fuit. Sicut enim doctrina oſtenditur eſſe vera ex hoc quod conſonat rationi; ita etiam lex aliqua oſtenditur eſſe bona, quod conſonat rationi rectæ. Lex autem vetus rationi conſonabat, quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi adverſatur, ut patet in illo mandato:* Non concupiſces rem proximi tui, *quod ponitur Exodi* XX. *Ipſa etiam omnia peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem.*

IV. Fuit a Deo vero lata lex Moſaica, ſecus a Deo malo, ut præfati hæretici blaſphemabant. Fuerunt alii qui effutiere, partim conditam a Deo eſſe, partim a Moyſe, & partim a ſenioribus populi: quæ omnia, ut vana deliria, deridentur. Innumera ſunt legis novæ teſtimonia quæ vero Deo legem Moſaicam adſcribunt. S. Paulus ad Rom. cap. 1. *Vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Item ad Hebræos cap. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Rationem prodit S. Thomas *loc. cit. art.* 2. Chriſtus eſt verus Filius Dei vivi. Porro lex vetus homines ad Chriſtum ſuſcipiendum, credendumque diſponebat. Ergo idem Deus qui miſit Filium ſuum in mundum, legem illam tulit quæ in hunc finem perducebat. *Lex enim vetus,* inquit S. Doctor, *homines ordinabat ad Chriſtum dupliciter. Uno quidem modo, teſtimonium Chriſto perhibendo . . . Alio modo per modum cuiuſdam diſpoſitionis, dum retrahens homines a cultu idololatriæ, concludebat eos ſub cultu unius Dei, a quo ſalvandum erat humanum genus per Chriſtum.* Si plura cupis, conſule S. Thomam.

V.

V. Univerſam legem, & non partem dumtaxat, datam a Deo fuiſſe, teſtatur Moyſes Exod. XXIV. *Narravit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: reſponditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini quæ locutus eſt faciemus ..., Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes ei.* Sed quid tempus tero in re manifeſta demonſtranda?

VI. Modus quo lata lex fuit, perſpicue deſcribitur *Exod.* XIX. & XX. Narratur in monte *Sinai* legem hanc datam fuiſſe: ſubditur etiam in monte *Horeb*. Sed idem mons duplici nomine appellatur. Annus quo promulgata hæc lex fuit, teſte S. Paulo ad *Galat.* III. quadringenteſimus trigeſimus eſt a divina promiſſione Abrahæ facta. Diſputant Theologi, fuerit ne lex iſta a Deo immediate, an miniſterio Angelorum lata? Ipſi Patres diſſident. Iuſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, aliique plures datam volunt per verbum divinum, quod ſub magni Angeli nomine intelligebant. Oppoſitum ſentit S. Auguſtinus cum aliis. Probabilior ſententia eſt, legem iſtam Angelorum miniſterio Moyſi revelatam fuiſſe. Hanc aſſignat congruentem rationem S. Thomas cit. quæſt. art. 3. *In omnibus poteſtatibus, & artibus ordinatis ille qui eſt ſuperior, principalem, & perfectum actum operatur per ſeipſum; ea vero quæ diſponunt ad perfectionem ultimam, operatur per ſuos miniſtros; ſicut naviſactor compaginat navem per ſeipſum, ſed præparat materiam per artifices ſubminiſtrantes. Et ideo conveniens fuit ut lex perfecta novi teſtamenti daretur immediate per ipſum Deum hominem factum; lex autem vetus per miniſtros Dei, ſcilicet per Angelos, daretur hominibus.*

VII. Soli populo Iudæorum intimata lex hæc fuit, ut habetur Deut. IV. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat caremonias, iuſtaque iudicia, & univerſam legem?* Ratio huius eſt ſola, & imperſcrutabilis Dei voluntas. Hanc Deus legem promiſit ſanctis Patriarchis, Abraham, Iſaac, Iacob. S. Thomas *loc. cit. art.* 4. hanc congruentiam perhibet. *Poſſet una ratio aſſignari quare potius populo Iudæorum data ſit lex quam aliis populis: quia, aliis populis ad idololatriam declinantibus, ſolus populus Iudæorum in cultu unius Dei remanſit: & ideo alii populi indigni erant legem recipere, ne ſanctum canibus daretur. Sed iſta ratio congruens non videtur: quia populus ille etiam poſt legem latam ad idololatriam declinavit, quod gravius fuit.* Ideo, hac miſſa congruentia, ſubdit poſt pauca hanc legem dediſſe populo Iudæo, *ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob .... Si autem rurſus quæratur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Chriſtus naſceretur, & non alium; conveniet reſponſio Auguſtini, quam dicit ſuper Ioannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.*

VIII. Si uni Iudæorum populo data hæc lex fuit, ſolos ne Iudæos obſtringebat? Hanc quoque difficultatem proponit S. Thomas *loc. cit. art.* 5. reſpondetque,

ce-

ceteros populos gentiles aſtrictos fuiſſe ſervare omnia præcepta naturalia, non quia continebantur in Moſaica lege, ſed quia a lege naturæ, omnes ratione præditos obligante, præſcripta erant; a ceteris vero præceptis peculiaribus legis Moſaicæ ſolutos omnino fuiſſe. Ratio evidens eſt. Quoniam nulla lex obligat niſi eos quibus imponitur. Lex Moſaica ſolis impoſita Iudæis fuit. Ergo iſtos ſolos aſtrinxit. Et reipſa plures gentiles, a lege circumciſionis liberi, quorum caput, & ſacerdos fuit *S. Melchiſedech*, ſalvi facti ſunt, quia verum Deum colebant, & iuris naturæ præcepta obſervabant. Gentiles tamen, qui populo Iudæo aſcribebantur, Moſaicæ legi ſubiecti erant; ut declaratur Exod. XII. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ.*

IX. Nec eſt quod opponas, fruſtra gentiles ſuſcepiſſe iugum Moſaicæ legis, quando a tali iugo ſoluti aſſequi ſalutem poterant. Quoniam reſpondet S. Thomas loc. cit. art. 5. ad 3. *Quod gentiles perfectius, & ſecurius ſalutem conſequebantur ſub obſervantiis legis quam ſub ſola lege naturali: & ideo ad eas admittebantur. Sicut etiam nunc laici tranſeunt ad Clericatum, & ſæculares ad Religionem, quamvis abſque hoc poſſint ſalvari.* Nec Chriſtus redarguit Phariſæos, & Scribas, quod gentiles ad religionem iudaicam convertere ſtudebant; ſed quod eos ad phariſaicas traditiones ſervandas adducerent. Inquit quippe Chriſtus Dominus Matth. XXIII. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum; & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Et revera illi qui ad aliquam communitatem, in ſuis legibus ſervandis relaxatam, alios adducunt, pravis ſuis exemplis filios ſæpe efficiunt duplo nequiores.

X. Finis legis Moſaicæ eo pertinebat, ut homines diſponeret, præpararetque ad Chriſtum Dominum ſuſcipiendum, qui venit non ſoluturus, ſed impleturus legem. Quare lex illa non iuſtificabat homines, ſed iuſtificationem quibuſdam cæremoniis figurabat. Quare, licet ſoli Iudæi ſubiecti eiuſdem legis oneri eſſent; tamen, quatenus lex illa portendebat Chriſtum venturum, & ſignificabat quæ per ipſum implenda erant, comprehendebat omnes. Nemo quippe ſalutem aſſecutus æternam eſt, ſive ante, ſive poſt Moſaicam legem, abſque fide aut implicita, aut explicita in Chriſtum Redemptorem.

XI. Præcepta Moſaicæ legis ad tria genera revocantur, videlicet ad *moralia*; *cæremonialia*, *iudicialia*. Quæ partitio deſcribitur Deuter. V. *Tu vero hic ſta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque iudicia.* Præcepta moralia ad naturalem, cæremonialia, & iudicialia ad voluntariam, ſive poſitivam legem pertinent. Cetera omnia quæ in Moſaica lege continentur, aut non

ſunt

Digitized by Google

ſunt præcepta, aut ad hæc revocantur. Fuerunt in eadem lege plura conſilia de rebus tum moralibus, tum cæremonialibus, tum iudicialibus. In re morali fuerunt vota, ut habetur Deut. XXIII. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*. In re cæremoniali fuerunt ſpontaneæ oblationes. Narratur enim Levit. XXII. *Qui obtulerit oblationem ſuam, vel vota ſolvens, vel ſponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocauſtum* &c. Tandem in materia iudiciali hæc narrantur Exod. XXII. *Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei: ipſum eſt enim ſolum quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat*. Urgente neceſſitate, ſub præcepto hæc cadunt; ſed, neceſſitate ablata, conſilii ſunt. Quæ omnia perſpicue de more explicat Angelicus 1. 2. quæſt. c. art. 2. *Nam virtutes intellectuales ordinant bene actus rationis in ſe ipſis; virtutes autem morales ordinant bene actus rationis circa interiores paſſiones, & exteriores operationes. Et ideo manifeſtum eſt quod lex divina convenienter diſponit præcepta de actibus omnium virtutum; ita tamen quod quædam, ſine quibus ordo virtutis, qui eſt ordo rationis, obſervari non poteſt, cadunt ſub obligatione præcepti; quædam vero quæ pertinent ad bene eſſe virtutis perfectæ, cadunt ſub admonitione conſilii*.

XII. Ad præcepta oral ia, non modo naturalia, ſed etiam ſupernaturalia mandata revocantur. Fuerunt enim & in veteri lege mandata fidei, ſpei, & caritatis. Immo cetera mandata ad hæc duo revocantur, inquit Chriſtus Dominus Matth. XXII. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*. Præcepta autem fidei, & ſpei præcedunt legem ipſam. Præcepta moralia partim continentur in Decalogo, partim revocantur ad illum, veluti additiones.

XIII. Præcepta cæremonialia preſſe accepta ad Dei cultum attinent, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. CI. art. 1. *Cæremonialia præcepta determinant præcepta moralia in ordine ad Deum, ſicut iudicialia determinant præcepta moralia in ordine ad proximum*. Præcepta cæremonialia quatuor erant, quæ ſpectabant ſacrificia, inſtrumenta, ſacramenta, & obſervantias. Tria erant ſacrificiorum genera: holocauſtum, hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica. Hæc omnia ſigillatim explanat S. Thomas loc. cit. quæſt. CII. art. 3. ad 5. *Triplex erat ſacrificiorum genus. Quoddam erat quod totum comburebatur; & hoc dicebatur holocauſtum, quaſi totum incenſum. Huiuſmodi enim ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reverentiam maieſtatis ipſius, & amorem bonitatis eius: & conveniebat perfectionis ſtatui in impletione conſiliorum. Et ideo totum comburebatur, ut ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat; ita etiam ſignificaretur, totum hominem, & omnia quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubiecta, & ei eſſe offerenda. Aliud autem erat ſacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati: & conveniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactione peccatorum: quod dividebatur in*

duas

duas partes : nam una pars eius comburebatur; altera vero cedebat in uſum ſacerdotum, ad ſignificandum quod expiatio peccatorum ſit a Deo per miniſterium ſacerdotum : niſi quando offerebatur ſacrificium pro peccato populi, vel ſpecialiter pro peccato ſacerdotis : tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in uſum ſacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, & quia hoc non eſſet ſatisfactio pro peccato : ſi enim cederet in uſum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem eſſet videretur ac ſi non offerretur. Tertium vero ſacrificium vocabatur hoſtia pacifica, quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi; vel accepti : & convenit ſtatui proficientium in impletione mandatorum : & iſta dividebatur in tres partes : nam una pars incendebatur ad honorem Dei; alia pars cedebat in uſum ſacerdotum; tertia vero pars in uſum offerentium, ad ſignificandum quod ſalus hominis procedit a Deo, dirigentibus miniſtris Dei, & cooperantibus ipſis hominibus qui ſalvantur. Si plura cupis, conſule ſanctum Doctorem, ubi plurima invenies vaſta eruditione, & profunda doctrina referta. Perpende quanta perſpicuitate ex præfatis cæremoniis colligat adverſus novos heterodoxos omnia noſtra dogmata.

XIV. Hoſtia pro peccato diſtinguitur *Levit.* VII. ab hoſtia pro delicto. S. Auguſtinus *quæſt.* XX. *in Levitic.* peccatum mali commiſſionem, delictum boni neglectum, ſeu omiſſionem, vel etiam ignorantiam boni vocat. *Quid aliud ſonat delictum, niſi derelictum; & qui delinquit, quid derelinquit niſi bonum? Poteſt etiam videri illud eſſe delictum quod imprudenter, ideſt ignoranter; illud peccatum quod ab ſciente committitur.*

XV. Hoſtia pacifica, ut iam S. Thomas in adducto textu explanavit, offerebatur pro gratiarum actione. Et ſubdit ibidem : *Hoc autem generaliter obſervabatur, quod ſanguis, & adeps non veniebant neque in uſum ſacerdotum, neque in uſum offerentium; ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei; adeps vero adurebatur in igne. Cuius ratio una quidem fuit ad excludendam idololatriam. Idololatræ enim bibebant de ſanguine victimarum, & comedebant adipes, ſecundum illud Deuter.* XXXII. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. *Secunda ratio eſt ad informationem humanæ vitæ. Prohibebatur enim eis uſus ſanguinis ad hoc quod horrerent humani ſanguinis effuſionem... Tertia vero ratio eſt propter reverentiam divinam : quia ſanguis eſt maxime neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in ſanguine; adeps autem abundantiam nutrimenti demonſtrat : & ideo, ut oſtenderetur quod a Deo nobis eſt & vita, & omnis bonorum ſufficientia, ad honorem Dei effundebatur ſanguis, & adurebatur adeps. Quarta ratio eſt, quia per hoc figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti, & pinguedo caritatis eius, per quam ſe obtulit Deo pro nobis. De hoſtiis autem pacificis in uſum ſacerdotis cedebat pectuſculum, & armus dexter, ad excludendum quamdam divi-*

na-

Digitized by Google

nationis ſpeciem, quæ vocatur ſpatulamantia: quia ſcilicet in ſpatulis animalium immolatorum divinabant, & ſimiliter in oſſe pectoris. Et ideo iſta offerentibus ſubtrahebantur. Per hoc etiam ſignificabatur quod ſacerdoti erat neceſſaria ſapientia cordis ad inſtruendum populum, quod ſignificatur per pectus, quod eſt tegumentum cordis; & etiam fortitudo ad ſuſtentandum defectus, quæ ſignificatur per armum dextrum.

XVI. Inter omnia hæc ſacrificia holocauſtum erat præcipuum, quod totum in Dei honorem conſumebatur, nihilque in hominum uſum cedebat. Animalia quæ præfatis ſacrificiis deſerviebant, ex quadrupedibus capræ, oves, boveſque erant. Ex volatilibus erant turtures, & columbæ: & pro leproſis curandis paſſer immolabatur. Ex frugibus terræ panis, vinum, ſal, & thus. Rationem autem cur potius dicta animalia ex quadrupedibus immolabantur præ aliis, S. Thomas perhibet *oc. cit. quæſt.* CII. *art. 3. ad 2.* his verbis. *Primo quidem ad excludendam idololatriam: quia omnia alia animalia offerebant idololatræ diis ſuis, vel eis ad maleficia utebantur; iſta autem animalia apud Ægyptios, cum quibus converſati erant, abominabilia erant ad occidendum: unde ea non offerebant in ſacrificiis diis ſuis. Unde dicitur Exod.* VIII. Abominationes AEgyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? *Oves enim colebant, hircos venerabantur: quia in eorum figura dæmones apparebant. Bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res ſacras habebant.* Tres alias rationes deſcribit, quas brevitatis gratia prætereo. Ex avibus turtures, & columbæ immolabantur ad mentis ſimplicitatem, cordiſque caritatem ſignificandam. Piſces non adhibebantur in ſacrificiis, quia extra aquam moriuntur; & ideo non erant materia apta ſacrificiis in templo celebrandis. Occiſio animalium peccatorum abolitionem præferebat. Modus mactandorum animalium in lege definitus erat, qui minus animalia affligebat; ut & occidentium clementia eluceret, & detrimentum occiſorum animalium vitaretur. Animalia prohibita in ſacrificiis erant quæ maculam, defectumve haberent: quæ figura illos genitores reprehendit qui filias, filioſque claudos, gibbos, ſtupidos, ignavoſque Domino immolant, altarique cum ſumma religionis ignominia deſtinant: & non raro blanditiis, lenociniis, & tantum non minis, & fraudibus, ingredi Dei domum compellunt, ut domum propriam exonerent. In holocauſto non offerebatur niſi maſculus, quod femina animal ſit imperfectum, & veluti immundum. Qui ovem habere non poterat, offerebat panem; &, hoc deficiente, farinam, aut ſpicas. Sal offerebatur, quia impedit corruptionem.

XVII. Præcepta cæremonialia, ſecundo loco indicata, ſpectant inſtrumenta colendi Deum, ut ſunt tabernaculum, arca fœderis, propitiatorium, candelabrum, menſa, duplex altare, vaſa, veſtes ſacerdotales, & plura alia eiuſmodi. Tabernaculum templum parvum mobile erat: quia filii Iſrael quadraginta annorum

ſpatio

ſpatio per deſertum ambulaverunt, paſſim ſedem mutantes. Occupata promiſſionis terra, continua bella gerebant: idcirco Deus diſtulit templi ædificium, uſquedum, proſtratis hoſtibus, ſumma populus frueretur pace; quod tempore contigit Salomonis. Plura myſteria, figuraſque in præfato tabernaculo deprehendit S. Thomas *loc. cit.* quæ apud ipſum legi poſſunt.

XVIII. Arca fœderis primum in tabernaculo, poſt in templo ſervata, conſtabat ex lignis Setim, intus & extra deaurata, & aurea corona inſignita. In eadem duæ tabulæ lapideæ erant, ut narratur Reg. III. cap. VIII. *In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti.* Contra S. Paulus narrat ad Hebræos IX. *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Quæ apparens contrarietas facile evaneſcit, ſi dicamus, primum ſolas duas tabulas lapideas, ut narratur III. *Reg.* in arca fuiſſe; poſt virgam Aaron, quam ex Scriptura ipſa ſcimus initio fuiſſe a Moyſe in tabernaculo repoſitam, ex tabernaculo temporis decurſu translatam ſimul cum manna fuiſſe in arcam. In tabernaculo reſidebat arca inter duos Cherubim, qui ſe mutuis reſpiciebant vultibus. Super eamdem erat propitiatorium, ſubter alas Cherubim, ac ſi ab ipſis deferretur.

XIX. Fuſam de candelabro habet S. Thomas *loc. cit. a.* 4. *ad* 6. orationem. Pauca ex eodem perſtringo. *Candelabrum erat inſtitutum ad honorificentiam tabernaculi. Pertinet enim ad magnificentiam domus quod ſit bene luminoſa. Habebat autem candelabrum ſeptem calamos, ut Ioſephus dicit, ad ſignificandum ſeptem planetas, quibus totus mundus illuminatur. Et ideo ponebatur candelabrum ex parte auſtrali, quia ex illa parte eſt nobis planetarum curſus. Altare vero thymiamatis erat inſtitutum, ut iugiter in tabernaculo eſſet fumus boni odoris, tum propter venerationem tabernaculi, tum etiam in remedium fœtoris quem oportebat accidere ex effuſione ſanguinis, & occiſione animalium. Ea enim quæ ſunt fœtida, deſpiciuntur, quaſi vilia; quæ vero ſunt boni odoris, homines magis appretiantur. Menſa autem apponebatur ad ſignificandum quod Sacerdotes templo deſervientes in templo victum habere debebant. Unde duodecim panes ſuperpoſitos menſæ, in memoriam duodecim tribuum, ſolis Sacerdotibus edere licitum erat, ut habetur Matth.* XII. ..... *In atrio vero extra tabernaculum continebatur altare holocauſtorum, in quo offerebantur Deo ſacrificia de his quæ erant a populo poſſeſſa. Et ideo in atrio poterat eſſe populus, quia huiuſmodi Deo offerebat per manus Sacerdotum; ſed ad interius altare, in quo ipſa devotio, & ſanctitas populi offerebatur, non poterant accedere niſi Sacerdotes, quorum erat Deo offerre populum. Eſt autem hoc altare extra tabernaculum in atrio conſtitutum ad removendum cultum idololatriæ. Nam Gentiles intra templa altaria conſtituebant ad immolandum idolis. Figuralis vero ratio omnium horum aſſignari*

poteſt ex relatione tabernaculi ad Chriſtum, qui figurabatur. Plurima docere perſequitur ſcitu digna, quæ conſulere poteris.

XX. Vaſa erant plurima diverſi generis. Mortariola, lebetes, hydriæ, acetabula, phialæ, thuribula, ciathi &c. Diverſæ quoque erant ſacerdotales veſtes. Sacramenta duplicis generis: alia ad totum populum, ut circumciſio, eſus agni paſchalis, purificationes, expiationeſque a peccatis; alia ad ſolos Sacerdotes attinebant, ut raſio capillorum, ablutio pedum, comeſtura panis propoſitionum. Hæc omnia Chriſtum futurum, eiuſque legem prænuntiabant. Circumciſio baptiſma, agnus paſchalis Euchariſtiam, expiationes ſacramentum pœnitentiæ portendebant. Obſervantiæ legales diverſæ ſimiliter erant, ut diſcretio ciborum, abſtinentia a ſanguine, ab adipe, ieiunia Nazaræorum, vota, ſolemnitates, certus veſtium uſus.

XXI. Præcepta iudicialia regimen populi ſpectabant. Quatuor ordines diſtinguit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* CIV. *art.* 4. in qualibet hominum ſocietate. *Quadruplex autem ordo in aliquo populo inveniri poteſt. Unus quidem Principum populi ad ſubditos; alius autem ſubditorum ad invicem; tertius autem eorum qui ſunt de populo ad extraneos; quartus autem ad domeſticos, ſicut patris ad filium, uxoris ad virum, & domini ad ſervum. Et ſecundum iſtos quatuor ordines diſtingui poſſunt præcepta iudicialia veteris legis. Dantur autem quædam præcepta de inſtitutione Principum, & officio eorum, & de reverentia eis exhibenda: & hæc eſt una pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad concives ad invicem; puta circa emptiones, venditiones, & iudicia, & pœnas: & hæc eſt ſecunda pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos; puta de bellis contra hoſtes, & de ſuſceptione peregrinorum, & advenarum: & hæc eſt tertia pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam in lege quædam præcepta pertinentia ad domeſticam converſationem; ſicut de ſervis, & uxoribus, & filiis: & hæc eſt quarta pars iudicialium præceptorum.*

XXII. Pro quolibet horum ordinum cœtu conſtituit Deus præcepta iudicialia. Præcepta quæ ad Principum regimen attinent, deſcribit S. Thomas 1.2.*quæſt.*CV. *art.* 1. Animadvertit ille, in quolibet ordine Principum duo eſſe ſpectanda. Unum, ut omnes aliquam partem habeant in Principatu, quia hoc paci ſervandæ idoneum eſt; & hunc ordinem amant omnes. Alterum ſpeciem regiminis ſpectat, cum ſint diverſa Principatuum genera. Præcipua ſunt Regnum, in quo unus præſidet, præcipitque; & Ariſtocratia, ſeu poteſtas optimatum. *Unde*, inquit, *optima ordinatio Principum eſt in aliqua civitate, vel regno, in quo unus præficitur ſecundum virtutem qui omnibus præſit; & ſub ipſo ſunt aliqui principantes ſecundum virtutem: & tamen talis Principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi poſſunt, tum quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis vero eſt omnis politia bene commixta ex regno, inquantum unus præeſt; & ariſtocratia, inquantum multi principantur ſecundum virtutem;*

Digitized by Google

tem ; & democratia , ideſt poteſtate populi , inquantum ex popularibus poſſunt eligi Principes ; & ad populum pertinet electio Principum. Et hoc fuit inſtitutum ſecundum legem divinam. Nam Moyſes , & eius ſucceſſores gubernabant populum , quaſi ſingulariter omnibus principantes , quod eſt quædam ſpecies regni . Eligebantur autem ſeptuaginta duo ſeniores ſecundum virtutem. Plura alia ibidem legito.

XXIII. Animadvertendum autem, modum eligendi Principis Iſraelitici non eſſe præſcriptum in Scriptura, ut ipſe S. Thomas advertit: quoniam Deus ſibi reſervavit hanc electionem: idcirco regimen Iſraeliticum non fuit nec monarchicum, nec ariſtocraticum , ſed *theocraticum* ; & uſque ad Saulem eiuſmodi *theocratia* perduravit. Populus ad mala pronus ferre recuſavit regimen iudicum , quos Deus ipſe poſt Moyſem, & Ioſue eligebat; ideo petiit a Samuele Regem. Samueli id ægre ferenti reſpondit Deus I. Reg. VIII. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, ſed me.* Plura quæ huc pertinent, legere apud S. Thomam poteris *loc. cit.*

XXIV. Legem Moſaicam abrogatam a Chriſto Domino , negarunt Cerinthus , & alii hæretici , qui circumcidendos Chriſtianos contendebant; ſed antiquatam docuerunt ſemper Catholici, evangelicis teſtimoniis nixi. Lucæ quippe XVI. dicitur: *Lex, & Prophetæ uſque ad Ioannem.* Item S. Paulus ad Galat. III. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto . At ubi venit fides , iam non ſumus ſub pædagogo .* Et ad Rom. VI. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia .* Tandem Apoſtoli abrogatam in Concilio Hieroſolymitano declararunt legem, ut narratur *Act.* XV. Abrogatio hæc cæremonialia , & iudicialia , ſecus moralia comprehendit mandata . Plures illius abrogationis congruentes rationes perhibet S. Thomas I. 2. *quæſt.* CIII. *art.* 3. Manichæi , quibus , ad hoc quod attinet , acceſſit Lutherus, non modo cæremonialia , & iudicialia , ſed etiam moralia præcepta abrogatata fuiſſe contendebant . Errorem hunc explodunt Catholici omnes , aſſerentes Decalogum deſcriptum in lege Moſaica obligare omnes. Diſputant dumtaxat Theologi catholici, obligent ne ejuſmodi mandata decalogica, quatenus lege naturæ, an ſimul quia lege Moſaica lata ſunt? Diſputatio tanti non eſt, ut examen noſtrum exigat.

XXV. De tempore quo abrogata eſt, diſputatum fuit . Sed vera ſententia eſt , ante Chriſti mortem non ceſſaſſe. Siquidem Chriſtus, quoad vixit, eam ſervavit, & circumciſioni ſe ſubiecit. Tunc itaque obligare deſiit vetus teſtamentum , cum novum promulgatum fuit : quod poſt Chriſti mortem contigit . Diſſident Theologi, quodnam temporis intervallum mors Chriſti includat. Alii defendunt , comprehendi totum tempus quod fluxit a die mortis uſque ad reſurrectionem . Alii uſque ad Pentecoſten extendunt , contendentes , Moſaicam legem viguiſſe uſque ad Spiritus ſancti apparitionem . Communior, & mihi probabilior ſententia eſt , legem Moſaicam deſiiſſe continuo ac Chriſtus Dominus mortem oppetiit: quo-

V ij niam

niam tunc velum templi ſciſſum fuit, translatumque Sacerdotium; & ipſe Chriſtus Dominus exclamavit: *Conſummatum eſt*.

XXVI. Quamvis lex Moſaica ſtatim poſt Chriſti mortem obligare deſierit, tamen non illico illius obſervatio noxia fuit. Animadvertit S. Thomas 1. 2. quæſt. CIII. art. 4. quod *omnes cæremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei, in qua conſiſtit interior Dei cultus. Sic autem fidem interiorem poteſt homo proteſtari factis, ſicut & verbis: & in utraque proteſtatione, ſi aliquid homo falſum proteſtatur, mortaliter peccat. Quamvis autem ſit eadem fides quam habemus de Chriſto, & quam antiqui patres habuerunt; tamen quia ipſi præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur; eadem fides diverſis verbis ſignificatur a nobis, & ab eis. Nam ab eis dicebatur: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: quæ ſunt verba futuri temporis. Nos autem idem repræſentamus per verba præteriti temporis, dicentes, quod concepit, & peperit. Et ſimiliter cæremoniæ veteris legis ſignificabant Chriſtum ut naſciturum, & paſſurum; noſtra autem ſacramenta ſignificant ipſum ut natum, & paſſum. Sicut igitur peccaret mortaliter qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret Chriſtum naſciturum, quod antiqui pie, ac veraciter dicebant; ita etiam peccaret mortaliter, ſi quis nunc cæremonias obſervaret, quas antiqui pie, & fideliter obſervabant.* Tunc enim omnes cæremoniæ portendebant Chriſtum futurum; nunc autem omnia noſtra ſacramenta annuntiant Chriſtum natum, paſſum, & in cælis regnantem. Quapropter ſi quis, morte Chriſti peracta, uſurpaſſet Moſaicas cæremonias ad ſignificandum Chriſtum futurum, peccaſſet, & quidem graviter.

XXVII. Id ſolum in diſputationem vocatur, utrum, ſi quis eo tempore quo nondum omnino publicatum Evangelium fuit, obſervaſſet legalia Moſaica, præſcindendo ab eorum ſignificatione, ſed quatenus a Deo præſcripta erant, peccaſſet mortaliter. In utramque partem diſputarunt Auguſtinus, & Hieronymus, quorum diſputationes recenſet S. Thomas loc. cit. art. 4. ad 1. *Diverſimode ſenſiſſe videntur Hieronymus, & Auguſtinus. Hieronymus enim diſtinxit duo tempora: unum tempus ante paſſionem Chriſti, in quo legalia non erant mortua, quaſi non habentia vim obligativam, aut expiativam pro ſuo modo; nec etiam erant mortifera, quia non peccabant ea obſervantes: ſtatim autem poſt paſſionem Chriſti inceperunt eſſe non ſolum mortua, ideſt non habentia virtutem, & obligationem, ſed etiam mortifera, ita ſcilicet quod peccabant mortaliter quicumque ea obſervabant. Unde dicebat, quod Apoſtoli legalia numquam obſervaverunt poſt paſſionem ſecundum veritatem, ſed ſolum quadam pia ſimulatione; ne ſcilicet ſcandalizarent Iudæos, & eorum converſionem impedirent. Quæ quidem ſimulatio ſic intelligenda eſt, non quidem ita quod illos actus ſecundum rei veritatem non facerent, ſed quia non faciebant tamquam legis cæremonias obſervantes; ſicut ſi quis pelliculam virilis membri abſcinderet propter ſanitatem, non cauſa legalis circumciſionis obſervandæ. Sed quia indecens videtur quod*

Apo-

Apoſtoli ea occultarent propter ſcandalum quæ pertinent ad veritatem vitæ, & doctrinæ; & quod ſimulatione uterentur in his quæ pertinent ad ſalutem fidelium; ideo convenientius Auguſtinus diſtinxit tria tempora: unum quidem ante Chriſti paſſionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua: aliud autem poſt tempus Evangelii divulgati, in quo legalia ſunt mortua, & mortifera: tertium autem eſt tempus medium, ſcilicet a paſſione Chriſti uſque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea ſervare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui converſi erant ad Chriſtum ex Iudæis, poterant illa legalia licite obſervare, dummodo non ſic ponerent ſpem in eis, quod ea reputarent ſibi neceſſaria ad ſalutem, quaſi fides Chriſti ſine legalibus iuſtificare non poſſet. His autem qui convertebantur ex gentilitate ad Chriſtum, non inerat cauſa ut ea obſervarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Iudæa genitus erat; Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus ſanctus ut ſtatim inhiberetur his qui ex Iudæis convertebantur, obſervatio legalium, ſicut inhibebatur his qui ex Gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus, ut quædam differentia inter hos ritus oſtenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnino illicitus, & a Deo ſemper prohibitus; ritus autem legis ceſſabat, tamquam impletus per Chriſti paſſionem, utpote a Deo in figuram Chriſti inſtitutus.

XXVIII. Ex his manifeſte conſtat legales cæremonias mortuas quidem fuiſſe poſt Chriſti mortem, ſed minime mortiferas; cum Apoſtoli Spiritus ſancti illuſtratione perfuſi eaſdem ſervaverint uſque ad ſufficientem Evangelii promulgationem factam, ut patet ex circumciſione Timothei. Paulus ipſe more Nazaræorum caput ſibi totondit, purificavit ſeipſum cum Iudæis, templum intravit, oblationem fieri pro ſe conſenſit, ut colligitur ex *Act.* xv. Quæ ſanæ S. Paulus non peregiſſet, ſi mortifera tum temporis mandata legalia fuiſſent. Neque iſta, ſimulatione, ut contendit S. Hieronymus, S. Paulus ceterique Apoſtoli peregerunt; ſed ſincero animo, ut cum Auguſtino defendit S. Thomas. Quæ enim ſunt reipſa mala, velo ſimulationis tecta agi nequeunt: alioquin etiam gentilitatis ritus ſub ſimulationis uco celebrare Apoſtolus potuiſſet, ut facilius Gentiles ad Chriſti fidem adduceret; quemadmodum efficaciter argumentatur S. Auguſtinus epiſt. ix. ad Hieronymum. *Si propterea Paulus illa ſacramenta celebravit, quia ſimulavit ſe Iudæum, ut Chriſtum lucrifaceret; cur non etiam ſacrificavit cum Gentilibus, quia & iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege factus eſt, ut eos quoque lucrifaceret; niſi quia & illud fecit ut natura Iudæus, & hoc totum dixit, non ut fallaciter ſe fingeret eſſe quod non erat?* Et, ut paucis controverſiam perſtringam, quis iverit inficias, in re graviſſima, quemadmodum eſt religionis negotium, mendacium peccatum eſſe mortale? Mendaces itaque fuiſſent Apoſtoli, impietatis, & ſcandali rei, ſi mortifera legalia obſervaſſent.

XXIX. Plura Scripturæ divinæ teſtimonia opponit S. Hieronymus. *Act.* XVI. narratur, Paulum circumcidiſſe Timotheum *propter Iudæos qui erant in illis locis:* & *I. Corinth. cap.* IX. hæc de ſeipſo Paulus teſtatur: *Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer.* Item. *II. Corinth.* XII. ſubdit: *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Primum teſtimonium nil difficultatis ingerit: quoniam obſervarunt Apoſtoli legalia, quia adhuc mortifera non erant, ut facilius ad Chriſtum Iudæos allicerent: & hoc in ſenſu teſtatur Paulus ſe Iudæis accommodaſſe, ea omnia concedendo, agendoque quæ fieri licite tum poterant. Alterum teſtimonium perperam opponitur, cum ibi nulla ſit legalium mentio; ſed ſermo de victu miniſtris Dei exhibendo. Inquit Apoſtolus: *Sed eſto. Ego vos non gravavi; ſed, cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Quibus verbis removet S. Paulus ſuſpicionem Corinthiorum, qui gravamen miniſtrorum obtendebant. Audiamus interpretationem S. Thomæ in hunc textum lect. V. *Eſto, ideſt dato & conceſſo quod ego in perſona mea, & eorum qui mecum ſunt, aliquid accipiendo non gravavi vos; ſed, ſicut credidiſtis, cum eſſem aſtutus, dolo &c. ideſt per alios detraxi vobis bona veſtra plurima. Sed hoc eſt falſum, quia nihil ex dolo feci... Hanc ergo ſuſpicionem excludit conſequenter, cum dicit: Numquid per aliquem eorum quos miſi ad vos, circumveni vos?* S. Paulus, dum ad *Galat.* V. inquit: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit:* loquitur de iis qui exiſtimabant ad ſalutem neceſſariam eſſe circumciſionem, quam ipſe in Timotheo fieri conceſſit, non ut neceſſariam, ſed ut indulgeret Iudæis legalia adhuc permiſſa, at non neceſſario obſervanda.

XXX. Si legalia permiſſa erant, cur ergo Paulus reprehendit Petrum, Barnabam, & Iudæos Antiochenos, quod legalia ſervarent? Inquit enim Paulus ad Galat. II. *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat... & ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus ſis, gentiliter vivis, & non iudaice; quomodo Gentes cogis iudaizare?* S. Hieronymus contendit, ſimulate Petrum illa omnia egiſſe, ſimulatamque fuiſſe Pauli reprehenſionem. Quam interpretationem, ut falſam, reiicit Auguſtinus *epiſ.* XIX. *cap.* II. Et primum probat, alterutrum ex Apoſtolis erraſſe, inquiens: *Si hoc fecit Petrus quod facere debuit, mentitus eſt Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim hoc facit quod facere debet, recte utique facit: & ideo falſum de illo dicit qui dicit, eum non recte feciſſe quod eum novit facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt quod Petrus recte tunc non ingrediebatur ad veritatem Evangelii: id ergo faciebat quod facere non debebat. Et ſi tale aliquid Paulus ipſe iam non fecerat, correctum potius etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quam mendaciter aliquid in ſua epiſtola poſuiſſe, & in epiſtola qualibet; quanto ma-*

gis

Digitized by Google

gis in illa in qua prælocutus ait : Quæ autem ſcribo vobis , ecce coram Deo, quia non mentior. *Ego quidem illum Petrum ſic egiſſe credo, ut Gentes cogeret iudaizare*. Paulus ergo, teſte Auguſtino , legalia obſervavit eis in circumſtantiis in quibus non ſcandalo, ſed ædificationi Iudæis eſſent, ne ſcilicet iſti exiſtimarent ea mala eſſe quæ per Moyſem a Deo præſcripta erant . Contra Petrus, Antiochiæ legalia ſervando , Gentibus ad Chriſti fidem converſis ſcandalo fuit . Cur? quia Gentibus anſam credendi porrexit, ſe legalium obſervationi aſtrictos eſſe, cum tamen liberi ab eiſdem eſſent. Petrus ſe Gentibus converſis ſubduxit, ut cum Iudæis legalia ſervaret. Ergo (colligebant heinc converſæ ad Chriſtum Gentes) legalium obſervatio neceſſaria eſt, ſi Petrus, ut illa ſervet, a nobis receſſit. Et reipſa hoc pacto S. Paulus *loc. cit.* argumentatur. *Si tu, cum Iudæus ſis, gentiliter vivis, & non iudaice ; quomodo Gentes cogis iudaizare ?* ideſt exemplo , & converſatione tua . Ambo ergo Apoſtoli eiuſdem doctrinæ omnino erant, videlicet legalia nec eſſe mortifera adhuc, nec neceſſaria ad ſalutem. Paulus ea adhibuit iis in circumſtantiis in quibus illorum obſervatio opportuna erat . Contra Petrus ea occaſione illa adhibuit in qua Gentes ſcandalum paſſæ ſunt , exiſtimantes legalium obſervantiam neceſſariam ad ſalutem eſſe. Idcirco merito a Paulo reprehenſus. Error itaque Petri , non doctrinæ , ſed inadvertentiæ , & converſationis minus cautæ fuit; ut ſapienter advertit S. Auguſtinus loc. cit. *Neque enim negamus in hac ſententia fuiſſe iam Petrum in qua & Paulus fuit. Non itaque tunc eum, quid in ea re verum eſſet, docebat ; ſed eius ſimulationem qua Gentes iudaizare cogebantur, arguebat : non ob aliud , niſi quia illa omnia ſimulatorie gerebantur , tamquam verum eſſet quod illi dicebant, qui ſine circumciſione, præputiis, atque aliis obſervationibus umbræ futurorum putabant credentes ſalvos eſſe non poſſe*. Simulatio Petri, facti, non animi, converſationis, non doctrinæ fuit; ſeu ſuo facto quo ſe ſubduxit Gentibus, occaſionem credendi eiſdem dedit, obſervantiam legalium neceſſariam eſſe ad ſalutem . Ipſe tamen perſuaſus erat legalia iam ceſſaſſe. Sciendum tandem , Auguſtino acceſſiſſe Hieronymum , qui ſuam retractavit ſententiam ; ut teſtatur Auguſtinus *epiſt.* cclx. Si plura cupis, lege Auguſtinum, & Thomam locis laudatis.

XXXI. Obtinuit itaque etiam poſt Redemptoris mortem legalium uſus. Deſiit cum Chriſti morte obligatio; mortuaque præcepta legalia remanſerunt, novo promulgato fœdere. At tempus definitum quo mortifera eſſe cœperunt, deſignari vix poteſt. Communior opinio cum templi deſtructione mortifera facta fuiſſe legalia probabiliter docet. Congruentiam dilationis perhibet S. Auguſtinus epiſt. XIX. *Legalia, ſicut defuncta corpora neceſſariorum , deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate , ſed religioſe : non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morſibus , proiicienda . . . . Non tamen ideo fuerunt*,

runt, tamquam diabolica Gentium ſacrilegia, fugienda, etiam cum ipſa gratia iam cœperat revelari, quæ umbris talibus fuerat prænuntiata; ſed permittenda paullulum eis maxime qui ex illo populo cui data ſunt, venerant. Poſtea vero tamquam cum honore ſepulta ſunt, a Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.

XXXII. AEquato ſolo templo, ceſſavit hoſtia, antiquatum eſt ſacrificium, populuſque per terram diſperſus ambulavit profugus. Tunc argumenta reprobationis tum legalium, tum populi apparuere. Accedit quod tunc promulgatio Evangelii adeo late inſonuit, ut diuturnior dilatio neceſſaria non videatur. Unius aut alterius ceremoniæ diutius obtinuit conſuetudo. Siquidem a ſanguine, & ſuffocato diu abſtinuerunt Chriſtiani, non quod lege Moſaica eſſent prohibita, ſed quod Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano hanc præceperunt abſtinentiam. De hoc præcepto ſcribit S. Auguſtinus *Lib. XXXII. cont. Fauſt. cap.* XIII. quæ ſequuntur: *Nam quod de effundendo ſanguine antiquis in figura præceptum eſt, ideſt ipſi Noe, diluvium, quod iam quid ſignificaret oſtendimus, plerique intelligunt. Et in Actibus Apoſtolorum hoc lege præceptum eſt ab Apoſtolis ut abſtinerent Gentes tantum a fornicatione, ab immolatis, & ſanguine; ideſt, nequaquam ederent carnem cuius ſanguis non eſſet effuſus. Quod alii non ſic intelligunt, ſed a ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet.... Tranſacto vero illo tempore quo duo illi parietes, unus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen quibuſdam ſuis proprietatibus diſtinctius eminebant; & ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraelita carnalis appareat: quia iam hoc Chriſtianus non obſervat, ut turdos, & minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt, aut leporem non edat, ſi manu a cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt: & quod forte pauci adhuc tangere iſta formidant, a ceteris irridentur: ita omnium animos in hac re tenuit ſententia veritatis: Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit; nullam cibi naturam quam ſocietas admittit humana, ſed quæ iniquitas committit peccata condemnans. Iam vero de antiquorum factis, & quæ ſtultis atque ineruditis videntur peccata, dum non ſunt, & quæ vera peccata ſunt, quæ ob cauſam conſcripta ſunt, ſervata, magiſque commendata Scripturæ ipſius veneratione, ſufficienti iam ſermone demonſtravimus.* Ex quibus patet, præceptum iſtud œconomicum tempore Auguſtini iam obſoletum fuiſſe.

XXXIII. Præcepta iudicialia Moſaica, licet vim amiſerint obligandi, mortifera tamen non evaſerunt; niſi quis ex affectu ad Moſaicam legem eadem ſervaret. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. CIV. art. 3. *Præcepta iudicialia ſunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi, non tamen ſunt mortifera: quia, ſi quis Princeps ordinaret in regno ſuo illa iudicialia obſervari, non peccaret; niſi forte hoc modo obſervarentur, aut obſervari mandarentur, tamquam habentia vim obligandi ex*

vi-

veteris legis inſtitutione : talis enim intentio obligandi eſſet mortifera. Et huius differentiæ ratio poteſt accipi ex præmiſſis. Dictum eſt enim, quod præcepta cæremonialia ſunt figuralia primo, & per ſe, tamquam inſtituta principaliter ad figuranda Chriſti myſteria ut futura : & ideo ipſa obſervatio eorum præiudicat fidei veritati, ſecundum quam confitemur illa myſteria iam eſſe completa. Præcepta autem iudicialia non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponendum ſtatum illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum : & ideo, mutato ſtatu illius populi, Chriſto iam veniente, iudicialia præcepta obligationem amiſerunt. Lex enim fuit pædagogus ducens ad Chriſtum, ut dicitur ad Galat. III. *Quia tamen huiuſmodi iudicialia præcepta non ordinantur ad figurandum, ſed ad aliquid faciendum; ipſa eorum obſervatio abſolute non præiudicat fidei veritati; ſed intentio obſervandi tamquam ex obligatione legis, præiudicat veritati fidei : quia per hoc haberetur quod ſtatus prioris populi adhuc duraret, & quod Chriſtus nondum veniſſet.*

XXXIV. Hæc pauca perſtrinxi, ut qualem qualem Moſaicæ legis ideam delinearem. Plurima quæ eruditionem ſpectant præterivi, quod maioris momenti argumenta diſpicienda ſuperſint. Hæc quæ delibavi, inſtituto meo ſatis eſſe cenſui : idcirco ad alia propero.

CAPUT II.

De lege nova a Chriſto inſtituta. Eiuſdem præcepta, a Moſaica diſcrimen, & diuturnitas. Errores Lutheri, Calvini, & Hobbeſii.

I. LEX evangelica nova nuncupatur, quod renovet homines, Deique filios conſtituat gratiæ dono. Dicitur etiam teſtamentum, ſeu pactum, quo nobis Deus Filium ſuum donavit. Pauca quoque ex multis de hac lege explanabo, iis miſſis quæ eruditionem tantum, & hiſtoriæ puncta reſpiciunt; cum eo diſputatio noſtra pertineat, ut animum lectoris, moreſque informet. *Lutherus de libert. Chriſt.* negat, Redemptorem noſtrum eſſe legislatorem. *Nullo opere, nulla lege homini chriſtiano opus eſt, cum per fidem ſit liber ab omni lege.* Huc ſpectarunt aquilonaris Reformatoris vota, ut nempe, legum divinarum excuſſo iugo, vitiis ſceleribuſque viam aperiret latiſſimam. Unius interioris actus fidei partu ſceleſtiſſimos homines iuſtos fieri, bonis operibus in ſenſu Catholicorum, nempe quæ cordis duritiem frangerent, præpararentque animum ad donum Dei ſuſcipiendum, & congruam ſatisfactionem offerrent offenſo Deo, reiectis, docuit homo benigniſſimus. Hunc eiuſdem errorem, ſicuti ceteros, adoptavit verſutior *Calvinus* in commentariis ad Paulinam Epiſtolam ad Galatas IV. ubi hæc eructando ex-

exclamat. *Oh miſerabilem iuſtitiam! o perniciofum errorem prædicantium Chriſtum novum legislatorem! quaſi veterem legem abrogaverit, ut novam Chriſtianis omnibus legem imponeret. Non fuit id Chriſti officium, ſicut ipſe dixit:* Non miſit Deus Filium ſuum in mundum &c. . . . . *Non habuit profecto Chriſtus id operis, ac muneris, ut novam inſtitueret legem, ſed ut ab hominum cervicibus ſervile illius legis iugum auferret. Hoc illud eſt quod Paulus clamat,* Deum miſiſſe Filium ſuum, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret. *Noſtri vero novitii Theologi, divino adverſantes conſilio, pro liberatore legislatorem, qui nos in duriſſimam traderet ſervitutem, ſuſcipiendum docent.* Hæc ſunt effata quibus novi iſti Reformatores emendare depravatos mores, abolere corruptelas, eliminare ſuperſtitionem, & ad Chriſti exemplar conformare Chriſtianorum vitam contendunt. Redemptor Chriſtus liberator eſt, ſecus legislator? Lex enim ſervitutis iugum imponit; Chriſtiani autem libertatem aſſecuti, a lege ſoluti ſunt. Lex Moſaica antiquata eſt. Chriſtus nullam impoſuit. Ergo Chriſtiani, quemadmodum Gentiles, ſola lege naturali aſtricti ſunt. Thomas *Hobbeſius* impudentius Luthero, & Calvino debacchatus eſt in legem evangelicam, ſuo nixus capitali principio, quo conſtituit, nullam legem vim habere, niſi ſit a poteſtatibus ſummis confirmata: quem errorem ſupra profligavi. Scribit autem in ſuo Leviathan cap. xlii. *Quoniam ergo Servator noſter regnum ſuum in hoc mundo eſſe negavit, & non ad iudicandum, ſed ad ſalvandum mundum veniſſe ſe affirmavit; non aliis legibus nos ſubiecit quam legibus civitatis, nempe Iudæos quidem legibus Moſaicis (ad quas non evertendas, ſed adimplendas veniſſe ſe dicit Matth. v.) Gentes autem alias civitatum ſuarum legibus civilibus: & genus humanum univerſum legibus naturalibus. Manifeſtum ergo eſt Chriſtum, & Apoſtolos eius nullam novam legem, quæ nos in hoc mundo obligaret, ſed novam tantum doctrinam attuliſſe, qua ad mundum venturum præpararemur: & proinde teſtamentum novum, in quo doctrina illa continetur, quamdiu non eſſent Principes, & legislatores, qui obſervationem eius imperarent, non erat lex; ſed ad perducendos homines ad ſalutem conſilium tutum, quod unuſquiſque accipere, vel reiicere ſuo periculo potuit ſine iniuſtitia.* Univerſum ergo Evangelium conſilium tantum eſt, quod quiſque accipere, vel repudiare pro libertate valet abſque iniuſtitia? Hi ſunt ſapientes noſtri qui adverſus catholicam Eccleſiam explicarunt vexillum. Nec mirum quod tot gentes faſcinaverint, cum ſub reformationis obtentu iniquitati habenas ad Atheiſmum uſque laxaverint.

II. Quid? Nullam legem Chriſtus condidit? Quo ergo pertinent Iſaiæ verba: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem?* cap. ii. Quid quod *cap. v.* legislatorem Meſſiam divinum appellat idemmet Propheta? *Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, ipſe ſalvabit nos.* Quibus verbis Chriſtum Domi-

num

num portendi, teſtatur omnis antiquitas ante *Lutherum* & *Calvinum*. An non ipſe Chriſtus voce Ioannis cap. XIV. clamat: *Mandata mea ſervate?* & cap. XV. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*. Similia per Matthæum repetit. Et tandem S. Paulus *I. Cor.* IX. ait: *Cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti*. Novatores autem noſtri, repudiata Chriſti lege, fidem Chriſti amplecti volunt, ut iuſtificantem ſe ſola animas, pulſa pœnitentia, quæ Deum offenſum propitium reddat, præparetque cor noſtrum ad donum iuſtificationis ſuſcipiendum. Opera bona dumtaxat volunt ut pignora, & argumenta acceptæ iuſtificationis. Legem reiiciunt: quia lex Chriſti concupiſcentiam coercet, caſtitatem præſcribit, uſuras vetat, Pontifices venerari iubet. At ſtrenuis Reformatoribus noſtris caſtitas immane iugum eſt, ſubiici rectoribus, atque vicariis refugiunt, ab uſuris abſtinere detrectant, legem nullam ferre valent; ſed appetitionibus dediti, ſola fide, quæ in mente ſiſtit, nihilque paſſionibus incommodat, immo flagitia paſſionum impetu perpetrata abolet, ſe regnum Dei aſſequi gloriantur. Quis tantæ dementiæ recogitare portenta valet, quin homines iſtos derideat ſimul, & execretur? Chriſti Reſpublica ſine lege? Chriſti regnum abſque mandato? An iſtius regni ſubditi homines non ſunt, qui legum freno contineri in officio, & ſubiici Regi ſuo Chriſto debeant? Quænam reſpublica, quodnam regnum umquam fuit abſque lege?

III. Quæ contra obganniunt, futilia ſunt, & inepta. Plura Scripturarum teſtimonia obtrudunt, quæ Iudæorum more ſecundum litteram, non ſecundum ſpiritum intelligunt; quamvis & littera ipſa eos occidat. Hæc ſunt quæ opponunt. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum*: Ioan. I. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*: ad Rom. VI. *Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege*: I. ad Galat. V. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*: II. ad Cor. cap. III. Plura alia id genus obiiciunt.

IV. Liberos a Moſaica lege Chriſtianos declarant novi teſtamenti divini Scriptores, & Chriſti legem gratiam vocant, quia gratiam cum ipſa nobis Chriſtus infundit. Lex Moſaica onus imponebat; at gratiam non impertiebatur. Contra Chriſtus ſuam ferendo legem tanta gratiarum copia nos donavit, ut legis ſuæ iugum ſuave effecerit, & leve. Lex Moyſis ſervitutis, lex Chriſti libertatis eſt. Audiamus S. Auguſtinum Lib. cont. Adverſ. Leg. & Prophet. cap. III. *Lex igitur data eſt per Moyſen, facta autem eſt gratia per Ieſum Chriſtum; cum per eius ſpiritum caritate diffuſa in cordibus noſtris fit ut quod lex præcipit, impleatur. Quod enim per litteram iubetur, non littera, ſed ſpiritu impletur. Unde illud quod ſcriptum eſt,* Non concupiſces, *per Moyſen lex eſt; ſed per Chriſtum fit gratia, quando quod iubetur, impletur. Veritas autem facta eſt per Chriſtum propter illa quæ in prophetia legis ſunt promiſſa: quia in Chriſto eminent reddita*. Ut paucis omnia

mnia comprehendam, lex Chriſti lex eſt libertatis a ſervitute peccati : lex eſt filiorum, qui amore virtutis, non formidine pœnæ, Domino parent. Iuſto non eſt impoſita lex : non quod iuſti liberi a lege ſint, ſed quod ita virtutis amore flagrant, ut etiam abſque lege virtutum officia implerent.

V. Præcepta legis evangelicæ tres in claſſes tribuuntur. Alia moralia, alia cæremonialia, alia fidei ſunt. Præcepta moralia iuris naturæ ſunt, & ad illud revocantur : quæ Chriſtus non inſtituit, ſed clarius explanavit, inculcavit, & ab erroribus quibus hominum pravitate implicata erant, purgavit. Cæremonialia, ſeu ſacramentalia ipſe inſtituit, abrogatis iis quæ a Moſaica lege præſcripta erant. Fidei arcana, quæ umbris, & figuris involuta erant, nova luce perfudit, declaravitque. Quare divina illa arcana quæ ante illius adventum confuſe tantum, & implicite credebantur, nunc expreſſe credenda ſunt.

VI. Novi Reformati Decalogi mandata impoſſibilia obſervatu aſſerunt, potiſſimum interioribus actibus. Quare prava deſideria interna nihili pendunt, Omnia peccati originalis lue inquinata eſſe contendunt. Sacramentalia mandata ſimiliter reiiciunt. Sacramenta, ut ſigna utilia ad excitandam fidem, admittunt, ſecus ut neceſſaria ad ſalutem. Hæreſes iſtas, ſeu verius deliria, conceptis verbis Scriptura divina improbat, & Eccleſia catholica in Concilio Tridentino damnavit. Nihil frequentius in Evangelio inculcatur quam mandatorum cuſtodia. Inquit enim S. Ioannes Epiſt. I. cap. v. *Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus : & mandata eius gravia non ſunt*. Si non gravia, eo minus impoſſibilia. S. Matthæus cap. v. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, & cap. XVIII. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Sexcenta alia eiuſmodi adferre poſſem, ut deliramenta calviniana labefactarem. Sed miſerationis potius quam confutationis digni ſunt cæci Calviniſtæ: & quod homines docti, acuti, & eruditi tam ſtolida commenta adoptaverint, ineptiſque cavillationibus obtegere conentur, argumenta ſunt illorum reprobationis. Ut abuſus, & corruptelas plurium Catholicorum, quibus ſemper abundabit mundus, auferrent, univerſam Chriſti legem de medio ſuſtulerunt. Præcepta ipſa ſacramentalia neceſſaria ad ſalutem negant; quamvis Evangeliſta Ioannes clamet cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Quæ luculenta verba cavillari minime erubeſcit Calvinus; quemadmodum præceptum euchariſticum, quod inculcat S. Ioannes cap. VI. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Lutherani, Calvinianique, cum adverſus communionem ſub unica ſpecie diſputant, præceptum ſuſcipiendi utramque ſpeciem exaggerant; & ſecum pugnantes omnia præcepta expreſſe a Chriſto lata negant, & præcepta comminiſcuntur quæ non ſunt. Unicum fidei præceptum admittunt; cum tamen Chriſtus Dominus non minus fidem quam baptiſmi ſuſce-

ſce-

ſceptionem, quoad fieri poteſt, præcipiat Mar. xvi. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Cur primum fidei mandatum, ſecus alterum baptiſmi admittant Calviniſtæ, non aliam præter eorum obſtinationem, & cæcitatem aſſignare rationem valent.

VII. Congruentes rationes cur Chriſtus præter mandata quæ actus internos dirigunt, tulerit præcepta quæ exteriora officia moderantur, aſſignat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* cviii. *art.* 1. his verbis. *Principalitas legis novæ eſt gratia Spiritus ſancti, quæ manifeſtatur in fide per dilectionem operante. Hanc autem gratiam conſequuntur homines per Dei Filium hominem factum, cuius humanitatem Deus replevit gratia, & exinde eſt ad nos derivata ... Et ideo convenit ut per aliqua exteriora ſenſibilia gratia a Verbo incarnato profluens in nos deducatur; & ex gratia interiori, per quam caro ſpiritui ſubditur, exteriora quædam opera ſenſibilia producantur. Sic igitur exteriora opera dupliciter ad gratiam pertinere poſſunt. Uno modo ſicut inducentia aliqualiter ad gratiam; & talia ſunt opera ſacramentorum quæ in nova lege ſunt inſtituta; ſicut baptiſmus, euchariſtia, & alia huiuſmodi. Alia vero ſunt opera exteriora, quæ ex inſtinctu gratiæ producuntur; & in his quædam differentia eſt attendenda. Quædam enim habent neceſſariam convenientiam, vel contrarietatem ad interiorem gratiam, quæ in fide per dilectionem operante conſiſtit: & huiuſmodi exteriora opera ſunt præcepta, vel prohibita in lege nova; ſicut præcepta eſt confeſſio fidei, & prohibita negatio: dicitur enim* Matth. x. Qui confitebitur me &c. ... *Alia ſunt opera quæ non habent neceſſariam contrarietatem, vel convenientiam ad fidem per dilectionem operantem: & talia opera non ſunt in nova lege præcepta, vel prohibita ex ipſa prima legis inſtitutione; ſed relicta ſunt a legiſlatore, ſcilicet Chriſto, unicuique, ſecundum quod aliquis alicuius curam gerere debet: & ſic unicuique liberum eſt circa talia determinare quid ſibi expediat facere, vel vitare; & cuicumque præſidenti circa talia ordinare ſuis ſubditis quid ſit in talibus faciendum, vel vitandum. Unde etiam quantum ad hoc dicitur lex Evangelii lex libertatis: nam lex vetus multa determinabat, & pauca relinquebat hominum libertati determinanda.*

VIII. Non una, ſed pluribus rationibus differt lex nova a veteri. Et primum Moſaica lex ordinata fuit ad novam, a qua perficienda erat. Quapropter dicit Chriſtus Dominus Matth. v. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, ſeu perficere quæ illa portendebat. Utriuſque legis finis unus eſt, ut homines Deo coniungantur. Porro unus Deus eſt & veteris, & novi teſtamenti, iuxta illud S. Pauli ad Rom. iii. *Unus Deus eſt qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Animadvertit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* cvii. *art.* 1. quod licet eadem fides utriuſque legis ſit, tamen ſtatum in teſtamento novo habet diverſum ab eo quem in veteri habebat: nam quod illi credebant futurum, nos credimus fa-

ſtum. Sed præcipuum diſcrimen novæ a veteri lege hoc eſt, quod nova vim continet iuſtificandi, ſecus illa, ut docet S. Paulus ad Gal. II. *Scientes autem, quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti: & nos in Chriſto Ieſu credimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.* Lex vetus quadam legali munditia exteriori purificabat homines, & veram interiorem iuſtitiam ſignificabat quidem, & ad eam præparabat; conferre tamen eam minime poterat. Quare omnes veteris teſtamenti viri Dei iuſtificationis donum media fide in Chriſtum venturum aſſecuti ſunt. Lex vero nova gratiam iuſtificantem confert: quia præſentem, non futurum, Chriſtum iuſtificationis fontem continet. Advertas tamen velim, iuſtificationis donum non conferri ab ipſis præceptis, quæ ſolum præſcribunt, & declarant quid agendum, quidque credendum ſit; ſed a ſacramentis, quæ virtute meritorum Chriſti Domini reipſa gratiam infundunt. Tandem diverſæ aliæ diſcriminis rationes occurrunt. Lex vetus lex timoris, nova lex amoris eſt; illa Angelorum miniſterio, hæc ipſius Chriſti ore promulgata fuit; illa bona temporalia, hæc æterna præmia promittit.

IX. Adverſus evangelicæ legis durationem primis Eccleſiæ ſæculis varii errores obtinuere. Montanus ſæculo ſecundo antiquatum Evangelium, ſeque perfectiorem promulgaſſe legem effutiit: quam ſtultitiam renovavit Manichæus tertio Eccleſiæ ſæculo. Mahumetes ultra progreſſus, tres leges commentus eſt, Moſaicam, evangelicam, & tertiam quam ipſe invexit, Alcorano contentam. Evangelica promulgata, abrogata fuit Moſaica; & Alcorano evulgato, ceſſavit Evangelium. Quæ deliria confutatione non egent. Lex quippe Chriſti uſque ad ſæculorum conſummationem durabit, teſte ipſo Chriſto, qui *Matth.* XXVIII. promiſit Apoſtolis ſuis: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE IURE POSITIVO HUMANO PUBLICO, ET PRIVATO,

ſeu

DE LEGE VOLUNTARIA HUMANA.

PRAELOQUIUM.

IUS naturale, gentium, & divinum poſitivum breviter hactenus expoſui. Ius poſitivum humanum, publicum, & privatum, ſacrum, & civile, quantum inſtituti mei ratio patitur, interpretari aggredior. Iſtius iuris illuſtrationem potiſſimum ſibi vendicant Lutherani Doctores *Puſendorfius*, *Thomaſius*, *Hobbeſius*, *Goldaſtus*, *Coringius*, *Vitriarius*, & alii *Iuriſpubliciſtæ* Proteſtantes. Cum iſtis in hac diſſertatione manus mihi conferendæ ſunt, palamque faciendum, homines iſtos ſuperciliosos, nimiaque ſuperbia turgentes, plus tenebrarum quam lucis huic ſcientiæ attuliſſe. Non inficior illorum conatus, ſtudia, & progreſſus. Illorum eruditioni plurimæ, & methodo etiam non incongruæ, qua in iſtius iuris principia & regulas ingentes ediderunt commentarios, & magna volumina, nihil detraho, quin hæc omnia probo, & præconiis etiam extollo. Sed addo, tanta eos errorum caligine hæc omnia obſcuraſſe, ut plus damni quam commodi attulerint imperitis lectoribus illis qui peregrina, inſolita, & extranea magni facere, contemptis domeſticis & ſolidis, conſueſcunt. Samuel *Puſendorfius* præ ceteris & craſſiſſimis erroribus ius iſtud humanum publicum fœdavit; & poteſtatem ſacram, impotenti furore abreptus, e ſolio penitus detrudere infelici pertentavit conatu; & unicam ſupremam poteſtatem civilem, in ſacra & profana dominantem, propugnat. Singularem hoc de argumento libellum edidit inſcriptum, *De habitu religionis chriſtianæ circa vitam civilem*. Iſtius male conſarcinati, & maledicentiſſimo, atque ruſticiſſimo ſtilo exarati, opuſculi ſophiſmata, & vaniſſima commenta, obiter licet, & aliud agens profligabo. Ex inſtituto, ſi otio aliquando abundavero, id peragam. Ea pauca dumtaxat in præſentiarum delibabo quæ ſatis ſint ad expergefaciendos ſaperdas illos qui iſtorum Auctorum captioſis commentis, & exquiſitis præſtigiis turpiter faſcinantur.

CA-

CAPUT I.

Legum humanarum fundamentum hominum ſocietas. Obiter de ſocietate coniugali, paterna, berili, domeſtica, & civica. Inſtitutio civitatum legum neceſſitatem infert. Samuelis Pufendorfii, & Chriſtiani Thomaſii *commenta refelluntur.*

I. Plures ſunt hominis ſtatus. *Naturalis*, ſeu *phyſicus*, qui ſuam naturam attributis eſſentialibus definitam prodit. *Moralis* ex liberis officiis coaleſcens. *Adventitius*, qui ex aliquo facto libero homini advenit. Plurimi autem ſunt ſtatus *adventitii*, quos *entia moralia* Pufendorfius appellat, eaque fuſo calamo exponit *Lib. I. de I. N. & G. cap.* I. quæque nos, utpote cuique pervia, & minimi momenti, præterimus. Modi ne, an qualitates appellandi ſint eiuſmodi ſtatus, inter quæſtiones inutiles ſimiliter reiicimus.

II. Primus inter omnes *adventitios* ſtatus eſt ſocietas coniugalis, quæ, iure naturæ ſpectato, eſt ſimplex ſocietas maris & feminæ, ſobolis procreandæ, riteque educandæ cauſſa inita.

III. Auctores proteſtantes *Pufendorfius*, *Thomaſius*, *Heinnecius*, ceterique omnes, exponentes ius naturæ, matrimonii contractum, officia uxoris in maritum, & contra, explicant: quam methodum abſolute non improbarem, ſi Scriptores ethnici eſſent. At cum hi Chriſtiani ſint, & ad ſola iuris naturæ decreta, legeſque civiles magnum matrimonii ſacramentum revocent; idcirco, eorumdem relicta methodo, ego peculiari tractatu matrimonii contractum, ſpectato naturæ iure, & ſacramenti dignitate, iuxta ius divinum, a Chriſto Servatore noſtro invectum, explicabo, & iſtorum Proteſtantium errores refellam.

IV. Societatem coniugalem conſequitur proles, unde *ſocietas paterna*, ſeu domeſtica proficiſcitur. Liberi quippe abſque parentum ſubſidio vivere minime valent: idcirco neceſſariæ ſocietatis vinculo una coniunguntur. Ex altiſſimo parentum debito alendæ, educandæque prolis oritur *poteſtas patria* in filios. Hanc patriam poteſtatem fuſe ego expoſui *Lib. II. in* IV. *Decalogi mandatum*. Quamobrem prætereo quæ de hac ſcribere interpretes iuris naturæ ſolent. Eodem quoque loco *ſocietatis berilis* iura declaravi, videlicet quæ ſit dominorum in ſervos poteſtas, & quod iſtorum dominis parendi debitum.

V. Ex hac triplici ſocietate, *coniugali*, *paterna*, & *berili*, coaleſcit ſocietas *domeſtica*, ſeu *familiæ*, quæ, ſpectato naturæ iure, perfecta dici quodammodo

p)-

poteſt. Has quatuor ſocietates conſequitur altera, nempe *civica*, quæ his omnibus perfectior eſt.

VI. S. Thomas *de regim. Principum Lib. I. cap.* 1. Franciſcus Victoria *releƐt.* III. & P. Chryſoſtomus Iavellus *Tom. II. traƐt.* 1. de civitate chriſtiana ſingulari eruditionis copia ante Doctores proteſtantes originem, proprietates, & regimen civitatum, ſeu humanarum ſocietatum, in unum locum convenientium, explanarunt. Hanc civitatis finitionem produnt. *Societas hominum eſt imperantium, & obedientium ob honeſtam tranquillitatem compoſita*. Verbis diverſis civitatem definiunt alii, ſed eodem recidunt. Dividitur ex diverſitate regiminis in ſimplicem, & mixtam. Simplex in *monarchicam*, & *polyarchicam*. *Monarchica* eſt ſumma poteſtas penes unum, qui omnes ſubditos abſoluto imperio regit. *Polyarchica* poteſtas eſt quæ reſidet in pluribus. Si pluralitas reſtringitur ad optimates, civitas eſt *ariſtocratica*; ſi ad populum extenditur, appellatur *democratica*. Mixta conſurgit, quando eiuſmodi regiminis formæ miſcentur, & temperantur.

VII. Civitatum originem non tam a libera hominum inventione, quam ab ipſa natura arceſſit P. Franciſcus Victoria *cit. releƐt.* III. *num.* 5. Rationem promit ex S. Thoma *Lib. I. de regim. Princ. cap.* 1. Homo, animal ſociale cum ſit, communicationem appetit. Prima & fundamentalis communicatio eſt maris cum femina, ſine qua humanum conſiſtere genus nequit. Quapropter Deus continuo ac hominem condidit, dixit Gen. 1. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Quam primam ſocietatem conſequitur altera filiorum cum parentibus, & parentum cum filiis; & his duabus tertia accedit ſervitutis, famulatus, & dominii: quia homines vitam agere nequeunt abſque aliorum hominum miniſterio, & auxilio. Ex his tribus primis ſocietatibus coaleſcit prima communitas domeſtica, œconomico regimine directa. Porro ſicuti prima communicatio abſque ſecunda, & tertia diu durare nequit; ita ſocietas domeſtica neceſſario indiget communitate politica civitatis, quæ ex pluribus familiis conſurgit. Nulla quippe familia ſibi ſufficit, artibuſque inſtructa eſt neceſſariis ad humanam vitam. Alia ex parte, ſi familiæ ſeparatæ viverent, neque pax ſervari, neque iniuriæ reprimi ordinate poſſent. Quapropter peroptime inquit Cicero Lib. de amicitia, *nihil Principi Deo in rebus humanis eſſe gratius quam homines habere inter ſe ſocietatem ordinatam, & perfeƐtam, quæ civitas dicitur*. Hæc ſocietas coire in maiorem ſocietatem valet, puta in Principatum, in Rempublicam, in Regnum.

VIII. Heinc ſequitur humanarum legum, & ſupremarum poteſtatum, quæ legum tranſgreſſores puniant, earumdemque obſervationem promoveant, neceſſitas. Siquidem non minus rectæ rationi conſentanea eſt ſocietas quam ſocietati regimen aliquod, & leges, quibus bonum commune promoveatur, & ſocietatis perturbatores coerceantur. Sed lubet verba ipſa S. Thomæ tranſcribere, ut videant ia-

Digitized by Google

iactabundi naturalis iuris inſtauratores Proteſtantes, quanta perſpicuitate iuris naturalis, & humani principia iam à pluribus ſæculis ante illorum *Deformationem* fuerint explanata. Inquit ergo Angelicus loc. cit. *Et ſi quidem homini conveniret ſingulariter vivere, ſicut multis animalium, nullo alio dirigente indigeret ad finem; ſed ipſe ſibi unuſquiſque eſſet Rex ſub Deo ſummo Rege, in quantum per lumen rationis divinitus datum ſibi in ſuis actibus ſeipſum dirigeret. Naturale autem eſt homini ut ſit animal ſociale, & politicum, in multitudine vivens, magis etiam quam omnia alia animalia: quod quidem naturalis neceſſitas declarat. Aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta pilorum, defenſionem, ut dentes, cornua, ungues, vel ſaltem velocitatem ad fugam. Homo autem inſtitutus eſt nullo horum ſibi a natura præparato; ſed loco omnium data eſt ei ratio, per quam ſibi hæc omnia officio manuum poſſet præparare: ad quæ omnia præparanda unus homo non ſufficit. Nam unus homo per ſe ſufficienter vitam tranſigere non poſſet. Eſt igitur homini naturale quod in ſocietate multorum vivat .... Si ergo naturale eſt homini quod in ſocietate multorum vivat, neceſſe eſt in hominibus eſſe per quod multitudo regatur. Multis enim exiſtentibus hominibus, & unoquoque id quod ſibi eſt proprium providente, multitudo in diverſa diſpergeretur, niſi etiam eſſet aliquis de eo quod ad bonum commune multitudinis pertinet, curam habens: ſicut & corpus hominis, & cuiuslibet animalis difflueret, niſi eſſet aliqua vis regitiva communis in corpore quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod conſiderans Salomon dicit:* Ubi non eſt gubernator, corruet populus ... *Oportet igitur eſſe in omni multitudine aliquod regitivum*. Plurima alia quæ ibidem huc pertinentia S. Thomas habet, prætereo, quæ penes ipſum videre poteris.

IX. In iſtius angelicæ doctrinæ conſpectum veniant commenta Samuelis Pufendorfii, qui *Lib. VII. de iur. nat. & gen. cap.* 1. *§.* 4. (cui de more accedit Thomaſius *Inſt. iuriſprud. divin. Lib. I. cap.* VI. *num.* 21. *& ſequent.*) docet: *Civitatem qui ſubit, naturalis libertatis iacturam facit, ac imperio ſe ſubiicit .... Atqui ad hoc naturaliter fertur homo, ut nemini ſubiectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit*. Similia Thomaſius ſcribit. Hæc eſt ergo iſtorum argutatio. Naturali inclinatione homo eo fertur ut nemini ſubiectus eſſe velit. Civilis ſocietas neceſſario imperium, & dominium in homines, qui ſocietatem componunt, includit. Ergo naturalis hominum inclinatio ſocietati civili repugnat. Et Pufendorfius, qui ita argutatur, ille ipſe eſt qui in ſocietate, veluti in potiſſimo fundamento, principia naturalis iuris conſtituit. Quænam ergo eſt iſtius ſocialitatis Pufendorfianæ notio? Ut homines brutorum more congregentur, & impotentes naturæ appetitiones ſequantur. Et hi ſunt, quos ſublimes Metaphyſicos quidam appellant? Quantum ego ex Pufendorfii, Thomaſii, aliorumque Proteſtantium lectione colligere potui, homines iſti ingenio quidem valent, ſed

ſed ſanitate, & iudicio laborant. Si quid boni in ſcriptionibus eorum occurrit, totum mutuati a noſtris ſunt. Quæ illorum ſunt propria, ſi quamdam eruditionem excipias, inepta ſunt, & vana commenta, vix anicellis digna. Ecquis enimvero non deprehendit vanitatem argutationis factæ? Liber ſane homo eſt; at libertatis iſtius radix, &, ut probavi, principium recta ratio eſt. Recta autem ratio ordinatam ſocietatem amandam appetendamque proponit. Amat homo libertatem; ſed eam libertatem qua præditus eſt. Hæc autem libertas, cum ſit creata, natura ſua ſubiectionem importat. Natura ſua filius ſubiectus eſt patri, uxor marito, famulus domino. Societas hæc domeſtica conſiſtere abſque imperio, & obedientia nequit. Hac eadem ratione paterfamilias civis factus naturali inclinatione ſui, & familiæ conſervationem cupit. Ergo eadem inclinatione appetit ordinatam ſubmiſſionem rectori ſocietatis: amat tranquillitatem, & felicitatem propriam, qua ſine gubernatore potiri minime valet. Homo liber eſt. Audio. Ergo a naturæ lege, a Dei imperio exemptus? Non ergo naturæ legibus, non divinis mandatis ſubiectus homo erit? Libertas hæc ſuapte natura ſubiecta naſcitur Deo, naturæ, & ſocietatis legibus. Falluntur ergo, & quidem graviter, Doctores proteſtantes, dum libertatis iacturam inferunt ex ordinata ſubiectione ad illas leges ſine quibus conſiſtere hæc libertas tranquille nequit. Numquid corporis membra aliquod patiuntur detrimentum, quod vi moderatrici ſubdantur? Conferantur vanæ iſtorum ratiunculæ cum ſolida, unaque profunda Metaphyſica S. Thomæ; qui fuſa, & perſpicua oratione evincit, hominem naturæ inclinatione ferri in hunc imperandi, parendique ordinem, ſive domeſticum, ſive politicum: & tum nemo non deprehendet quam ſint leviculi homines iſti, qui, omnium antiquorum doctrina contempta, iuris naturalis & voluntarii ſcientiam ſibi ſuperbiuſcule arrogant. Sapienter ergo cum S. Thoma PP. *Victoria*, & *Iavellus* definiunt, civitates, & Reſpublicas haud eſſe hominum inventum, ſed ipſius naturæ rationalis fetum.

X. Cauſſa itaque efficiens proxima civitatis eſt ipſe tacitus hominum conſenſus, a recta ratione dictatus. Plura autem ſunt quæ ad civilem hanc ſocietatem coeundam impulere; ut advertunt poſt S. Thomam Victoria, & Iavellus, nempe malorum metus, artium, commerciorumque neceſſitas. In civili quoque ſocietate tres hominum claſſes maxime eminent, mercatorum, militum, iudicum ſeu ſenatorum. Mercatores in civitatem ea inducunt quæ vitæ alendæ ſunt neceſſaria; milites ea repellunt quæ ſunt pernicioſa; ſenatores rem communem dirigunt. M. Tullius *Lib. I. offic. cap.* XVIII. civitatis ordinem optime deſcribit his verbis. *Cum hoc ſit natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, cui ſunt communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſemina-*

rium Reipublicæ. Sequuntur fratrum coniunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque; qui cum una domo capi non poſſint, in alias domos, tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui, quæ propagatio, & ſoboles origo eſt Rerumpublicarum. Sanguinis autem coniunctio & benevolentia devincit caritate homines. Magnum eſt enim eadem habere monumenta maiorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior quam cum viri boni moribus ſimiles ſunt familiaritate coniuncti. Solus iſtius Ethnici liber morum, atque virtutum documenta continet, quæ plus inſtructionis, atque eruditionis lectoribus afferunt quam omnia quæ hoc de argumento hactenus ſcripſere *Puſendorfius*, *Thomaſius*, *Cumberlandus*, *VVolfius*, ceterique Proteſtantes.

XI. Civitatis forma eſt ſummum imperium. Civilis finis eſt bona, tranquillaque vita, quæ morum honeſtate, amore mutuo, iuſtitiæ, & æquitatis ordine conſiſtit. Illam exterius ornant bonorum, divitiarumque copia, & pax. Plura de civitatis ſimplicis, & mixtæ proprietatibus ſcribunt præter Victoriam, & Iavellum, Grotius, Puſendorfius, Thomaſius, aliique; quæ omnia prætereo, utpote nullius fere momenti.

CAPUT II.

De maieſtate, ſeu ſumma poteſtate civili. Eiuſdem origo, & prærogativæ. Errores Vitriarii, Thomaſii, Puſendorfii, *ceterorumque Proteſtantium obiter refelluntur.*

I. FOrmam civitatum diximus eſſe *maieſtatem*, ſeu *ſummam poteſtatem*. Eius notio variis deſcribi verbis ſolet, quæ tamen eodem recidunt. Eſt quippe facultas nullum habens ſuperiorem, dirigendi civium actiones ad communem, & publicam felicitatem. Quæ finitio abſtrahit a Principibus chriſtianis, qui ſpirituali regimini ſubduntur. Huic ſummæ poteſtati non officit *ius protectionis*; ſed contra in eiuſdem amplitudinem cedit: quidquid fabulentur heterodoxi Proteſtantes. Hæc ſumma poteſtas a legibus coactivis, exceptis naturalibus, & divinis, libera eſt. Nec propterea Reges, aliique ſupremi Principes *exleges* ſunt; ſed ſuarum legum directioni, tametſi non coactioni, ſubiiciuntur. Anteceſſorum leges abrogare ſucceſſores valent, ut *Grotius* ipſe advertit *Lib. I. cap. III. ſ. 7.* Plures maieſtati ſummæ perpetuitatem adſcribunt, quod temporaria maieſtas non ſumma, ſed precaria potius dicenda ſit. At hoc gratis aſſeritur. Tempus quippe nec pri-

va-

vatorum, nec publicorum iurium menſura eſt; ut advertit laudatus Hugo Grotius *loc. cit. §.* II. cui accedit Vitriarius *Lib. Inſt. cap.* III.

II. Dividunt poteſtatem ſummam in *abſolutam*, & *limitatam*. Nulla illa conventione reſtringitur, quemadmodum iſta, ſaltem quantum ad uſum & exercitium eiuſdem. Altera partitio eſt in *patrimonialem*, abſoluto proprietatis iure fultam; ut illa qua regnum iure belli acquiſitum poſſidetur: & non *patrimonialem*, qualis ea eſt qua regnum per legem delatum obtinetur. Tertia diviſio eſt in *civilem*, quæ primum ſubditorum utilitatem ſpectat; & in *herilem*, quæ primario in imperantis commodum cedit. Alia denique eſt *electiva*, *ſucceſſiva* alia.

III. Summæ poteſtatis originem a Deo communiter arceſſunt Scriptores omnes. Idque declaravit Salomon Prov. VIII. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*. Et profecto quemadmodum inferiores Principes a ſumma maieſtate; ita ſumma maieſtas terrena a ſupremo Rege, Dominoque dominantium pendeat neceſſum eſt. Illud in diſputationem vocant tum Theologi, tum ICti, ſit ne a Deo proxime, an tantum remote hæc poteſtas ſumma? *Immediate* a Deo haberi contendunt plures, quod ab hominibus neque coniunctim, neque ſigillatim acceptis haberi poſſit. Omnes enim patresfamilias æquales ſunt, ſolaque œconomica in proprias familias poteſtate fruuntur. Ergo civilem politicamque poteſtatem, qua ipſi carent, conferre aliis nequeunt. Tum ſi poteſtas ſumma a communitate, tamquam a ſuperiore, uni, aut pluribus collata eſſet, revocari ad nutum eiuſdem communitatis poſſet; cum ſuperior pro arbitrio retractare communicatam poteſtatem valeat; quod in magnum ſocietatis detrimentum recideret.

IV. Contra diſputant alii, & quidem probabilius ac verius, advertentes, omnem quidem poteſtatem a Deo eſſe; ſed addunt, non transferri in particulares homines immediate, ſed mediante ſocietatis civilis conſenſu. Quod hæc poteſtas ſit immediate, non in aliquo ſingulari, ſed in tota hominum collectione, docet conceptis verbis S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XC. *art. 3. ad* 2. & *quæſt.* XCVII. *art. 3. ad 3.* quem ſequuntur Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* 1. *art.* 3. Ledeſma *II. Part. quæſt.* XVIII. *art.* 3. Covarruvias *in pract. cap.* 1. Ratio evidens eſt: quia omnes homines naſcuntur liberi reſpectu civilis imperii: ergo nemo in alterum civili poteſtate potitur. Neque ergo in ſingulis, neque in aliquo determinato poteſtas hæc reperitur. Conſequitur ergo in tota hominum collectione eamdem extare. Quæ poteſtas non confertur a Deo per aliquam actionem peculiarem a creatione diſtinctam; ſed eſt veluti proprietas ipſam rectam rationem conſequens, quatenus recta ratio præſcribit ut homines in unum moraliter congregati expreſſo, aut tacito conſenſu modum dirigendæ, conſervandæ, propugnandæque ſocietatis præſcribant.

V. Hinc infertur, poteſtatem reſidentem in Principe, Rege, vel in pluribus, aut optimatibus, aut plebeiis, ab ipſa communitate aut proxime, aut remote

 pro-

proficiſci. Nam poteſtas hæc a Deo immediate non eſt. Id enim nobis conſtare peculiari revelatione deberet; quemadmodum ſcimus, Saulem, Davidem electos a Deo fuiſſe. Ab ipſa ergo communitate dimanet oportet.

VI. Falſam itaque reputamus opinionem illam quæ aſſerit, poteſtatem hanc immediate & proxime a Deo conferri Regi, Principi, & cuique ſupremæ poteſtati, excluſo Reipublicæ tacito, aut expreſſo conſenſu. Quamquam lis hæc verborum potius quam rei eſt. Nam poteſtas hæc a Deo auctore naturæ eſt, quatenus diſpoſuit, & ordinavit ut ipſa Reſpublica pro ſocietatis conſervatione, & defenſione uni, aut pluribus ſupremam regiminis poteſtatem conferret. Immo facta deſignatione imperantis, aut imperantium, poteſtas hæc a Deo manare dicitur, quatenus iure naturali, & divino tenetur ſocietas ipſa parere imperanti. Quoniam reipſa Deus ordinavit ut per unum, aut per plures hominum ſocietas regatur. Et hac via omnia conciliantur placita; & oracula Scripturarum vero in ſenſu exponuntur. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Et iterum: *Non eſt poteſtas niſi a Deo*: ad *Rom.* XIII. Et Petrus Epiſt. I. cap. II. *Subiecti eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi* &c. Item Ioan. XIX. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*. Quæ, & alia teſtimonia evincunt, omnia a Deo, ſupremo rerum omnium moderatore, diſponi, & ordinari. At non propterea humana conſilia, & operationes excluduntur; ut ſapienter interpretantur S. Auguſtinus *tract.* VI. *in Ioan.* & *Lib. XXII. cont. Fauſtum cap.* XLVII. & S. Ioannes Chryſoſtomus hom. XXIII. in Epiſt. ad Rom. *Non eſt poteſtas, niſi a Deo. Quid dicis? Ergo omnis Princeps a Deo conſtitutus eſt? Iſtud non dico. Non enim de quovis Principe mihi ſermo eſt. Sed de re ipſa, ideſt de ipſa poteſtate. Quod enim Principatus ſint, quodque non ſimpliciter, & temere cuncta ferantur, divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps eſt niſi a Deo. Sed de re ipſa diſſerit dicens: Non eſt poteſtas niſi a Deo.*

VII. Quod opponunt, poteſtatem, a communitate collatam, eſſe revocabilem ad nutum, nullius momenti eſt. Nam, ſi abſolute conferatur, nullo revocari modo poteſt. Si vero pacta, aut conventiones intercedant; ſervanda hæc ſunt, tamquam in bonum ſocietatis adiecta. In regnis ſucceſſivis primus imperans immediate, ceteri ſucceſſores mediate a Republica poteſtatem accipiunt.

VIII. Hinc colligas, iure naturæ aſtrictam communitatem eſſe, ſummam exercere maieſtatem aliqua regiminis aut monarchici, aut ariſtocratici, aut democratici, aut mixti, forma. Quoniam fieri nequit ut multitudo populoſa ſeipſa moderari Rempublicam valeat: quia in quolibet negotio ſingulorum expectari placita deberent; quod humanæ conditionis facultatem excedit.

IX. Hanc controverſiam fuſo calamo, & redundantis eruditionis copia verſat P. Natalis ab Alexandro *diſſert.* VI. *in ſæcul.* XV. & XVI. Sed non pari perſpicuitate.

tate. Contendit, poteſtatem regiam immediate a Deo eſſe. Sed *num.* 18. non valde ſibi conſtans, inquit: *Ex eo quod regia dominatio iure gentium introducta ſit Deo quidem auctore, ſed non immediato, ſicut eccleſiaſtica poteſtas* &c. Et poſt pauca ſubdit: *Etſi regia poteſtas quodam ſenſu a Deo non ſit immediate inſtituta, ſed media hominum electione, qui publicam poteſtatem, in Republica reſidentem, in unum tranſtulerunt; certum nihilominus eſt politicam poteſtatem in genere immediatam originem a Deo habere, qui homines in unam primum generis ſocietatem & Rempublicam ſub Adamo Principe coadunavit.* Nemo inficiatur, poteſtatem in genere a Deo eſſe; &, poſita populi electione, aut conſenſu, ipſam Principum poteſtatem a Deo immediate proficiſci, populoſque iure naturali, divinoque parere ſupremis poteſtatibus debere. Hoc, & non amplius, licet non adeo luculenter, probare videntur argumenta P. Franciſci Victoria in *cit. relect. de poteſtate civili.* Quæ omnia evincunt, de voce, non de re, tam acriter diſputare Theologos plures hac in controverſia.

X. Maieſtatis ſupremæ prærogativas, & iura, alia maiora, ſeu *regalia intrinſeca* vocant, utpote a regia poteſtate inſeparabilia; ut ſunt conſervatio, & defenſio Reipublicæ. Alia minora, ſeu *regalia extrinſeca*; ſuntque ſubſidia, & tributa ad priora iura exequenda: quæ omnia tamquam finem reſpiciunt tranquillitatem, & ſecuritatem tam internam, quam externam Reipublicæ. Huc quippe ſpectare poteſtatis ſummæ ſtudia debent; minime vero eo ut pro ingenio Rempublicam moderentur.

XI. Opponunt cum Machiavello Hornius *Lib. II. de civit. Part. I. ſec. 6. §. 17.* & Vitriarius *de ſum. poteſt.* illud Reg. *I.* cap. VIII. *Hoc erit ius Regis qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum.... Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis.* Heinc Hornius Reges *Prodeos* vocat, effutitque, id eos in *territorio* omne poſſe *quod Deus in univerſo.* Et Vitriarius inquirens, *an Samuelis* VIII. *deſcribatur verum ius regium*, adfirmat: quia omnes actus ibi deſignati *vitium nullum continent.* Quod commentum adeo abſurdum eſt, ut nec confutatione egeat. Lippis, & tonſoribus notum eſt, Deum ibi abuſum regiæ poteſtatis deſcribere, & ad plectendam populi temeritatem, & ſcelera, prædicere gravamina, & oppreſſiones ſub petito Rege ferendas. Vera Regis iura deſcribit Deus Deuter. XVII. *Cum fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos... Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immenſa pondera... deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias*

 eius,

eius, quæ in lege præcepta ſunt. Hæc ſunt Regum prærogativæ. In ſupremo dignitatis faſtigio luxum, faſtum, ſuperbiam in ordinem redigere temperantiæ & modeſtiæ freno: legem Dei, eiuſdemque germanam interpretationem a Sacerdotibus accipere, & ſubmiſſe audire, eaque omnia exequi quæ lex divina præſcribit.

XII. Munia, & prærogativæ Regis ſunt, Rempublicam ab exteris defendere, ſecuramque ſervare. Heinc conſurgit *ius maieſtaticum belli, & pacis*, omnibus facultatibus in hunc finem neceſſariis ornatum; videlicet imperandi ſubditis, tributa iuſta & æqua, iuxta ſubditorum bona partienda, imponendi, fœdera ineundi, eaque omnia peragendi quæ ſaluti, & ſecuritati Reipublicæ opportuna iudicaverit. Quod potiſſimum Regibus Deus inculcat in laudato Deuteronomii textu, eſt, quod legem Dei cuſtodiant, curentque obſervari a ſubditis, verum Dei cultum, ſanctamque religionem ſartam tectam propugnent. Religionum diverſitates populorum animos in partes contrarias, in diſſidia, factiones, & rixas trahunt. *Ius ſacrum* quo Principes potiuntur, eo tantum pertinet, ut religionis unitatem, cum una ſola vera ſit, promoveant, Eccleſiam tueantur, ordinem ſacerdotalem protegant. Contra, Proteſtantes crocitant, & quaslibet religiones, dummodo infenſæ Reipublicæ non ſint, admittendas a Rege contendunt. *Nec errores intellectus* (inquit Hermanus Kemmerichius in Elem. I. N. & G. Part. II. cap. VII. fol. 258. num. 26.) *etiam qui circa religionem admiſſi videntur; ut quæ hæreſeos nomine notari ſolent, pœnis ſubiici debent, modo ſub prætextu religionis Reſpublica non turbetur*. Hæc ſunt effata proteſtantica, *Libertas conſcientiæ*. Quiſque pro ingenio religionem effingat. Taifali, & Alani, Hunni, & Gothi, Sarmatæ, & Cimbri, Turcæ, Perſæ, & Indi ſua numina colant, ſuaſque religiones exerceant, quin regia impediat maieſtas. Quæ omnia latius explicat impius Petrus Bellius in ſuo *Comment. Philoſoph.*

XIII. Dominium maieſtatis regiæ ſupremum, & eminens legibus naturalibus, diviniſque coercitum eſt. Poſſunt ſummi imperantes bona ſubditorum in publicos, urgente neceſſitate, uſus convertere, domos diruere, agros exurere, & plurima alia præſtare; ſed ſemper æquitatis, & iuſtitiæ legibus ſervatis. *Iuriſpubliciſtæ* proteſtantes *Grotius*, *Puſendorfius*, *Coringius*, *Vitriarius*, *Thomaſius*, *Hertius*, *Heinnecius* fuſo calamo hæc omnia diſpiciunt. Modos acquirendæ, amittendæque maieſtatis ſummæ, iura belli, paciſque, fœderum pacta, & conventiones late enucleant. Hæc omnia prætereo, utpote ab inſtituto meo aliena. Quid quod hæc, cum ad ius civile maiori ex parte attineant, omnes fere leguleii ad ſatietatem verſant? Nec eſt quod ſibi plaudant heterodoxi Proteſtantes, quaſi ſoli hanc exornaverint ſpartam. Iuſta tamen laude eorumdem conatus, ſtudia, & molimina defraudanda minime ſunt. Immo diligentiam, laborem, & eruditionem magnopere

com-

commendanda dicimus; quemadmodum errores quos adverſus iuris naturalis decreta evulgarunt, refellendos occaſione data exiſtimavimus. *Grotius* civitatis, & poteſtatis ſummæ originem ordinationem humanam vocat. *Pufendorfius* immediatam originem ducit ex pactis. Contra ſentit Thomaſius *iuriſprud. div. Lib. III. cap.* VI. *num.* 73. ubi hæc habet. *Si enim* (inquit) *civitates originem ſumpſerunt ab hominibus improbis* (ut contendit aliquo modo Pufendorfius) *Deus non poteſt antecedenter præcepiſſe hominibus ut ſocietas civilis inſtitueretur*; *ſed ſufficit*, *ſi poſtea inſtitutam probaverit*. Maſius, ſimiliter Lutheranus, carnificis manu cremari *Haſniæ Thomaſii* ſcripta curavit, quod cauſſam imperii immediate a Deo non derivarit. Vitriarius *Inſtit. I. N. & G. quæſt.* CXXI. *cap.* III. ſingularem evulgavit errorem, negans ſocietati humanæ poteſtatem ſummam Regi, ſive Principi communicandam. *Populus numquam conceſſit poteſtatem Regi, quam numquam habuit*; *ſed ſolus Deus*: *& populus liber*, *Regem ſibi eligendo*, *inter manus Dei*, *a quo proxime accepit*, *eam reſignat*; *qui*, *poſtquam a populo Rex eſt electus*, *eam Regi confert*. Hæc pauca delibaſſe ſufficiat. Nec enim ſingula excutere, aut otium, aut inſtituti ratio ſinunt; ſed nec eſt operæ pretium.

CAPUT III.

De iure civili publico, & privato. Iuriſpubliciſtæ proteſtantes turpiter confundunt ius civile ſupremum cum ſacro. In examen præcipue vocatur doctrina quam tradit Samuel Pufendorfius *in libello inſcripto*, De habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem.

QUæ hic tractanda propoſui, diſparata ſunt. At, quia Doctores Lutherici, potiſſimum *Pufendorfius*, illa coniungunt; idcirco & nos hoc in capite eadem diſcutienda ſuſcipimus. Contendunt novatores, ſupremæ poteſtati civili annexam eſſe poteſtatem in ſacra: quæ duo non minus ac cælum a terra invicem diſtant. Ut confuſio vitetur, caput iſtud in ſequentes paragraphos tribuo.

§. I.

§. I.

Origo iuris civilis, eiuſdem acceptiones variæ. Diſcrimen ius publicum inter & privatum. Inepte gloriantur Scriptores Lutherici, ſe e tenebris in lucem eduxiſſe ius publicum.

I. IUris civilis origines eleganti, eruditoque calamo explanat præclarus Ictus Vincentius Gravina *Lib. III.* Et quoniam ius iſtud antonomaſtice Romanum appellatur, adiicit librum ſingularem de Romano Imperio. Verum nos illa dumtaxat quæ noſtro morum formandorum inſtituto conducunt, in medium adducemus.

II. Iuris civilis acceptiones variæ. Quandoque ſumitur pro omni iure, ſive naturali, ſive gentium quo cives utuntur. Sed acceptio hæc impropria eſt. Secundo pro iure Romano habetur. Sed vera acceptio pro iure poſitivo, quod legumlatores condunt ad optimum cuiuſque Reipublicæ regimen.

III. Ius civile hoc in ſignificatu acceptum duplex, publicum, & privatum. Illud ſic nuncupatur, quod manifeſtum, non privatum ſit; & ſub triplici aſpectu conſideratur. Primum a cauſſa effectrice vocatur publicum, quod publica auctoritate conditum eſt. Ad quod pertinet tutela, teſtamenti confectio, beneficium legis Falcidiæ, & alia iura, de quibus Icti late diſputant. Secundo ius publicum vocatur ab effectu, quatenus omnibus commune eſt, & univerſos reſpicit cives. Quo in ſenſu opponitur privilegio, quod non ad univerſos, ſed ad ſingulos attinet. Tertio a fine ius publicum ſuam arceſſit denominationem, prout communem & univerſalem reſpicit utilitatem, tranquillitatem, & commodum. Et iuxta hunc ſenſum accipit Imperator ius publicum *§. fin. inſt. de I. & I.* & Ictus *l. iuri §. huius*, ait, *ius publicum eſſe quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat.*

IV. Communis iuris publici finitio, in hac tertia acceptione ſpectati, hæc præbetur. *Ius eſt quod directe, & principaliter ob publicas cauſſas, & utilitatem univerſalem conſtitutum eſt.* Moderni Icti tribuunt illud in *antiquum*, & *commune* contentum in ultimis tribus libris codicis; & in *ſpeciale* ſive *hodiernum*, quod, facta Romani imperii translatione a Græcis ad Germanos in Caroli Magni perſona, Leonis III. Romani Pontificis auctoritate, coaleſcit ex Conſtitutionibus, Receſſibus imperii, Capitulationibus Imperatorum. Iſtius tamen iuris Romano-Germanici primum, potiſſimumque fundamentum eſt BULLA AUREA Caroli IV.

V. Quibus conſtitutis, hoc inter ius publicum & privatum Icti diſcrimen aſſignant.

gnant. Lex omnis propter bonum commune fertur, hac tamen diverſitate, quod ius civile privatum immediate, & directe, & in executione ſingulorum utilitatem & commodum ſpectat; quod poſtea in bonum Reipublicæ commune, coaleſcens ex ſubditorum bonis, & commodis, cedit. Contra ius publicum directe, & in executione principaliter utilitatem publicam intèndit; quæ poſtea in ſingulos manat. Finis itaque publici iuris immediatus eſt bonum publicum tam in intentione, quam in executione.

VI. Iuris publici auctor eſt ſumma poteſtas, in imperio Imperator, in regno Rex, in principatu Princeps, in republica Magiſtratus, penes quos ſumma reſidet maieſtas: quoniam ius publicum eſt vera lex, vocaturque ius legale; lex autem ab eo egreditur qui curam gerit communitatis. Quælibet Reſpublica, immo quælibet civitas, non ſubdita alicui, ſua habet iura tum publica, tum privata: quia, his ſublatis iuribus, tranquillitas, pax, commune bonum conſiſtere nequaquam valent. Heinc ius tum publicum, tum privatum Romanum, cum ipſa fere Republica ortum habuit; quamvis non continuo ac leges privatæ inſtitutæ prodierunt, ſcriptis conſignatæ fuerint. Quilibet itaque principatus qui ſuperiorem non agnoſcit, ſua iura publica, & privata habet. Et iura ſive publica, ſive privata unius principatus, regni, aut imperii, niſi quidquam iuris naturalis, aut divini contineant, non aſtringunt ſubditos alterius principatus, ſed illos dumtaxat qui ſubiecti ſunt illi ſupremæ poteſtati a qua iura manarunt.

VII. *Iuriſpubliciſtæ* proteſtantes ſibi plaudunt, quod ius publicum exornaverint, &, veluti in ſepulcro iacens, ad vitam revocaverint. Et reipſa *Coringius*, *Hornius*, *Maſius*, *Hertius*, *Vitriarius*, & innumeri alii ingentia volumina edidere, quibus ius publicum Romano-Germanicum illuſtrarunt. Et, ad hoc quod attinet, laudanda eſt eorumdem diligentia, labor, induſtria, & eruditio a ceteris Germanis, qui ex illorum vigiliis, & ſudoribus fructum capiunt. At ceteræ nationes, ab imperio Teutonico liberæ, nihil ex illorum operibus proficere valent. Revolvi ego ingentia volumina Hertii, Vitriarii, aliorumque; ac ſtatim intellexi, me oleum, operamque ludere in eorum lectione: non quod eiuſmodi ſcripta methodo, eruditione, & ratiocinio careant; ſed quod ad ſolos imbuendos Germanici imperii ſubditos attineant. Quemadmodum illi otio, & litteris abuterentur, ſi libros qui iura publica, & privata, Veneta, Gallica, Hiſpanica, Anglica, Polonica, legere vellent; niſi peculiarem haberent finem, quemadmodum Romani, qui Græcorum leges exſcripſere, ut inde optimas pro ſuæ reipublicæ regimine leges eruerent: qua tamen eruditione imbui illi debent qui principatus regimini, vel miniſterio deſtinati ſunt, aut publicas talis principatus moderantur academias, & univerſitates. Quare ſicuti commendandi ſunt heterodoxi Proteſtantes, qui exornando iuri publico Cæſareo ſtrenuam navarunt operam; ita cenſura digni eſſent alio-

rum

rum regnorum, & univerſitatum moderatores, ſi propriæ nationis publica & privata iura ad communem patriæ utilitatem illuſtrare negligerent. Verum hæc nihil ad nos.

§. II.

Iuriſpubliciſtæ proteſtantes Grotius, Goldaſtus, Pufendorfius, Coringius, *ceterique eiuſdem ſectæ, ius ſacrum cum civili permiſcentes, rerumpublicarum regimina perturbarunt. Nonnulla effata ex libello* Pufendorfii de habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem *delibantur.*

I. PRoteſtantium ſtudia in iure publico illuſtrando commendavi. At nemo ratione præditus, & partium ſtudio vacuus poteſt non improbare eorumdem conatus, quibus ius publicum chriſtianorum Imperantium incredibili confuſione obtenebrarunt, & ineptiſſimis paradoxis implicarunt. Iſtorum agmen ducit Samuel Puſendorfius, lutherico fermento præ ceteris inflatus, qui in ſuo libello *de habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem*, ſuam bilem, ſcommata, & ruſtica convicia, homine honeſto indigna, evomit in Papatum; nullumque non movet lapidem, ut ius in ſacra Principibus tribuat. Nemo mihi vitio vertat, ſi homines iſtos duriori interdum excipiam ferula: quoniam illi adeo furentes in Catholicos debacchantur, ut non homines, ſed immanes feras, ex ſilvis illis ſeptentrionalibus erumpentes, ira, odioque ſpumantes, agnoſcas. Alias dixi, ſæpiuſque repetendum exiſtimo, ſectas omnes magis & minus commiſerationem mereri. Verum Lutherana, & Calviniana, ceteræque proteſtantes turbæ tam impotenti ſuperbia faſtuque tument, ut minime illas pudeat adverſus quindecim ſæculorum cultiores chriſtianæ inſtitutionis nationes cervices erigere, & univerſæ catholicæ Eccleſiæ doctrinam, ante natum *Lutherum*, ubique Chriſtianorum receptam, contemnere, & deridendam propinare. Ut impune, liberiuſque ſuos putidiſſimos in vulgus propagare errores poſſent, hierarchiam eccleſiaſticam ſubvertere, iudices ſupremos in religionis controverſiis dirimendis de medio tollere, ſacerdotium cum imperio confundere, cælum terræ miſcere, exquiſita fraude, & captioſis commentis pertentarunt.

II. Samuel *Pufendorfius* in citato *opuſculo* hierarchiam eccleſiaſticam, ſeu poteſtatem in ſacra, ſeiunctam a poteſtate politica, *figmentum papiſticum*, *monſtrum politicum*, quod imperia lacerat in partes, quod regimina pervertit, urbaniſſime appellat. Catholici Doctores luthericas fabellas, adverſus hanc divinam veritatem invectas, omni argumentorum genere millies labefactarunt. Idcirco actum agerem, ſi ex inſtituto hanc verſare controverſiam vellem. Verum quæ *Pufendorfius* in cita-

citato *opuſculo* obtrudit, confutatione peculiari digna videntur. Hirco-cervum poteſtatis ſacræ, & profanæ conflare *Puſendorſius* conatur. Religionem chriſtianam politico ſtatui ſubiicere, non politicum ſtatum religioni ſtudet. Et adeo neceſſariam iudicat hanc unicam poteſtatem ſummam, ſacra & profana moderantem, ut *Lib. VII. de iur. nat. & gent. cap.* IV. *num.* VIII. *fol.* 962. expedire aſſerat ut publice civitas eiuſmodi doctrinis veluti perſonet, & in *Apologia* adverſus *Bekmannum*, quem Aſinium Tenebrionem appellat *§.* 6. *pag.* 7. ſcribit. *Dico nulla dogmata moralia.... contra ius naturale, & ſanam politicam pugnantia, ſub ſpecie religionis obtruſa, in civitate eſſe toleranda: qualia ſane peſtilentiſſima ſub religionis larva alicubi irrepſiſſe, nemo rerum humanarum peritior eſt qui ignoret. Ex eo genere ſunt iſthæc dogmata: dari poteſtatem extranei alicuius Sacerdotis, quibus ſummi imperantes civiles ſint ſubiecti ... omnibus Sacerdotibus cuiuſque Reipublicæ chriſtianæ neceſſario dependendum a Sacerdote aliquo extraneo: in Sacerdotes ſummo imperio civili nullam eſſe poteſtatem ..... Fanaticorum hominum deliria, & commenta pro oraculis divinitus inſpiratis &c. Cum igitur Aſinius Tenebrio meam ſententiam hactenus expoſitam, tamquam orthodoxis fundamentis repugnantem damnet, neceſſum &c.* Peiora, & longe viliora ſcribit in opuſculo præfato *de habitu religionis* &c.

III. Lutherus, poſt hominum memoriam audaciſſimus, primus hunc invexit errorem. Siquidem *Tom. II. pag.* 76. inquit: *Neque Papa, neque Epiſcopus, neque ullus hominum habet ius unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu. Quidquid aliter fiat, ſpiritu tyrannico fit*. Omnes Sacerdotes æquales eſſe effutit.

IV. Si perconteris a Iuriſpubliciſtis Luthericis, quam Eccleſiæ formam, quodnam regiminis ſacri ſyſtema ex Patriarchæ *Lutheri* principiis conſtituerint; hærere ſane illos videbis, & pro regnorum, Principum, atque imperantium diverſitate, varias deprehendes, mutuoque pugnantes Reſpublicas chriſtianas. Non una apud eos Eccleſia; ſed alia Lutherica, alia Calvinica, alia Zuinglica, alia Presbyterica. Ne multa: ex doctrina Lutheri regimen Eccleſiæ *democraticum*, immo *anarchicum* eſt. Quid quod *Puſendorſium* ſcribere non puduit in eo opuſculo de habitu relig. chriſt. &c. *§.* 31. pag. 193. *In Eccleſiis formandis non eſt opus decreto ſuper certa regiminis forma introducenda, abſurdæque adeo ſunt quæſtiones, an monarchica, ariſtocratica, ac democratica forma competat Eccleſiæ. Hæ ſiquidem formæ cadunt in ſtatum aliquem, ſeu civitatem; Eccleſia autem ſtatus non eſt*. Egregius Metaphyſicus, & ſapientiſſimus Ictus. Eccleſia ſtatus non eſt? Nulla ei recti, & definiti regiminis forma præciſa? Hæc ſunt ſcita quæ Iuriſpubliciſtæ Lutherici evulgant, & mutuo ſibi communicant. Nam Matthæus Pfaffius Tubingenſis Doctor *de orig. iur. eccleſiaſt. pag.* 88. hæc Puſendorfii ridicularia commenta recoquit his verbis. *Unde & quæſtio iſta valde inſipida eſt, ut recte omnino animad-*

ver-

vertit Samuel a Puſendorf in aureo libello de habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem, cum diſputatur, num Eccleſia ſit monarchica, vel potius ariſtocratica, aut democratica: etſi enim analogias quaſdam hic invenire detur, cum omnis directio ſuperioritatem quamdam ſupponere videatur, modoſque, & limites varios admittat; ſatius tamen eſt ab omnibus eiuſmodi comparationibus manum abſtrahere, quam civili negotio res Eccleſiæ, quæ altioris longe indaginis ſunt, adaptare.

V. Verſutia qua declinare callidi homines controverſiam ſtudent, haud contemnenda. Intelligunt quippe & ipſi, Andabatarum more ſe in lite hac cum Catholicis pugnare; nihilque ſolidi tenere in quo pedem figant. Quamobrem tamquam fundamentum ſuæ babelicæ turris potiſſimum Lutherus præiecit, nullum in terris dirimendarum in religionis negotio controverſiarum iudicem præſidere; ſed quempiam, privato imbutum ſpiritu, iudicem eſſe in fidei litibus finiendis. Hanc Luthericam doctrinam, univerſæ antiquitati incognitam, variis delinire fucis, & ineptis obſepire nugis conati ſunt debacchantis magiſtri diſcipuli. Iſtorum commenta, incredibili confuſione, verborumque circuitione implicata, ea qua fieri poteſt claritate perſtringenda ſunt. Et quoniam *Puſendorſius* præ ceteris omnia aggerit, ex illo eadem delibabimus.

VI. Eccleſiam non eſſe *ſtatum*, ſed ſocietatem in *ſtatu*, ex Doctoribus, & auditoribus conflatam, eſſe docet Puſendorſius *cit. libello §. 30. & 31.* Hanc ſocietatem *collegium* etiam appellat, in quod coire omnes, quemadmodum in civilem ſocietatem, naturali libertate præditi valent; *collegium* iſtud regulas, pactiones in diſciplina divini cultus ſervandas præſcribit. Eaſdem eccleſiaſticas leges vocat, quibus derogare ſine naturalis libertatis læſione nec ſumma poteſtas valet, excepto litium, turbarumque eventu, in quo ſuprema Reipublicæ auctoritas ſuum interponere iudicium debet. Duplex innuit ius ſacrum, *maieſtaticum*, & *collegiale*. *Maieſtaticum* ſuprema inſpectione præſidere *collegio* aſſerit, eiuſque pacem promovere, impedire ne Doctores principia a religione naturali aliena, ſuperſtitioneque tincta invehant; ne conſcientiis vis inferatur per *anathematiſmos*, aliaſque cenſuras: dirimere controverſias, definire cultum publicum, iura matrimonialia, & beneficia, bonaque eccleſiaſtica diſtribuere. Ad iura *collegialia* reducit miniſtrorum inſtitutionem, adminiſtrationem eccleſiaſticorum redituum, indictionem feriarum, ieiuniorum, & compoſitiones amicabiles ſuper litibus eccleſiaſticis, & exteriorem pœnitentiæ diſciplinam.

VII. Quamvis cives omnes ingredi collegium hoc valeant; tamen, ſubdit ille, expedit, ut civium cœtus aliquas deſignet perſonas, Eccleſiam repræſentantes, quæ cœtus nomine externam dirigant diſciplinam, quin valeant articulos fidei definire, ſed cœtus doctrinam hiſtorice exponere, & ſuadere. Principibus non mo-

modo ius Sacerdotii univerſalis, ſicut aliis Chriſtianis, tribuit; ſed iura *collegialia* tacito cœtus conſenſu in ſupremas poteſtates translata eſſe docet. Quapropter Principes poſſunt hanc iurium adminiſtrationem committere *Conſiſtorio*, potiſſimum ex viris politicis conſtante: cui adiungi Theologos Doctores non erit inutile. Nullum inter Sacerdotes, Doctores, & auditores diſcrimen, niſi miniſterii diverſitate. Excludere a ſacra cœna indignos, iuris eſſe vel *collegii*, vel *maieſtatis*, conſtituit.

VIII. Sed, ut magis patefaciam *Puſendorſii* & in Eccleſiam Romanam impotentem rabiem, & de poteſtate Principum in ſacra, ineptiſſima paradoxa, pauca ex univerſo illius citato libello delibabo, quibus huic paragrafo finem imponam. In ipſa dedicatoria epiſtola ad Sereniſſimum Electorem S. R. I. Fridericum Brandenburgenſem heroica facinora commemorat ſuorum Reformatorum, qui moleſtiſſimum Eccleſiæ dominatum excuſſerunt: *quos*, inquit, *hactenus Sedis Romanæ adulatores proterve inſultant, velut adverſus divinum inſtitutum refractarios, rebelles, ac ſe, ſuoſque iuxta cives in exitium pertrahentes. In quos iam quoque mercenariorum Scriptorum impudentia id calumniæ genus ſpargere haud verentur*. Qui fortius pro Petri cathedra hactenus pugnarunt, homines fuere paupertate, modeſtia, rerumque humanarum omnium contemptione illuſtres: notamque mercenarii calami ſi quis meretur, is eſt Puſendorfius, qui Principibus velificando, adulandoque, ex infima ſorte & pauperie Dynaſta evaſit. Pergit ibi: *Quibus latratoribus os obturare par eſt*.

IX. Ut vero iſtorum ora obſtruat, chimæras ſuas in medium adducit, & formam regiminis Eccleſiæ chriſtianæ delineare ſtudet. Primum omnium conſtituit, Eccleſiam chriſtianam non eſſe ſtatum aliquem ſuis legibus circumſcriptum, & ab uno capite directum. Quoniam, inquit *§.* 15. *pag.* 54. qui rempublicam, aut ſtatum condit, neceſſum eſt ut quid terrarum habeat, ubi cives ſedem fortunarum, novamque patriam figere poſſint. Et ut evincat, Eccleſiam non eſſe rempublicam, aut ſtatum aliquem, maiorem libelli partem occupat. Scripturarum teſtimonia, quæ alio pertinent, huc congerit. *Nec deſunt* (inquit *§.* 31. pag. 131.) *rationes ex quibus evinci queat, non potuiſſe ab Apoſtolis condi Eccleſias quæ indolem ſtatus haberent*. Quænam rationes iſtæ? Subdit continuo: *Cuiuslibet ſtatus primarius finis eſt ſecuritas, ac ut coniunctis animis, viribuſque aliorum iniuriæ arceantur. Quem ad finem inſignium virorum numero opus eſt, & quidem talium qui ad vim arcendam idonei ſunt*. Hoc pluribus foliis explicat, inquiens pag. 133. *Qui iam ſub aliquo ſtatu degit, ſi novum ſe in ſtatum conferre velit, neceſſum eſt ut vel in alium locum commigret, aut præſens imperium loci, ubi agit, excutiat . . . . Sic Romulus novum ſtatum conditurus Regum Albanorum imperio renuntiabat, & qui novo ſtatui accedere volebant, deſertis ſuis oppidis, Romam commigrabant*. Tam pro-

prolixo & aſiatico ſtilo hoc unicum punctum firmare ſtudet, ut pluſquam duas libelli partes inſumat.

X. En quo recidant iſtius præclari, & ſuperciliofi Lutherici Doctoris conamina, ut evincat Eccleſiam Chriſti non eſſe *ſtatum* ad exemplum illius ſtatus quem Romulus formavit ex rapinis, cædibus, & latrociniis. Incredibilia forent Lutherica hæc paradoxa, niſi typis eſſent edita, & quidem ab illis qui in ſupremo ſubſellio ſynagogæ Lutheranæ ſedent. Eccuinam in mentem venit, Chriſti Eccleſiam ſtatum eſſe, aut rempublicam illi ſimilem quam Romulus condidit? Quis tam abſurda commenta ſomniavit umquam? Fruſtra ab hoc præclaro Doctore quæris veram Eccleſiæ chriſtianæ notionem & imaginem. Ubique crepat Eccleſiam *collegium* eſſe, ſeu *collegia* per regna, provincias, civitates, & oppida diſperſa. Hæc quippe ſcribit §. 39. pag. 180. *Poſtquam hactenus prolixe fuit oſtenſum, Eccleſiam non eſſe ſtatum, reſtat ut inſpiciamus ad quodnam demum genus corporum moralium Eccleſiæ ſint referendæ, prout quidem illæ ſe primitus habebant ſub imperio Principum ethnicorum. Eas igitur conſtat habuiſſe indolem collegiorum, ſeu eiuſmodi ſocietatum, queis plures homines certi cuiuſdam negotii gratia inter ſe conectuntur, ſalvo ſummorum Imperantium in eoſdem iure. Qua de re conſuli poſſunt ICti de collegiis, & corporibus, & imprimis Iacobus Cuiacius.* Eccur ad ICtos Papinianos, Ulpianos, Trebonianos, Cuiacios remittit lectores ſuos, ut, quid ſit collegium, atque inde Eccleſia, diſcant? Cur eoſdem ad Scripturæ teſtimonia non mittit? Ab ICtis, quid ſit Eccleſia, perdiſcendum; non ab Apoſtolis, non a Patribus apoſtolicis, non a xv. ſæculorum Doctoribus? Ne multa. Eccleſia quam *Puſendorſius* delineat, illa ipſa eſt quæ nunc in populo iudaico ſpectatur. Antequam Eccleſia iudaica reproba eſſet, ſummum habebat Sacerdotem. Synedrium Hieroſolymis reſidens, univerſum populum iudaicum, per orbem diſperſum, moderabatur, regebat, & controverſiæ omnes ibidem definiebantur, ſumma unitate ſervata. Eccleſia *puſendorſiana*, ſeu *proteſtantica*, ſummo Sacerdote deſtituta, fractaque unitate, ſolis collegiis in qualibet provincia, regnove diſperſis coaleſcit, non ſecus ac nunc eſt Eccleſia iudaica. Nullum in his collegiis, ſive iudaicis, ſive proteſtanticis, *ſacrificium* Deo offertur. Nullum caput, nullus rector, qui hæc *collegia*, ſive *iudaica*, ſive *proteſtantica*, moderetur. Nulla iſtorum collegiorum unitas, ordo nullus; doctrinæ variæ, dogmata oppoſita. Immo plus unitatis inter ſynagogas iudaicas quam inter collegia proteſtantica elucet. Horrendiora reprobationis, cæcitatis, obſtinationis, & divini furoris flagella in ſynagogis proteſtanticis quam in iudaicis ſpectantur.

XI. Adeo ſplendida & perſpicua eſt Eccleſiæ forma, quam Catholici Romani a Chriſto delineatam, ab Apoſtolis perfectam acceperunt, ut vel ipſe *Puſendorſius*, licet denſiſſima tenebrarum caligine uſquequaque circumfuſus, ſcribere coactus

ctus fuerit §. 35. pag. 155. *Colorem aliquem habet quod iactatur, melius, & firmius unitatem fidei conſervari, controverſias componi, ac hæreſes compeſci, atque extingui poſſe, ſi terrarum Eccleſiæ & ab uno capite, ſive Princeps is ſit, ſive Senatus e pluribus conſtans, regantur* &c. At, ut babelicam proteſtanticæ Eccleſiæ confuſionem defendat, ſubdit illico §. 36. & pag. eadem: *Si res penitius inſpiciatur, in caſſum eiuſmodi uſum Monarchæ eccleſiaſtici oſtentari apparebit*. Qui ergo controverſias, quæ in dies adverſus dogmata excitantur, definient? Concilia? Conſiſtoria? *Nulla* (inquit pag. 175.) *illis poteſtas legiſlatoria competit, ut Eccleſiæ leges vel canones pro imperio iniungant*. Quid, ſi Concilia hæc quidquam in fidei controverſiis decidant? Reſpondet continuo ibidem: *Ad quam deciſionem ampleƈtendam Eccleſiæ non tenentur*. Quid itaque agendum? Singuli homines, ſpiritu lutherico acti, definitiones Conciliorum ad ſacras litteras exigere & expendere debent, num eiſdem conſonent? Quid, ſi cerebra hæc proteſtantica ſcindantur in partes, & alii congruere clament definitiones divinæ Scripturæ, alii pernegent? Reſpondet §. 46. pag. 211. *Præterea, ubi diſſidii aliquid & controverſiæ circa dogmata in Eccleſia exortum fuerit, in diverſa tendentibus Doctoribus iſtius, componendæ cura ad ſummos imperantes ſpectat*. Hoc idem repetit §. 48. pag. 219. *Denique cum per religionem chriſtianam iura ſummorum imperantium haud imminuantur, hiſce . . . poteſtas competit inquirendi quidnam canonum, ſeu ſtatutorum in Eccleſia receptum ſit; &, ſi quæ reperta fuerint vel ſupervacua, vel ipſorum iuribus adverſantia, abolendi*. Quid, ſi ſupremi hi imperantes eſſent Sociniani, Ruſſiani, Græci, Ariani, Neſtoriani, qui collegia proteſtantica, aut calvinica moderari deberent? Interius, reſpondet, quiſque ea profiteatur dogmata quæ ſibi arrident. Si tibi ſimilia paradoxa incredibilia videntur, audi Puſendorſium qui §. 49. *pag.* 227. hæc reponit. *Præterea ad tranquillitatem civitatis non abſolute neceſſarium eſt ut omnes cives circa ſingula religionis capita conſentiant, ſeu, quod eodem recidit, diſſenſus circa capita religionis per ſe non turbat quietem civitatis . . . Quare igitur Princeps cives bonos & quietos patiatur abundare ſuo ſenſu, qui, ſi errant, non ipſius, ſed ſuo dumtaxat periculo errant*. Huc recidunt Puſendorſii, & omnium Proteſtantium ſtudia. Quiſque Lutheranus iudex ſupremus eſt in controverſiis fidei. Nullum in chriſtiana Eccleſia imperium, nullus iudex, qui in alios ſententiam dicat. Iuvenes & ſenes, docti & indocti, mulieres & viri, omnes & ſinguli Sacerdotes, iudices & arbitri ſuæ religionis. Quod paſſim obtrudit, unitatem Eccleſiæ a fidei unitate repetendam eſſe, verum habet: unus quippe Deus, una fides, unum baptiſma. At mirum eſt hominem, nec meo iudicio indoctum, potuiſſe tam craſſis antilogiis iugulum ſuum torquere. Si quiſque lutherico ſpiritu inflatus ea credere debet quæ ſibi videntur ſacris litteris conſona; quo fieri modo poteſt ut fidei unitas ſervetur? At omnibus credendi ſunt arti-

culi fundamentales. Ita ne vero? Ecquis definivit, hos tantum eſſe articulos; ſecus alios credendos? Quis ſancivit hos, ſecus illos eſſe fundamentales? Ubinam Scripturæ ſanctæ talem perhibent diſtinctionem?

XII. En ſpecimen quod eccleſiaſtici regiminis perhibet *Pufendorfius*, & cum eodem *Pfaffius*, ceterique proteſtantes Doctores. Si confuſa regiminis pictura eſt contrariis delineata coloribus, ſi nulla nativa facies aſpicitur, ſi omnia perturbata, ridicularia, & veluti chimæra, pluribus confiſta monſtris, appareant; non mihi, ſed Pufendorfio, ſed Pfaffio, unde hæc tranſcripta ſunt, id tribuas velim. Siquidem adeo monſtroſa eſt regiminis forma, ut, quo exprimere eam nomine poſſint, vel ipſi ignorent. Nam alii *anonymam*, alii *monarchico-civilem*, illi *ariſtocraticam profano-ſacram*, iſti *mixtam*, alii *democraticam* appellant. Sed primi in hac denominationis exprimenda notione aliis palmam præripiunt, *anonymam*, ſeu *innominatam* eam vocantes.

§. III.

Poteſtatis in ſacra diſtincta notio. Turpiter errant Doctores Lutherici, qui iure & naturali, & divino convenire Principibus hanc poteſtatem effutiunt. Nonnulla præmittuntur adverſus Hugonem Grotium.

I. HUgonis Grotii opus poſthumum typis pluries prodiit, inſcriptum *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*. Cauſſa, quam Grotius verſat, adeo afflicta eſt, & vana, ut neque tanti viri acumine, & eruditione potuerit aliquo probabilitatis colore fucari. Illam, non ſecus ac alii Proteſtantes, agit Grotius, confuſe ſcilicet, & perturbate. Nullam iſtius poteſtatis notionem perhibet. Initio Patrum teſtimonia truncata exhibet, & in erroneum detorquet ſenſum. Imperatores, Reges, & Principes ſupremos, ſecundum Deum, in civili regimine, & religionis defenſores, atque protectores appellat. Et hinc ius in ſacra iiſdem *Grotius* tribuit. Argutatur adeo vane, & ridicularie, ut Grotius non dignoſcatur. Inquit enim cap. I. num. 3. *Effectus ſummi imperii ſunt obligatio, & coactio. Si autem plures eſſent ſummi imperantes ut plures, poſſent eſſe imperata contraria, aut contrarietatem implicantia*. Et poſt pauca infert: *ut eodem tempore idem homo ab hoc ire iuſſus ad forum, ab illo ad caſtra, ab illo rurſus ad templum, ſi his omnibus parere teneatur*. Quam ſint hæc vana, & nugacia, nemo non videt. Ipſe Grotius diſtinguit ius in ſacra a ſacrorum exercitio, quod Paſtoribus tribuit. Idem ergo homo, iuſſus a *conſiſtorio*, aut a *collegio* recedere a ſacra cœna, & a ſuprema

ma poteſtate ire ad forum, eodem tempore parere tenetur. Sed quid umbras conſectamur, & larvas? In medium producit *Grotius* ex S. Thoma Aquinate, ex PP. Franciſco Victoria, Caietano, Suarezio, aliiſque catholicis Doctoribus prolixa teſtimonia, ſed omnia ſiniſtro in ſenſu expoſita: nec opus ea expendere eſt; cum ex inſtituto Auctoris iſtius ſententiam labefactaverint alii. Unum in commendationem Grotii, quod alias indicavi, repetere iuvat, videlicet falſam iniuſtamque cauſſam illum verſare, non aliorum proteſtantium Germanorum more, conviciis nempe, calumniis, & impoſturis adverſus Papatum; ſed honeſta, licet infirma & falſa, diſputatione. Plurima tranſcribere ex eodem *Grotii* opere vana & inepta commenta poſſem: ſed quia eadem ſunt ac aliorum Proteſtantium; ideo non eſt quod refellere ſigillatim eadem debeam. Porro, antequam ultra provehor, notio poteſtatis in ſacra, quæ eſt diſputationis materies, præmittenda eſt.

II. P. Franciſcus Victoria inter primos catholicos Doctores provinciam hanc pro dignitate illuſtravit *relect. de poteſt. eccleſ.* Ipſius poteſtatis nomen enucleat, illudque a potentia diſtinguit. Hæc enim quid phyſicum prodit. Sic inquit *ſect.* 11. *num.* 1. Materiam, intellectum, voluntatem, potentias vocamus. Contra poteſtas, ut advertit S. Thomas in *IV. diſtinct.* XXIV. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. præter facultatem agendi, dignitatem, auctoritatem, & eminentiam præfert; & inter entia moralia numeratur. Poteſtas itaque in Eccleſia eſt vis, & facultas ad aliquid ſpirituale, & ſupernaturale præſtandum, a civili poteſtate diſtincta.

III. Quid autem nomine *ſacrorum* veniat, exponendum eſt, ut plena *poteſtatis in ſacra* habeatur intelligentia. Itaque quæ in chriſtiana Eccleſia ſacra ſunt, alia attinent ad ſacramenta, alia ad regimen conſcientiæ internum, alia ad diſciplinam exteriorem. Ex quo ſequitur, triplicem eſſe poteſtatem in Eccleſia, alteram ordinis, alteram iuriſdictionis interioris, tertiam iuriſdictionis exterioris. Prima ſacramenta conficienda & miniſtranda ſpectat, nempe, baptiſmum, & ſacros ordines conferre, euchariſtiam conficere, offerre, & miniſtrare, chriſma, & oleum infirmorum benedicere. Ad poteſtatem iuriſdictionis interioris pertinet abſolvere, & ligare conſcientias. Poteſtas iuriſdictionis exterioris controverſias fidei dirimit, Concilia convocat, & iiſdem præſidet, beneficia confert, Eccleſiæ miniſtros conſtituit, in delinquentes animadvertit pœnis ſpiritualibus. Quibus declaratis, ſic finiri in communi valet poteſtas in ſacra: *Eſt facultas moralis ad Dei cultum, & ſalutem fidelium ordinata.*

IV. Poteſtas ordinis lutherica communis omnibus eſt, etiam mulierculis, per *baptiſma* collata. A cœtu tamen, vel a Principe miniſtris quibuſdam deputatur, quæ mere profana eſt. Nam, ſi quas exercet cæremonias, hæ non reputantur a

 Chri-

Chriſto, vel ab Apoſtolis inſtitutæ, ſed ab homine; & veluti *Papiſmi* reliquiæ habentur. Hac itaque poteſtate omnes homines, & feminæ proteſtantes imbutæ ſunt, & Principes eorum eminentiori modo, iuxta eorum *effatum proteſtanticum*, a Strikio in ſua *diſſertatione de poteſtate* &c. toties recantatum, videlicet, *quilibet Princeps in ſuo territorio eſt Papa*. Plures numerat Principes, qui doctoris, paſtoris, & Principatus munere defuncti ſunt. Rex enim proteſtanticus ius papale, epiſcopale, & ſynodale poſſidet in ſuo territorio: quia inquit: *Cuius eſt regio, illius eſt religio*.

V. *Pufendorfius* ab hac poteſtate *maieſtatica* in ſacra eximit religionem internam, in baptiſmate ſuſceptam, & a Deo revelatam, ab omni prorſus imperio liberam. Quam libertatem in iure naturali fundatam ait. Subdit, poteſtatem ordinis, ſeu munus docendi, non eſſe cuivis Chriſtiano adſcriptum; ſed peculiaris vocationis fructum eſſe. Principes non fieri vi profeſſionis chriſtianæ Epiſcopos, & Doctores Eccleſiæ: non quod hæc duo, Principatus, & Epiſcopatus, pugnent; ſed quia ob negotiorum gravitatem utrumque munus obire idem homo commode nequit. Principi tamen, ut ſupremo collegii capiti, tribuit ius conſtituendi miniſtros Eccleſiæ, convocandi Synodos, plectendi Eccleſiaſticos delinquentes.

VI. Fundamenta quibus *Pufendorfius* ſuam ſuperſtruit luthericam machinam, hæc ſunt. Religio, ſive naturalis, ſive in ſtatu gratiæ, perſonalis eſt; neque exerceri per alium poteſt. Ergo naturæ iure libera, & cuiuſvis externæ directionis eſt expers; ſed proprio mentis dictamine, lumine revelationis præeunte, dirigi debet, omni exteriori coactione ſubmota. Neque enim homines, in rempublicam coeuntes, quantum ad religionem ſe imperantibus ſubmiſere. Cultum externum Deo exhibendum ſummi imperantes determinare valent, blande tamen; cum rituum diſciplina, tametſi varia, religionem non tollat.

VII. Hæc ſunt ratiocinia *Noodt*, & *Pufendorfii*, quos preclaros Metaphyſicos ſui appellant. Quis non videat has eſſe nugas & geras? Libera utique religio eſt: quia non coacte, ſed libere ſuſcipi, aut reiici poteſt. At poſito quod quis ſuſcipere illam velit, non proprio marte, ſed iuxta articulos Eccleſiæ ſuæ revelatos tenere debet: alioquin tot eſſent religiones, quot cerebra. In religione naturali ille Polytheiſmum, hic Deiſmum; in chriſtiana ille Arianiſmum, alii Neſtorianiſmum, alii Manichæiſmum, iſti Lutheraniſmum, illi Calviniſmum profiteri iure poſſent. Et reapſe apud Luthericos, & Calvinicos in eadem una familia plures ſunt religiones. Qui autem ſemel libere religionem ſuſcepit, Deo fide data, plecti iure debet, tamquam perfidiæ reus, ſi ab eadem deſciſcat, aut proprio arbitrio temerare, & corrumpere illam tentaverit. Libertas *proteſtantica* chriſtianam rempublicam, uno divino ſpiritu vivificatam, moderatamque, in babelicas turbas, & fanati-

naticas ſectas convertit : & ad *Indifferentiſſimum* , & *Atheiſmum* viam aperit ampliſſimam; quin neceſſaria conſecutione Atheiſmum inducit . Hoc eſt monſtroſum illud portentum quod Lutherus genuit, quod magnam ſeptentrionis partem devoravit. Qui ſibi temperare valet quin deridendos univerſo mundo propinet fanaticos iſtos, qui adverſus quindecim ſæculorum Doctores omnes , adverſus Eccleſiam univerſalem , tum Latinam, tum Græcam, novum Eccleſiæ regimen, *anonymum*, *anarchicum*, phantaſticum , ſocietati , tranquillitati , Deo, & hominibus pernicioſum, funeſtum, exitioſum invehere auſi ſunt ? Hæc omnia invictis rationum momentis, & lacrymabili experientia millies demonſtrarunt Catholicorum Theologi. Quas rationes prætereo, ne inſtituti limites tranſiliam.

VIII. Clamant Proteſtantes : Iure naturæ convenit ſupremis imperantibus poteſtas ſumma : ergo ius in ſacra. Quoniam naturæ auctor eam tribuit poteſtatem quæ tranquillitatem, non confuſionem pariat. Si duæ eſſent poteſtates , una alteram eliderer, & eſſet *ſtatus* in *ſtatu* , principatus in principatu . Nugæ hæ ſunt indignæ homine chriſtiano. Duæ ſummæ poteſtates civiles eiuſdem ordinis mutuo pugnant ; ſecus duæ diverſi ordinis , inferioris , & ſuperioris , ita temperatæ , & ordinatæ, ut una alteram firmet. Ex naturæ iure proficiſci nequit quod eſt ſupra naturam . Religio revelata divina eſt , omnem naturæ ordinem prætergrediens; immo , ut iamiam dicturus ſum , ipſo naturæ lumine infertur , ſeiunctas eſſe poteſtates iſtas. Monſtrum eſt rempublicam in republica , principatum in principatu conſtituere. Alterutrum ergo dicendum. Aut Chriſtus Dominus monſtrum diſſenſionis, & confuſionis invexit , dum in Romano Imperio ſuam conſtituit novam rempublicam , cuius ſupremus Magiſtratus fuit Collegium apoſtolicum ſub capite Petro, ſuprema poteſtate inſtructo: aut monſtroſa & chimærica eſt religio lutherica . Sed preſſius urgeamus hos Doctores luthericos . Naturæ iure ſummæ poteſtati competit ius in ſacra? Ergo naturæ iura violavit Chriſtus , dum , repugnante ſuprema poteſtate , ſuam condidit religionem . Ergo perduellionis & ſtultitiæ ſimul rei fuerunt Apoſtoli , dum Evangelium, Regibus , & Imperatoribus obſiſtentibus, prædicarunt. Quid ad hæc ? Ius naturæ nonne Ethnicis æque ac Chriſtianis commune? Iure naturali convenit ſummis imperantibus poteſtas in ſacra ? Ergo & ethnicis imperantibus. Quid? Aliud ne ethnicorum imperantium ; aliud chriſtianorum Principum naturæ ius? Quid reponunt præclari Metaphyſici iuris naturæ inſtauratores, ſed vere corruptores?

IX. Evidentius demonſtratur , iure naturali non convenire ſummis imperantibus ius in ſacra. Reſpublica civilis natura ſua diverſa eſt a chriſtiana; cum illa naturalis, hæc ſupernaturalis ſit. Ergo utriuſque reipublicæ regimen & tribunal infinite diſtant. Iure igitur naturæ inferri nequit ut qui uni præſidet , præſideat & alteri . Fines iſtius duplicis poteſtatis omnino diverſi ſunt : politicæ pax & tranquillitas civilis ;

chriſtianæ, ſpiritualis æterna ſalus. Ex finium diverſitate media quoque diverſa exiſtunt, & a diverſo principio proficiſcuntur. Poteſtas ſumma civilis ab auctore naturæ primum, & poſt a communitate modo ſupra explicato; poteſtas in Sacra a Deo auctore ſupernaturali manat.

X. Evidenter igitur conſtat Doctores luthericos toto oſtio aberrare, dum ex principiis iuris naturalis colligere utriuſque poteſtatis, civilis, & ſupernaturalis, neceſſariam coniunctionem irrito, & ridiculario conatu audent.

§. IV.

Turpiter errat Puſendorfius *cum ſuis, ex divino antiqui fœderis iure inferens ſupremis poteſtatibus convenire ius in ſacra.*

I. PLura aggerit *Puſendorfius* cum ceteris Doctoribus luthericis ex veteri teſtamento, quibus evincat ſummæ poteſtati tribuiſſe Deum ius in ſacra. Nam Reges iudaici arcam fœderis cuſtodiebant, transferri alio curabant. AEdificarunt, dedicaveruntque templum. Fregerunt ſerpentem æneum, & idola exterminarunt, e ſolio ſummum Pontificem detruſere, & plura alia præſtarunt, quæ indicant poteſtate in ſacra ornatos a Deo fuiſſe.

II. Hæc omnia inferunt, Reges iudaicos corruptelas religioni perniciofas, idolatriam fidei oppoſitam aboleviſſe, divinum cultum promoviſſe. Præfata omnia præſtitiſſe etiam Imperatores, omneſque Principes chriſtianos, zelo protegendæ religionis divinæ ſuccenſos, hiſtorica perhibent documenta. At propterea ne poteſtate offerendi ſacrificia, miniſtrandi ſacramenta, ordinandi Sacerdotes, dirimendi fidei controverſias inſtructi fuere?

III. Veritas hæc, cum a ſola Dei voluntate pendeat, ex iis quæ Regibus iudaicis in moſaica lege conceſſa fuere, eruenda eſt. Nullibi autem in veteri teſtamento habetur, Deum Regibus conceſſiſſe ius in ſacra. Hæc ſunt iura omnia quæ Regibus illis Deus tribuit, diſtincte deſcripta Deuter. cap. XVII. *Cum ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues quem Dominus Deus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, non reducet populum in AEgyptum, equitatus numero ſublevatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam eius, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet*

bet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii eius ſuper Iſrael. Cedo, Puſendorfi: poteſtas in ſacra nonne politica civili nobilior, eminentior, ſplendidior? Deus ſingillatim regia recenſet munia; & hoc eminentiſſimum, & potiſſimum ius in ſacra ſilet? Hæc ſunt capita legis regiæ. Eligendus a Deo Rex eſt, ex populo iudaico, & non ex gentibus. Equorum multiplicatio, reductio populi in AEgyptum, uxorum multitudo, divitiarum multiplicatio eidem prohibentur. Ut a Sacerdotibus, legum ſacrarum iudicibus, accipiat Deuteronomium, & modeſte tractet fratres ſuos, iubetur. Hæc ſunt iura Regis a Deo inſtituti. De Rege enim tyrannico, cuius mentio fit *I. Reg.* VIII. nullus nobis ſermo eſt.

IV. Quid quod ipſimet Reges antiqui fœderis baſilice ſaſſi ſunt, nullo ſe in ſacra iure potiri. Audiant Doctores lutherici Regem Ioſaphat ſic ſantem II. Paralipom. XIX. *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit. Porro Zabadias Filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent.* Cavillari hic nequeunt Proteſtantes *Amariam* Sacerdotem præſediſſe ex regia ordinatione. Quoniam Rex declarat ſe deſtinare Zabadiam Ducem, ut ea præſtet quæ ad Regem attinent. *Amarias* vero ea exequatur quæ ſunt pontificiæ auctoritatis. Hoc ſolum teſtimonium ora omnium Lutheranorum, tametſi impudentiſſima, occludit. Ut tamen eorum auſus adverſus omnes tot ſæculorum ſapientes fortius reprimantur, alterum textum tranſcribere non minus luculentum iuvat, ex eodem Deuteron. cap. XVII. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram; & iudicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.*

V. Sermo hic eſt de divinæ legis controverſiis. Has deferendas, non ad Regem, ſed ad ſummum Sacerdotem, & ab eo dirimendas Deus iubet: & pœnam mortis infligit illi qui ſummi Sacerdotis iudicio non acquieverit. Ultimo ſupplicio iugulandos omnes Doctores luthericos Deus hic iubet, quod ſummi Sacerdotis iu-

Digitized by Google

dicio acquieſcere nolint: qui libertatem conſcientiæ, quæ eſt *Troia proteſtantica*, nulli iudici ſubiectam iactant: qui non ſummum Sacerdotem in divinæ legis controverſiis, ſed proprium cerebellum, fanatico ſpiritu agitatum, unice conſulendum blaterant. Innumera alia teſtimonia tranſcribere ex veteri lege poſſem, ut illud Aggæi II. *Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga Sacerdotes legem*: & illud Malachiæ II. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*: non ex ore Regis: & illud Paralipom. II. cap. XXVI. *Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domini, ſed Sacerdotum.... qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium*. Sed illa omnia prætereo.] Provoco Doctores proteſtanticos, ut vel unicum textum producant in quo ius in ſacra adſcribatur Regibus Iudæis.

VI. Opponunt illi multa Regum facta, ex quibus ſua lutherica dialectica colligere ius contendunt; ac ſi ex factis Regum proteſtantium Angliæ, & Germaniæ colligere ipſi legitime poſſent ius in ſacra religionis chriſtianæ. Obiiciunt enim, Regem Ioſaphat conſtituiſſe Sacerdotes, & Levitas in Hieruſalem, ut legitur *II. Paralip. cap.* XIX. Ergo ius habebat in ſacra. Reſp. Integrum tranſcribere textum nolo, cum illum ſupra recitaverim, in quo error luthericus expreſſe improbatur. Sacerdotes in veteri lege deſignabantur a Deo, ex ſola tribu Levi conſecrabantur ab Aarone, tamquam ſummo Sacerdote, eiuſque ſucceſſoribus. Ex his Sacerdotibus aliqui deligebantur a Rege ad munia ſacerdotalia obeunda; quemadmodum & nunc id paſſim fieri ab ipſis Catholicis ſolet. Deſignat Rex hos Epiſcopos, illos Sacerdotes, ut ſacra munia obeant in ſuo regno. Propterea ne ius habet in ſacra, & Epiſcopos, vel Sacerdotes inſtituit?

VII. Alia Regis Davidis facta obtrudunt. David, inquiunt, abſtulit plures corruptelas eccleſiaſticas, ut ex *II. Reg. cap.* V. patet. Eiecit enim e templo claudos, & cæcos. Et alii Reges reprehenduntur, quod non ſuſtulerint excelſa. Ergo habebant ius in ſacra. Reſp. Vetitum Iudæis erat ante templi ædificationem ſacrificare in excelſis, ſive in quocumque loco ubi tabernaculum non eſſet. Si enim tabernaculum in excelſis adfuiſſet, licite ſacrificia potuiſſent offerri, ut conſtat ex III. Reg. III. *Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi: erat enim excelſum maximum*. Poſt templi ædificium non alibi quam in templo licita ſacrificia erant iuxta legem datam, niſi ex ſpeciali Dei iuſſu; uti fecit Samuel in Ramatha, & in Galgalis. Sacrificia ergo in excelſis vetita Iudæis erant. Reges iure reprehenduntur, quod ſacrilegum abuſum non ſuſtulerint. Et nunc Principes reprehenſione digni eſſent, ſi in ſuis ſtatibus extra loca conſecrata offerri ſacrificium permitterent. Diſtinguendus eſt abuſus iuris ab abuſu facti. Diſputatur, num ſit offerendum ſacrificium determinatis, ſacriſque veſtibus. Alii adfirmant, negant alii. Abuſus iſte eſt circa ius. Quis iudex iſtius abuſus, ſeu controverſiæ? Rex? Oſtendant adverſarii vel unicum in Scriptura veſtigium. Summus Sacerdos eſt legiti-

mus

mus iudex; ſicuti reipſa lex ipſa divina vetabat in excelſis ſacrificare. Contra definitum luculentumque ius graſſantur corruptelæ, quas facti voco, ut cetera peccata contra legem. Porro, quod has facti corruptelas non ſuſtulerint Reges, reprehenduntur. Quia quilibet paterfamilias in ſua domo, quilibet rector in ſua civitate, quilibet Princeps in ſuo ſtatu tenetur pro viribus abolere corruptelas adverſus religionem. An non eſſent reprehenſibiles Principes catholici, ſi ſacrarum imaginum conculcationem tolerarent; aut ſi in contemptores non animadverterent? Propterea ne ius in ſacra illos habere infertur? Hac ratione David Rex eiecit cæcos, & claudos e templo, quos in eiuſdem contemptionem poſuerant Iebuſæi.

VIII. Opponunt alia Regis Salomonis facta, videlicet quod dedicaverit templum, quod depoſuerit ab officio ſummum Sacerdotem Abiathar, illique ſubſtituerit Sadoc, ut habetur *III. Reg.* 11. Reſp. In dedicatione templi nihil egit Salomon quod ius in ſacra redoleat. Nam obtulit illud templum Domino, ſeu divino cultui deputavit; quemadmodum viri, & mulieres Iſraelitæ obtulerunt hyacinthum, coccum, byſſum, purpuram, metalla, ligna, & plura alia. Tria functionum genera peracta ſunt in hac dedicatione a tribus diverſis perſonarum ordinibus. Populus gratias egit, & lætitiæ ſigna exhibuit. Salomon oravit, & gratias peregit. Sacerdotes tulerunt arcam, tabernaculum, & ſacrificia immolarunt. Legatur integra dedicationis narratio, in qua nihil ſane occurrit quod vel remote indicet quidquam poteſtatis in ſacra Salomonem egiſſe. Depoſuit Salomon Abiatharem. Verum habet. Ergo legitima poteſtate uſus id peregit? Hoc Scriptura divina non aſſerit. Etiam Imperatores chriſtiani in exilia egerunt Pontifices. Ideone legitime? Limites poteſtatis regiæ divina lex nobis declarat. Facta legi contraria narrantur; ſed non probantur a Scriptura. Plures & docti Theologi catholici reſpondent, ſingulari Dei afflatu Salomonem e ſolio detruſiſſe Abiatharem: & non levia ex ipſa Scriptura adducunt documenta, quibus id evincant.

IX. Plura alia facta, quæ obtrudi ab adverſariis ſolent, miſſa facio, utpote nullius momenti. Ex quibuſdam enim factis ambiguis, & in erroneum ſenſum detortis, velle ius inferre, reclamante lege, ſummæ eſt temeritatis. Paucis rem concludo. Ius divinum univerſum veteris teſtamenti partitur in tria præceptorum genera, in moralia, cæremonialia, & iudicialia. Hæc duo ultima penitus Chriſtus ſuſtulit. In quo ergo præceptorum genere adſcribitur poteſtatibus ſummis ius in ſacra? In primo? Præcepta moralia omnia Decalogo concluduntur, ſuntque naturalis iuris. In univerſo autem Decalogo nullibi Principibus ius in ſacra tribuitur, nec iſtius mentio fit. Fac in aliis duobus præceptorum generibus tributum fuiſſe ſummis poteſtatibus ius in ſacra. Quid inde? Ius divinum contentum in his præceptis eſt, ut ſit unicum templum, ut ſacrificia ſint cruenta, ut Sacerdotes ex ſola tribu Levi aſſumantur, ut Iudices, & Reges a Deo ſint eligendi. Hæc omnia,

& ce-

& cetera alia hoc iure contenta abrogata a Chriſto Domino ſunt. Ergo, tametſi in veteri teſtamento Principes iudaici ius in ſacra habuiſſent; nullo modo heinc colligi poteſt, hoc eodem iure potiri Principes chriſtianos in ſacra. Alioquin concedere Doctores proteſtantici deberent, circumcidendas quoque naturali & divino iure ſupremas poteſtates luthericas eſſe; eaſque debere ſacrificia cruenta offerre, mactare victimas, & unicum habere templum.

§. V.

Craſſius errat Pufendorfius *cum ceteris Luthericis, dum vi novi teſtamenti ſummas poteſtates iure potiri in ſacra contendit.*

I. IStius controverſiæ definitio tota pendet a voluntate divina. Deum potuiſſe utramque coniungere poteſtatem, nemo inficiabitur. In eo dificultatis vertitur cardo, præſtiterit ne id Deus, an ſecus. Facti autem iſtius veritatem non aliunde haurire poſſumus, niſi vel ex ipſa nova lege, quam Chriſtus condidit, vel ex teſtimoniis Apoſtolorum, aut ex Eccleſiæ praxi. Ut a primo capite initium ducam, Chriſtus Dominus Chriſtianorum ſupremum regimen Petro commiſit Ioann. XXII. *Paſce oves meas*: & iterum Matth. XVIII. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum:* & tandem Lucæ XXII. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* In his teſtimoniis exploratum eſt Eccleſiam ſuam regendam, imbuendamque commendaſſe Petro, eiuſque ſucceſſoribus. Quid enim clavium nomine Chriſtus intelligat, Scriptura ipſa teſtatur, ſupremam ſcilicet poteſtatem. Nam, cum Deus a Sobna in Eliacim poteſtatem ſummam tranſtulit, clavium metaphora uſus eſt, ut declarat Propheta Iſaias cap. XXII. *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum: Quid tu hic? Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te, & vocabo ſervum meum Eliacim: & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius: & dabo clavem domus David ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudet: & claudet, & non erit qui aperiat.*

II. Quid quod hoc clavium ſymbolo communis hominum conſenſus utitur, cum ſupremam poteſtatem alicui tribuere velit? Si cives ſuam civitatem ſubmittere alicui Principi deſtinant, claves eidem offerunt. Apud ſupremum civitatis Rectorem claves cuſtodiuntur. Quid plura? inquit S. Gregorius lib. IV. epiſ. XXXII. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet quod voce dominica omnium Apoſtolorum Principi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Tibi dabo claves regni cælo-*

cælorum. Ediſſerant nobis Doctores lutherici, cur Chriſtus has claves non dederit Pilato, Herodi, Tiberio. Nam quemadmodum ex piſcatoribus creavit Apoſtolos, eadem facilitate Tiberium, Pilatum, Herodemque convertere poterat, iiſdemque claves tribuere. Cur ex ſuis diſcipulis non creavit aliquem Regem, cui ſupremi regiminis claves conſignaret? Obmuteſcant neceſſum eſt, vel nugas, tancidulaſque gerras reponant.

III. Apoſtolos ipſos audiamus. S. Lucas *Act.* xx. narrat verba Pauli inquientis: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. A Spiritu ſancto conſtituti ſunt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, præſides, & rectores Eccleſiarum. A quo aurem proteſtanticæ ſupremæ poteſtates acceperunt Eccleſiarum regimen? A Spiritu ſancto? Non: quia hic Apoſtolos inſtituit ſupremos Eccleſiarum rectores, iudices, & paſtores. A quo ergo? Repetit iterum S. Paulus Epheſ. II. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Chriſtiani ædificii fundamenta Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ. Ubi ſunt ſupremæ ſæculi poteſtates in hoc ædificio? Illarum non meminit Apoſtolus, ſed Lutherus dumtaxat. Tandem idem S. Paulus ad Epheſ. IV. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. En genuinam chriſtianæ reipublicæ imaginem, & eiuſdem miniſterii diſtinctam formam. Corpus myſticum Chriſtifideles ſunt, qui, veluti milites in huius mundi caſtris conſtituti, pugnare adverſus poteſtates tenebrarum debent, ut victores ingredi celeſtem Hieruſalem poſſint. Quinam duces, quinam rectores, quinam iſtius divinæ militiæ Imperator ſupremus? Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores ſub Imperatore Petro. Nulla hic Regum, nulla civilium Principum mentio. Doctores lutherici paſſim crepant Dei verbum. Ad hoc etiam tum, cum non deberent, provocant. Perhibeant ergo nobis aliquem divini verbi textum, in quo Eccleſiæ ſuæ regimen ſupremis iſtius terreni mundi poteſtatibus, ius in ſacra, ſeu in Eccleſiam ſuam moderandam tribuerit. Hactenus nec verbum quod hoc indicet, exhibere in publicum valuerunt.

IV. Praxim ipſam Eccleſiæ conſulamus. Quis poſt Chriſti Domini abitum in cælos, & ad Patrem ſuum regreſſum, chriſtianam Eccleſiam moderatus eſt? Quis clavum tenuit? Quis primam celebravit Synodum Hieroſolymitanam? Quis illam indixit? Apoſtoli, Petro præſide. Quis controverſiam definivit? Nonne Apoſtoli? Quis tranſgreſſores fidei Deo datæ punivit? Petrus, qui Ananiam, & Saphiram ob violatam oblationem Deo factam ultimo ſupplicio addixit. Quis leges, nempe abſtinentiam a ſanguine, ab immolatis ſimulacrorum, a ſuffocato, pro optima Eccleſiæ diſciplina rogavit? Apoſtoli. Altum ubique de Regibus, de Principibus ſilentium. Nulli

tum,

Digitized by Google

tum, inquies, Reges chriſtiani erant. Egregie. Sed neque Apoſtoli, neque Evangeliſtæ, neque caput Apoſtolorum, antequam a Chriſto eligerentur, erant. Sed quia optime ordinatam rempublicam inſtituere voluit Chriſtus, idcirco inſtituit Rectores, & Principes Apoſtolos, qui illam regerent. Quid quod vel ipſe Lutherus veſter, infami ſeceſſione a vera Chriſti Eccleſia facta, ſynagogam antichriſtianam & ſatanicam inſtituturus, Reges ſupremos Eccleſiæ ſuæ rectores declaravit? Alterutrum ergo. Aut Lutherus erravit; aut blaſphemandum eſt, erraſſe Chriſtum Dominum. Doctores iſti lutherici Chriſtum Dominum infamant, & quibuslibet rerumpublicarum inſtitutoribus, vel ipſi ethnico, latronumque capiti Romulo poſtponunt. Nam iſti omnes formam regendorum principatuum præſcripſerunt. Acephalam vero ſuam rempublicam Chriſtum reliquiſse, ſupremoque deſtitutam Imperatore fateantur oportet. Si Chriſtus Regibus committere Eccleſiæ ſuæ regimen voluiſſet, cur id non præſtitit? cur iiſdem regni ſui claves non conſignavit? Ediſſerant hoc nobis. Cur Reges non informavit, qua via, rationeque promulgare Evangelium, conficere ſacramenta, ordinare Presbyteros, & cetera exercere eccleſiaſtica munia deberent?

V. Inſurgit Samuel Puſendorſius, & in ſuo libello *de habitu religionis chriſtianæ ad ſtatum civilem*, ſic nugari infit. Videndum, inquit, inſtituerit ne Chriſtus ſuam rempublicam, tamquam *ſtatum*, a civili ſeiunctum, & *independentem*. Adfirmant Catholici; contra proteſtantici Theologi contendunt, Eccleſiam chriſtianam eſſe *collegium* in *ſtatu civili* libertate naturali conflatum, & quoad iuriſdictionem exteriorem civili Principum regimini ſubiectum: interni enim conſcientiæ fori quiſque iudex ſupremus eſt. Ut hæc vana paradoxa ſuadeat *Puſendorſius*, a rei politicæ principiis ſua educit ratiocinia. Sic itaque argutatur. Chriſtus nec imperium, nec rempublicam, nec *ſtatum* aliquem inſtituit. Heinc nec milites delegit, nec modum pugnandi, atque defendendi ab hoſtibus ſtatum ſuum præſcripſit. Populum ſuum non vi, & imperio, ſed doctrina, & amore regere docuit. Non territorium aliquod delegit, non tributa a populo ſolvenda impoſuit. Quæ omnia a *ſtatus*, ſeu *principatus* inſtitutione abſona ſunt, & aliena. Idcirco Chriſtus Rex *veritatis* tantum dictus eſt: & Apoſtoli, non ut *Principes*, ſed ut veritatis præcones; ad docendas gentes, non ad fundandum principatum miſſi ſunt *ſine pera*, & *calceis*. Nec *vola*, inquit *ſ*. 28. *fol.* 107. in univerſa Scriptura imperii reperitur. Ambitionem, & avaritiam Chriſtus iiſdem prohibuit, ob quam corruptam Romanam Eccleſiam ait, quod pecuniæ ſtudium ſit omnium ſuperſtitionum, & malorum radix. Quæ evincunt, Chriſtum non inſtituiſſe regnum politicum, & civile, cuius proximus finis ſit terrena proſperitas; neque Apoſtolos ad eiuſmodi regnum amplificandum deſtinatos fuiſſe. Sed Catholici docent, regnum ſpirituale Chriſtum condidiſſe. Et huic moderando regno Apoſtolos, non Reges, Chriſtus præfecit.

VI.

VI. Rixatur ſecundo. Poteſtas, Apoſtolis tradita, fuit poteſtas docendi, cuiuſque imperii expers. *Paſcere oves*, inquit *§.* 20. nihil imperii prodit; ſed tantum præbenda pabula ſuggerit. Quin vetat Chriſtus vi compellere aliquem in ſuam Eccleſiam; nec iubet punire refragantes: ſed monet excutiendum pulverem e pedibus, alioque abeundum. Poteſtas clavium nihil iuriſdictionis prodit, ſubdit *§.*23. ſed ſolam remiſſionem, aut retentionem peccatorum, non *per modum iuriſdictionis, velut pro tribunali excuſſis peccatis; ſed ſola conſpecta fide annuntiavit Chriſtus: Remiſſa ſunt tibi peccata*. Neque quidquam concludunt alia teſtimonia, pergit Doctor Luthericus, *Super hanc Petram* &c. & alterum, *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*.

VII. Hæc ſunt luculenta interpretamenta quibus Doctores Lutherici incredibili impudentia divinis teſtimoniis abutuntur. Nihil in ſacra Scriptura tam exploratum, perſpicuumque reperitur quod iſtos pro ingenio eludere non pudeat. Nihil iuriſdictionis præferunt eiuſmodi leges? *Paſce oves* &c. *Super hanc petram* &c. *Tibi dabo claves* &c. Quo divinæ Scripturæ teſtimonio munit præclarus proteſtanticæ Theologiæ profeſſor hæc ſua commenta, quæ ſibilis, non argumentationibus, reiicienda ſunt? Heinc colligat lector prudens, quæ ſit iſtorum cæcitas, quæ fatuitas, dum tam comperta teſtimonia cavillari verborum circuitione non erubeſcunt. Clavium poteſtas eſt *mera declaratio* remiſſionis peccatorum? At declaratio ad revelationem, ad propheticum lumen pertinet. Clavium autem ſymbolum iuxta communem omnium ſenſum poteſtatem prodit.

VIII. Tertio loco ſic cavillatur Puſendorſius *§.* 29. Regnum Chriſti non aliud eſt quam fidelium cœtus ſub capite Chriſto in cælis regnante, quorum officia ſunt audire Dei verbum, preces fundere, caritatis opera exercere, arbitros eſſe ad componendas fidei controverſias, corrigere delinquentes, admonendo, hortando, ſuſpendendo a ſacris, excluſa tamen cuiuſque imperii iuriſdictione. Urget *§.* 39. Eccleſia efficere *ſtatum* nequit, neque ratione *ſtructuræ* interioris, quia Chriſtiani, nulla cum aliis conventione facta, ſinguli fidem profitentur; nec ratione ſubiectionis unius Eccleſiæ ad aliam, Apoſtolo Paulo teſte, qui ſcribit II. Cor. XII. *Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ ceteris Eccleſiis?* Quoniam ſingularum eccleſiarum Doctores eliguntur, quin unus ab altero pendeat. Iudicium ſupremum, quod effingunt Papiſtæ, pergit *Puſendorſius*, commentitium eſt. Nam vel eſt fallibile, vel infallibile. Si fallibile, inutile eſt. Si infallibile, & univerſale; *hæc prærogativa tam manifeſte probanda foret, ut contra abſurditatem in dubium revocari non poſſet: atqui neque vola, neque veſtigium rei huius in ſacris litteris* habetur. Præterea iudicio hoc infallibili opus minime eſt: nam fidei controverſiæ dirimi valent ſola interpretatione Scripturarum, excluſo omni imperio, & *irrefragabili auctoritate*. Et reipſa Petrus Hieroſolymis, non ut iudex, aut *pro imperio*, ſed modo declarativo litem finivit.

IX.

IX. Nugas ineptiſſimas, quas paucis ego perſtrinxi, fuſo calamo effundit *Puſendorſius*, eaſque immenſa verborum ſtribiligine involvit. Eaſdem reſcripſi, non quod confutatione egeant; ſed ut propria doctrina Doctores Luthericos deridendos, contemnendoſque propinarem. Nugaces homines ubique ad Dei verbum appellant: &, dum luculentiſſima divina teſtimonia in medium adducunt catholici viri, eaſdem deludunt, depravant, in hæreticos ſenſus detorquent. Commenta omnia, quæ ſuperba vaniloquentia Puſendorſius exponit, huc recidunt: quod Eccleſia inviſibilis ſit, nulla externa iurisdictione, ſed ſola fide interna coalita, & moderata: non alicui viſibili capiti, ſed ſoli Chriſto ſubiecta. Quas hæreſes iamdudum damnavit Eccleſia. Sed eaſdem recoquere, & novis permiſcere nugis, in deliciis habuit politicus Ictus. Eccleſia Chriſti viſibilis eſt, & candelabrum ſupra montem poſitum, lucens univerſo orbi: viſibiles fideles, & viſibilem profeſſionem fidei edunt: viſibilia ſunt ſacramenta, & cetera religionis chriſtianæ munia. Ergo viſibili regimine eget. Ediſſerant Lutherici Doctores, cur Verbum divinum carnem induit humanam, cur homo factus; niſi inter alia, ut viſibili, & modo hominibus congruo ſuam regeret Eccleſiam. Inſtitutio ergo Eccleſiæ viſibilis fuit. Viſibile caput Chriſtus inſtituit, ut ſenſibili, & exteriori regimine eamdem dirigeret. Hoc externum regimen ſemper perduravit, & uſque ad finem perdurabit. Lutherus poſt alios hæreticos, ut liberius ſuos evomeret, propagaretque errores, inviſibilem, chimæricam, atque phantaſticam commentus Eccleſiam eſt. Obvia ſunt, & luculentiſſima documenta quibus catholici Theologi Proteſtantium babellicam, & arbitrariam ſynagogam explodunt; demonſtrantque, veram Eccleſiam viſibilem eſſe, unicam, & immaculatam Chriſti ſponſam, a viſibili capite directam.

X. Inſiſtunt, Eccleſiam chriſtianam non poſſe conſtituere *ſtatum independentem*; alioquin limitaret iura ſummis imperantibus propria. Siquidem inquit Puſendorſius Lib. cit. §. 40. *Non poteſt non imminui, aut limitari poteſtas ſummorum imperantium. Nec minus alterationis quid accipere officium civium, ſi Eccleſia ſtatus aliquis eſſe deberet, proprio imperio inſtructus.* Idque confirmare ſtudet divinis teſtimoniis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi &c. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Reges gentium dominantur. Vos autem non ſic.*

XI. Putida calumnia, & merum figmentum eſt, *ſtatum* Eccleſiæ catholicæ limitare, aut imminuere iura ſummarum poteſtatum. Nam ſummis poteſtatibus ſola iura abſoluta in temporale, & civile regimen competunt. Hæc non modo non imminuit ſtatus Eccleſiæ chriſtianæ, ſed ſarta tecta cuſtodiri a fidelibus imperat, adductis divinæ Scripturæ teſtimoniis, quæ perperam & iniuria, ne dicam dementia ſumma, contra nos opponuntur. Nam ſolvenda tributa Cæſari, obediendum poteſtatibus ſummis in iis quæ regimen civile principatus ſpectant; reverentiam,

tiam, obſequium, honorem exhibendum eiſdem, omnes Catholici inculcant, ſuadentque. In iis vero quæ ad ſacrum, & ſpirituale imperium attinent, ſupremo Eccleſiæ viſibili capiti, & Apoſtolorum, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam ſuam, ſucceſſoribus Epiſcopis, & Paſtoribus parendum docent. Neque hi duo ſtatus pugnant, niſi dicere Politici Lutherani velint, quod religio chriſtiana, & ſtatus civilis ſimul conſiſtere nequeant. Supponere Lutherici Doctores audent ſtatum ſpiritualem divinumque ſtatui civili; ſuoſque proteſtanticos Principes uſurpatores ſacrorum iurium efficiunt. Statum vero civilem ſubiicere ſacro divinoque, loco monſtri habent. Næ iſti præclariſſimi *Iuriſpubliciſtæ*! Duo ſunt ordines diverſi generis, civilis, & ſacer: ille huic, non hic illi ſubiectus ſit neceſſum eſt. Quælibet poteſtas ſuprema eſt in ſuo ordine. In regimine civili obedire omnes Chriſtiani Principibus debent. Imperium ſpirituale venerari omnes etiam, immo potiſſimum Principes aſtringuntur. Reſpondeant Lutherani. Dum Chriſtus Dominus, eiuſque Apoſtoli præceperunt, ſolvenda Cæſari, & Principibus tributa, & vectigalia, obediendumque ſupremis poteſtatibus; dubio procul comprehenderunt etiam Imperatores, & Principes qui tum regnabant, nempe Tiberium, Pilatum, Herodem, ceteroſque. Si commenta proteſtantica conſiſterent, a Tiberio, ab Herode, a Pilato ſuſcipere Apoſtoli debuiſſent directionem in regenda Eccleſia, eoſdemque in fidei & morum controverſiis, & litibus dirimendis conſulere. Hæc monſtroſa abſurda deglutire Proteſtantes coguntur. Utique regnum Chriſti non eſt de hoc mundo; ſed ſpirituale, & divinum: idcirco non a mundi Principibus, ſed a Chriſti Vicariis dirigi illud debet. Neque Rectores huius divini regni dominari in fideles, quemadmodum Principes in ſuos ſubditos, debent; ſed iuxta normam quam Chriſtus præſcripſit, & Apoſtoli executi ſunt.

XII. Nonnulla Patrum documenta allegat Puſendorſius, quæ, cum obvia ſint in omnibus Theologis polemicis, prætereo. Huc omnia pertinent. Patres, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique Imperatorum, ac Principum protectionem, ſubſidiumque ad reprimendam hæreticorum contumaciam implorant. Fatemur, omnes ſupremos imperantes protectores eſſe, defenſoreſque chriſtianæ religionis. Sed ut appareat quanta ſit *Puſendorſii*, ceterorumque luthericæ ſectæ impudentia, unicum Auguſtini textum quem obtrudit Puſendorſius ex *epiſt. I.* ad Bonifacium virum militarem Cæſaris, expendam. Hæc ex illa epiſtola opponit ille. *Quod enim dicunt, quod contra ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt, non petiiſſe a Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, quod ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret? Quando adhuc illud propheticum complebatur:* Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, &

adver

adverſus Chriſtum eius. *Nondum autem agebatur, quod paullo poſt in eodem Pſalmo dicitur :* Et nunc Reges intelligite erudimini qui iudicatis terram: ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Quomodo ergo Reges ſerviunt Domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate probibendo, atque plectendo?*

XIII. Quis non miratur, *Puſendorfium*, non adeo retuſi ingenii virum, iſtius Epiſtolæ meminiſſe, in qua Auguſtinus luthericæ impietatis dogmata convellit? Iuſtam hæreticorum perſecutionem, atque punitionem evincit S. Auguſtinus in hac epiſtola. Demonſtrat legum imperialium ſeveritate iuſta hæreticos ad Eccleſiæ ſocietatem reduci poſſe: Eccleſiæ unitatem ab unico pendere capite: & alia multa, quæ ab imis ſuffodiunt Troiæ proteſtanticæ fundamenta. Auguſtinus itaque Imperatorum auxilium implorat ad infringendam Donatiſtarum contra Eccleſiam catholicam immanem feritatem. Audite ergo, Doctores Lutherici, quæ contra vos, negantes iuſtam eſſe hæreticorum perſecutionem, ut cuticulæ veſtræ conſuleretis, intorquet S. Auguſtinus. *Si Eccleſia* (inquit Doctor ſanctus) *vera ipſa eſt quæ perſecutionem patitur, non quæ facit; quærant ab Apoſtolo, quam Eccleſiam ſignificabat Sara, quando perſecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem noſtram cæleſtem Hieruſalem, ideſt veram Dei Eccleſiam, in illa muliere dicit fuiſſe figuratam, quæ affligebat ancillam . . . Deinde quæro: ſi boni & ſancti nemini faciunt perſecutionem, ſed tantummodo patiuntur; cuius putant eſſe in Pſalmo vocem, ubi legitur :* Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant? *Si ergo verum dicere, vel agnoſcere volumus, eſt perſecutio iniuſta, quam faciunt impii Eccleſiæ Chriſti; & eſt iuſta perſecutio, quam faciunt impiis Eccleſiæ Chriſti. Itaque beata eſt quæ perſecutionem patitur propter iuſtitiam; illi vero miſeri qui perſecutionem patiuntur propter iniuſtitiam. Proinde iſta perſequitur diligendo; illi ſæviendo: iſta, ut corrigat; illi, ut evertant: iſta, ut revocet ab errore; illi, ut præcipitent in errorem. Denique iſta perſequitur inimicos, & comprehendit, donec deficiant in vanitate, ut in veritate proficiant; illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis conſulimus ad æternam ſalutem, etiam temporalem nobis conantur auferre.*

XIV. Meditamini, oculoſque intendite, Doctores Lutherici, in hanc nativam ſectæ veſtræ imaginem. Vos, quemadmodum ſcilicet Donatiſtæ, prius in veram Chriſti Eccleſiam ſummas armaſtis poteſtates: humanum ſanguinem effudiſtis cædibus, latrociniis, ſacrilegiis, ſtupris, deſolationibus magnam Germaniæ partem impleviſtis, ut dira hæreſum monſtra quaquaverſum graſſarentur. Poſt, ab ipſis Donatiſtis emendicata verſutia, in Catholicis reprehenditis pro aſſerenda veritate iuſtam punitionem, ſubdit *ibidem* Auguſtinus: *Quod in nobis modo reprehendunt, ut decipiant imperitos, dicentes, non debere Chriſtianos contra ini-*

inimicos Chriſti aliquid a chriſtianis Imperatoribus poſtulare ; ipſi priores fecerunt .

XV. Ex altero latere in hac ipſa epiſtola, quam obtruditis, vos adoritur Auguſtinus. Veſtram defectionem ab unitate Eccleſiæ catholicæ, & infamem perduellionem vobis improperat his verbis. *Quomodo vos nefario ſcelere ab unitate catholica, tamquam ab area dominica, ſeparatis, quæ uſque ad tempus ventilationis neceſſe eſt ut habeat & frumentum in horreo recondendum, & paleam ignibus conſumendam ?*

XVI. Porro, ut propinquius accedam ad retegendam *Puſendorfii* fraudem, & malam fidem in oppoſitione recitati Auguſtiniani teſtimonii, mea intereſt tranſcribere quæ proxime præfatum textum antecedunt. Sic ergo præloquitur contra *Donato-Lutheranos* Auguſtinus in illa ipſa epiſtola quam pro ſe laudat Politicus Puſendorfius. *Tum vero illi ſic exarſerunt, & tantis ſunt odiorum ſtimulis incitati, ut contra eorum inſidias, atque violentias, & apertiſſima latrocinia vix ullæ noſtræ communionis Eccleſiæ poſſent eſſe ſecuræ, vix ulla via tuta qua iter agerent quicumque adverſus eorum rabiem pacem catholicam prædicarent, eorumque dementiam perſpicua veritate convincerent. Uſque adeo prorſus non ſolum laicis, vel quibuslibet Clericis, ſed ipſis quoque Epiſcopis catholicis quodammodo proponebatur dura conditio. Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda. Sed, ſi veritas taceretur, non ſolum nemo fuerat eius ſilentio liberandus, ſed multi etiam illorum ſeductione perdendi. Si autem veritatis prædicatione furor eorum ad ſæviendum provocaretur; aliquibus liberatis, noſtriſque firmatis, rurſus a ſequenda veritate formido impediret infirmos. Cum igitur iis anguſtiis affligeretur Eccleſia, quiſquis exiſtimat, omnia potius ſuſtinenda quam Dei auxilium, ut per chriſtianos Imperatores ferretur, fuiſſe poſcendum, parum attendit non bonam de hac negligentia reddi poſſe rationem. Quod enim dicunt, quod contra ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt, non petiiſſe a Regibus terræ Apoſtolos* &c.

XVII. En fidem, candorem, & ſinceritatem luthericam. Auguſtinus docet imperantium auxilium implorandum adverſus inſidias, fraudes, ſævitiam, & perſecutionem hæreticorum, qui Chriſti Eccleſiam vexant, expugnant; qui ſacrilega latrocinia perpetrant, bona eccleſiaſtica diripiendo, monaſteria ſolo æquando, virgines Deo deſponſatas conſtuprando, & ſceleſta flagitia ubique patrando; quemadmodum præ omnibus ſectariis furenter peregere hæretici proteſtantes. *Puſendorfius* vero, omni exuta fronte, nulloque ſuffuſus pudore, præfato ſancti Auguſtini textu vafritie ſumma abutitur, ex eodem colligens, S. Doctorem ſummis poteſtatibus tribuiſſe ius in ſacra. Tribuit illis ius, immo debitum ad propugnandam catholicam Eccleſiam, ad reprimendos, plectendoſque Luthericos & Calvinicos, qui vineam Domini, veluti immanes feræ, devaſtant, & Chriſti

Digitized by Google

Evangelium pervertunt, corrumpunt, depravant. Quo ſiquidem candore adulterant Auguſtini, aliorumque Patrum doctrinam, eodem pervertunt Scripturarum oracula. Aliorum Patrum teſtimonia expendere omitto, quod ſint eadem mala fide producta; & quod ea iam millies Theologi catholici pleno in lumine expoſuerint.

§. VI.

Errores Pufendorfii *tribuentis ſummis poteſtatibus ius in ſacra, ex ipſo iure civili, canonico, & Catholicorum conſenſu refelluntur.*

I. QUoniam *Pufendorfius* undique corradit apocrypha, & adulterata documenta, quibus ſuo capitali errori fucum faciat; operæ pretium eſt hunc lutherica factionis primipilum in hac controverſia exagitare, eiuſque commenta vaniſſima penitus conterere. Itaque non modo iuris naturæ decreta, Scripturarum tum veteris, tum novi teſtamenti oracula; ſed ipſæ tum civiles, tum canonicæ leges hanc illius hæreſim proſcribunt. Pauca promam ex iis quæ larga manu Theologi catholici iam in medium adduxerunt.

II. Imperator Iuſtinianus in Authentica *conſtitut.* CXXIII. hæc ſtatuit. *Si eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habento civiles magiſtratus cum ea diſceptatione; ſed Religioſiſſimi Epiſcopi ſecundum ſacros canones finem imponunto.*

III. Canones nunc ex multis aliquos adducam. Gratianus *diſt.* X. *cap.* VII. hunc refert directum ad Imperatores Conſtantinopolitanos. *Libenter accipitis, quod lex Chriſti ſacerdotali vos ſubiecit poteſtati, atque iſtis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem: dedit & principatum multo perfectiorem Principatibus veſtris.* Si Pufendorfius vellet exprimere & Catholicorum doctrinam, & proteſtanticam hæreſim, damnatam in hoc canone; quibus aliis uteretur verbis? Quidquam ne deſiderari luculentius valet?

IV. Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem diſt. XCVI. can. X. *Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus in divino ſunt reddituri examine rationem.*

V. Sanctus Gregorius ad Epiſcopum Metenſem diſt. lxix. can. ix. *Quis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum omnium fidelium patres, & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubiicere,*

Digitized by Google

cere, a quo credit, non ſolum in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe, & ſolvi?

VI. Innocentius III. Pontifex, Proteſtantibus magnopere inviſus, antiquorum omnium doctrinam proponit in *decret. de maior. & obed. can.* VI. his verbis. *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos dumtaxat qui ab illo accipiunt temporalia. Sed Pontifex in ſpiritualibus excellit, quæ tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori . . . Noſſe debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cæli: luminare maius, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſset nocti. Utrumque magnum; ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualis, maior eſt; quæ vero carnalibus, minor; ut quanta inter ſolem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur.*

VII. Hæc eſt omnium antiquorum canonum vox. Non me latet, Doctores proteſtanticos parvi facere ſacros canones, quod eorum Coryphæus Lutherus flammis illos Vittembergæ addixerit. Sed parum refert quod cæci homines meridianæ luci claudere oculos velint. Nobis ſat eſt, veritatem luculentam proponere illis qui electi a Deo ſunt: eamque confirmare iuvat ſanctorum hominum teſtimoniis.

VIII. S. Ignatius vir apoſtolicus, quippe ex Evangeliſtæ Ioannis ore chriſtianæ religionis documenta ſuſcepit, in epiſtola ad Philadelphos hæc ſcribit: *Principes ſubditi eſtote Cæſari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri & Diaconi, atque omnis Clerus, ſimul cum omni populo, & militibus, atque Principibus; ſed & Cæſares obediant Epiſcopo, Epiſcopus vero Chriſto, ſicut Patri Chriſtus: & unitas per omnia ſervetur.*

IX. S. Athanaſius in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, refert verba Hoſii Cordubenſis, qui unus ex Nicænis Patribus fuit, quique ſic allocutus Imperatorem Conſtantinum eſt: *Deſine, quæſo, Imperator: ne te miſceas Eccleſiaſticis: neque nobis in hoc genere præcipe: ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave ne, quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Et, poſt relata hæc Hoſii verba, ipſe Athanaſius ſubiicit. *Quando a condito ævo auditum eſt, quod iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando umquam hoc pro iudicio agnitum eſt?*

X. Sanctus Ambroſius *Epiſt.* XXXIII. ſic Valentinianum Imperatorem affatus eſt. *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina ſunt, imperiale ali-*

quod ius habere. Noli te extollere, ſi vis diutius imperare. Eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt enim : Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.*

XI. Quid quod vel ipſi Imperatores hanc faſſi ſunt veritatem, & hierarchiam eccleſiaſticam ſummo venerati ſunt obſequio? Ruffinus *Lib. I. cap.* XI. poſt Sozomenum *Lib. VI. Hiſt. cap.* VII. refert Valentinianum Imperatorem ſeniorem ſic loquentem de controverſiis fidei dirimendis. *Mihi, qui unus e numero laicorum ſum, non licet eiuſmodi negotiis me interponere. Sacerdotes, & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ubicumque ipſis liberum fuerit, conveniant* ad habendum Concilium.

XII. Baſilius Imperator in oratione habita in Concilio generali VIII. in quo Photii Patriarchæ cauſſa diſcuſſa fuit, hæc faſſus eſt. *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute verſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hæc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, ligandi, & ſolvendi poteſtatem habent, qui eccleſiaſticas adepti ſunt claves; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligamentis abſolvi egemus.*

XIII. Hæc ſunt teſtimonia quæ primum tulerunt ſancti viri, Apoſtolis proximi, quando nondum, fatentibus Luthericis, corrupta Eccleſia erat. Nullam ergo patiuntur exceptionem. Poſterioris ætatis Patres doctrinam a maioribus acceptam propugnarunt. Imperatores Conſtantinus Magnus, Valentinianus, Iuſtinianus, Baſilius, Carolus Magnus, Ludovicus, ceterique poſteriores eamdem poteſtatem in ſacra ſoli Sacerdotio attribuere. Et Lutherici Doctores in tanta luce adverſus tam luculenta, & tam multa teſtimonia cæcutiunt? Quid itaque garrit Puſendorfius in ſuo cit. libello §. 35. *Neque hic ſufficit diuturnam uſurpationem crepare: nam iſta etiam diuturnam iniuriam notare poteſt: neque firmum aliquod iuris fundamentum ſuppeditat; cum fieri poſſit ut modica ab initio auctoritas ſucceſſu temporis intolerabilem in dominatum degenerarit.* Tanta eſt vis veritatis, ut vel ipſa effrenatior mentiendi libido recta aggredi illam nequeat. *Fieri poteſt*, inquit cavillator Luthericus, ut modica ab initio temporis diuturnitate creverit. Fuit ergo ab initio aliqua. Cur ergo totam negas? Sed integram, quæ nunc eſt poteſtas in ſacra, penes Eccleſiam fuiſſe ab initio teſtantur Scripturæ ſanctæ, Patrum teſtimonia, canones ſacri, iura ipſa civilia. At Lutherici Doctores, Rabbinis & Phariſæis cæciores obſtinatioreſque cum ſint, non ſecus ac Hebræi abſque Sacrificio, & Sacerdotio, abſque templo & altari, delirantes, & furentes maledictis & putidiſſimis mendaciis debacchantur adverſus Catholico-Romanam Eccleſiam.

ſiam. Omnia documenta vel exploratiſſima cavillantur, vitilitigationes, ineptias, verborum rixas ubique intexunt, ut tenebras veritati ſplendidiſſimæ offundant. Numquam mihi in mentem veniſſet, tam abſurda paradoxa, tam vana commenta, tam ineptas nugas edi in lucem potuiſſe a viris luthericis, qui in diverſis a religione controverſiis nec indocti, nec ineruditi ſunt (licet ipſi æquo doctiores, & eruditiores ſe ſe pueriliter iactent) niſi hæc omnia in eorumdem libris legiſſem. Sed hæc ſunt reprobatæ gentis indicia & argumenta. Hi a via veritatis aberrantium characteres, ut videntes non videant, ut acuti ad vana, cæci ad vera ſint.

§. VII.

Iuriſpubliciſtæ Pufendorfii *inſana Politica. Illius quibus illudit Principibus, fraudes. Monita ad imperitos, ut iſtius Auctoris, aliorumque ſimilium lectionem ſeducentem devitent.*

I. VErſutus Puſendorſius, cum vidiſſet luthericæ religionis cauſſam, ad tribunal theologicum delatam, penitus corruentem, & uſquequaque peſſumdatam, ad *machiavellicæ politicæ* principia illam revocavit. In univerſis ſuis operibus *Papiſmum* ad nauſeam uſque crepat. Et paſſim, tum in opere de *I. N. & G.* tum de *offic. hom. & civ.* hæc *machiavellicæ politicæ* ſemina ſpargit. In ipſa præfat. ad *I. N. & G.* nugatur, arcanam rationem Papiſtarum, & *fundamenta ſacræ iſtorum reipublicæ* eſſe, *hominum conſcientias non ratione, ſed auctoritate Sacerdotum regi*. Eo iſtius conſilia & molimina pertinent, ut laqueis vaſre fucatis quibus vel ipſa de *I. N. & G.* opera identidem aſpergit, ſaperdas, & imperitos qui eorumdem lectione delectantur, implicet, capiatque. Ille ipſe teſtatur, *dogmata papiſtica*, religionis illicio tecta, *principia ſanæ politicæ convellere, natura ſua turbas excitare, & exitiabiles morbos in civitate producere*. Prolixa peroratione finem imponit ſuo libello *de habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem*, in qua grandia verba effundit: nullum præiudicium ſummis imperantibus magis noxium, quam ſi eorumdem ſubditi pendeant ab extraneo Sacerdote. Quid aliud eſt conſtituere unius ſtatus habitantes ab extranea poteſtate pendentes, quam hoſtilia præſidia in proprias excipere arces, & inimicorum caſtra in proprium inducere ſtatum? Quid, ſi ex Principum civiumque divitiis alendæ ſuſtentandæque fuerint ſacræ iſtæ poteſtates? Experrecti itaque ſint oportet Principes proteſtantici, ne umquam Pontificiorum erronea dogmata de duplici poteſtate, ci-

civili, & ſacra, in ſuas ingrediantur ditiones. *Optandum foret*, inquit, *ut Principes ſenſum communem, & naturalem rationem in conſilium adhiberent, & paulliſper animum a præiudicio liberare vellent. Nam ſaltem quæ inter controverſias pontificias agitantur, ubi quis non ultro animum obſirmare velit, talia indicia ultro ſe offerunt in utram partem favor Principum inclinare debeat, & utrum ſuus procedendi modus reddat ſuſpectum.* Nihil ad velificandum, adulandumque Principibus validius. Hæc ſunt *ſtatiſticæ* & *machiavellicæ* politiæ arcana. Tanta nugatur præſidentia, ut mirum non ſit, ſi ſcioli non pauci his decipiantur fucis. Comparat utramque Eccleſiam, luthericam, & catholicam; & ex utriuſque dogmatis præferendam luthericam infert. Lutherica in fronte præfert *ſinceritatis notam*: Scripturam ſacram omnibus legendam porrigit, veluti *fidei obruſſam*; & quibuslibet etiam gemellis, & ruſticis interpretandam ſinit. Sed hæc *obruſſa* tam diverſa apud Luthericos eſt, quam ſunt hominum cerebra, & cogitationes. Lutherica Pontificiorum libros legendos permittit. Alterutrum ergo. Aut calumniatrix eſt, dum blaterat Catholicorum libros idololatria, ſuperſtitione, & perniciofiſſimis erroribus ſcatere: aut iniqua eſt, dum libros veneficos, & ſeductione pleniſſimos indiſcriminatim legendos tolerat. Pontificia Eccleſia vel ipſam Scripturam ſacram ſuis ſubducit, nedum Proteſtantium libros? Scripturam ſacram omnibus, linguam latinam callentibus, concedit; & libros Proteſtantium, mendaciorum, calumniarum, & fraudum pleniſſimos, doctioribus tantum prudentiſſime facultatem legendi impertit. Denique concludit, pontificiæ Eccleſiæ ſcriptores, non veritatis amore, ſed emolumentorum, divitiarumque fiducia, partiumque ſtudiis abreptos, cauſſam propriam agere. Quantus Cleri pontificii Splendor? Qui faſtus, quæ divitiarum opulentia, quæ poteſtas? Cleri lutherici exiguæ opes, ſplendor nullus, tota auctoritas ſummarum poteſtatum imperio ſubiecta. Quinam veroſimilius pro mundi commodis pugnant? An Proteſtantici, qui etſi victores privatæ fortunæ limites numquam tranſiliunt? (Tranſilivit tamen Puſendorfius, & ab ima ad magnam aſſurrexit fortunam.) Pontificia Eccleſia concitat populos, & Principes omnes adverſus eos qui Beſtiam magnam (ſic vocat ſanctiſſimi Petri Apoſtolorum Principis cathedram) de medio tollere cupiunt. *Eo magis*, inquit, *neceſſarium eſt ut fideles magno ſtudio animum adverſus beſtiæ illius illecebras, iuxta ac terrores, animos obſirment, ut cum patientia expectent, quouſque Deus eidem, quem per Prophetas ſuos finem prædixit, repræſentet. Quid autem conſilii capiendum ſit Principibus, & populis liberis, qui ſectam Romanam exuerunt, poſtquam tam atrocia odiorum, & immanitatis exempla ab eadem ſubinde edi conſpiciunt, ipſi, etiam me non monente, ſi mens non læva eſt, intelligunt.*

II. Læva profecto Politici Lutherani mens, quæ tot deliria peperit: depravatus animus, qui tot mendaciorum, calumniarum, & maledictorum centonem confarcina-

cinavit. Synagoga lutherica, ſtupris, crapulis, comeſſationibus, libidinibus, turbis, ſeditionibus parta, univerſæ Germaniæ cladem intulit, &, veluti hydra immanis in dies ferociens, & ſæviens, ſeditiones inteſtinas, in Cæſares proditiones, in Dei templa ſacrilegia frequenter perpetravit. Quis abſque horrore legere poteſt ruſticanum ſanguinarium tumultum, initio defectionis luthericæ excitatum *an.* 1524. tot cædibus, latrociniis, rapiniſque onuſtum? Quis in Auſtria ſuſcitavit aliam ruſticanam ſeditionem? Quis Principes, Regeſque Germaniæ, & mutuo, & in Cæſares toties armavit? Quis *ſchmalcaldicam* coniurationem truculentam, & tanto Germanorum ſanguine madentem? Quis *Bohemicam*, quis *Heilbrunenſem*, quis *Lipſienſem* perfidam conſpirationem, ut ceteras ſileam, parturivit, niſi fatalis illa, & ſcelerata lutherica ſynagoga, larva reformationis obtecta? Germanorum hiſtoriæ hæc, & peiora impietatis portenta narrant.

III. Religio catholica, caritate, paupertate, manſuetudine, patientia ſub Imperatoribus Ethnicis alta, nunquam ſeditiones, aut coniurationes concitaſſe legitur; ut Tertullianus, Athanagoras, & ceteri prioris ætatis ſcripſere Patres. Et tamen tum ſuprema in ſacra potiebatur poteſtate. Quid ergo nugatur Luthericus Pufendorfius, *ſtatum* in *ſtatu* perniciosum eſſe reipublicæ tranquillitati, & rei politicæ principiis? Dicat, religionem hanc infeſtam eſſe proteſtanticæ ſynagogæ. Hiſtoriam cum civilem, tum eccleſiaſticam, evolvant Doctores Lutherici, intelligentque, ſolos hæreticos, Donatiſtas, Arianos, Iconoclaſtas, ceteroſque eorum Patres, & Patriarchas anteceſſores, turbas, & ſeditiones commoviſſe; numquam vero catholicam id peregiſſe religionem, quæ Principibus, Regibus, Imperatoribus obedientiam, fidelitatem, obſequiumque præſtandum, ſolvenda vectigalia, orandum pro iis docet. In qualibet bene inſtituta republica diverſa negotiorum genera in ſuas claſſes tribuuntur. In republica catholica temporalia Principibus, ſpiritualia Sacerdotibus commiſſa a Deo ſunt. Neuter in alterius meſſem falcem mittit. Principum ſtudia & conſilia temporalia tractant poteſtate ſumma. Hi ne, ſub tanta ſollicitudinum mole oppreſſi, de fidei articulis controverſiis dirimendis, religioniſque officiis defungendis idonei? Quid rectæ rationi, & regiminis tranquillitati accommodatius, & opportunius, quam duo ſuprema luminaria: alterum, quod divinam, alterum, quod temporalem rempublicam illuminet? Dum temporales Principes in terrenis occupantur, Sacerdotes Domini, a terrenis curis expediti, pro omnium ſalute cum Deo negotia tractant. Cleri divitiæ nonne ſunt in ſtatu, & per ſtatum excurrunt, & tandem in Principum ærarium immigrant? Quid Reipublicæ intereſt, in hoc, aut in illo ſubdito divitias reperiri; dummodo intra ſtatus confinia diſtrahantur? Quid faſtum, pompas, luxum, ceteraſque corruptelas obtrudit? Heinc ne falſitas, aut veritas religionis haurienda? Nulla ergo in mundo religio vera fuit; cum nulla umquam a vitiis, a corruptelis immunis fuerit. Conſulant Evangelium *Politici*

noſtri, intelligentque Dei Eccleſiam agro, frumento, & zizaniis uſque ad ventilationis diem pleno, comparatam a Chriſto eſſe. Hanc Romano-Catholicam Eccleſiam *Proſtibulum Babilonicum*, *Beſtiam Apocalypticam*; iſtius vero Eccleſiæ Clerum, *ſtolidum hominum genus*, *homines nulla fide dignos*, *Principes ad tyrannidem inſtigantes*, *ſcelera & malitiam omnem religionis profeſſione occultantes*, urbaniſſime appellat Luthericus Pufendorfius. Et hæc ruſtica ſcribendi ratio perpetua eſt huic iuris naturæ, æqui & boni præclariſſimo inſtauratori contra ſibi adverſantes.

IV. Quæ hactenus ex libris Pufendorfii, data occaſione, decerpſimus, inſtruere, & non levi pudore tangere illos ſemidoctos debent qui acutiſſimum Metaphyſicum, Iuriſpubliciſtam inſignem Pufendorfium deprædicant, eiuſque lectione delectantur, antequam ſolida iuris & naturalis, & divini, humanique principia didicerint. Ne vero ſuſpicentur iſti, me odio percitum contra *Pufendorfium*, ſuadere imperitis ut abſtineant ab illius operum lectione, cauſſam appello ad ipſos Doctores Luthericos, qui apertiſſime teſtantur, Pufendorfium Atheiſmi fuligine tinctum fuiſſe. *Id* ſupra ex *Burkero* indicavimus. Sed modo alium allegam teſtem iuvat. Iacobus Fridericus Reimmannus in *hiſtor. univerſ. Atheiſmi* hæc ſcribit cap. X. §. xv. pag. 510. *Et in iis proculdubio etiam Samuelem Pufendorfium, quem Atheiſmi accuſatum Auctor apologiæ pro Vanino pag. 27. refert. Et addit Godofredus Arnoldus in H. E. T. 2. l. 17. c. 16. §. 10. pag. 579. fuiſſe VVittembergæ, qui Ioach. Gerardum Ram, cuius tragædiam deſcripſimus §. 10. venenum Atheiſmi e ſcriptis Pufendorfii ſuxiſſe exiſtimaverint, quibus Pufendorfius ipſe reſponderit, & impoſuerit fibulam.* Nec teſtimoniis extraneis opus eſt, cum opera ipſa typis edita perhibeant *Pufendorfium*, hominem furore abreptum, fermento captherico ebrium, mendacem, impoſtoremque impudentiſſimum. Vbi in univerſis eius operibus adhortatio ad pietatem? Vbi vera virtutis imago? Vbi moderationis, modeſtiæ, & probitatis vola? In ſuos oppoſitores impotens maledicus, in Catholicos rabidus calumniator, erga Principes viliſſimus & mendax adulator. Hi ſunt iſtius Atheiſtæ characteres. Plura ſileo, cum non pauca ſupra dixerim.

V. Et revera, quid in cauſſa eſt, cur non pauci hodierni ſcioli tam impudenter religionis capita in diſcrimen adducant? Vna profecto ex cauſſis eſt librorum tranſalpinorum incauta lectio. Illa nugandi, conviciandi, & deridendi præcipua Romanæ Eccleſiæ dogmata libertas. Illa contra poteſtatem in ſacra fucata, & adulterata Politica in legentium animis venefica relinquunt ſemina, quæ ſenſim ſine ſenſu adoleſcunt, & tandem emittunt monſtroſos abortus, nedum dubitationes, ambiguitates, argutula adverſus divina myſteria ratiocinia. Hac via ab imperito vulgo auram eruditionis captant, ſcituli apparere ambiunt, & poſtremum tam magiſtri nugaces, & inflati, quam auditores indocti & novitatis cupidi, ſin fidem prorſus amittunt, ita tamen eam extenuant, obnubilant, ut Atheiſmo proximi

ſint,

ſint, unoque pede Catholiciſmi, altero Atheiſmi vias percurrunt. Hæc principia, hæ radices impietatis illius quæ hodiedum tam audacter quoquoverſum graſſatur.

VI. Nemo itaque mihi vitio vertat, quod inſtituti limites prætergreſſus ſim. Quoniam, ſi Lutherani Doctores, ut *Puſendorſius*, *Thomaſius*, *Barbeyracus*, *Cumberlandus*, *Budæus*, *Heinnecius*, *Brukerus*, ceterique ipſa opera philoſophica, & hiſtorica de iure naturæ continenter replent dicteriis, calumniis contra Eccleſiam Romanam; ſi inter ipſas de naturæ iure principiis controverſias intrudunt *Papiſmum*, *Romaniſmum*, *ſuperſtitionem papiſticam*, ſuoſque errores ſuadere lectoribus ſtudent: numquid minus expediens erit, & nos illorum refellere mendacia, fraudes detegere, calumnias retundere, luthericas hæreſes profligare, profligataſque declarare, & noſtræ divinæ religionis dogmata promovere, atque imperitis ſubſidium ferre? Huc pertinent quæ hactenus ſcripſimus.

CAPUT IV.

De iure civili privato. Eiuſdem notio, & partitio.

I. IUS publicum §. 1. capitis ſuperioris expoſitum eſt. Breviſſima oratione iuris civilis privati explicatio exhibenda nunc eſt. Definitur autem *Ius auctoritate ſupremæ poteſtatis conditum ad ſingulorum civium utilitatem immediate, & principaliter ordinatum*. Hæc deſcriptio diſtinguit hoc ius a quolibet alio. A naturali, quoniam hoc nec a voluntate humana pendet, nec mutationi obnoxium eſt. Differt a iure gentium, quia iſtud non eſt unius civitatis, aut principatus, ut civile; ſed communiter omnium fere gentium. Differt tandem a iure publico, quod iſtud immediate, & per ſe ad publicam utilitatem dirigitur, ex qua poſtea ſingulorum utilitas dimanat; contra ius civile privatum immediate ſingulorum commodum reſpicit, ex quo publica coaleſcit utilitas.

II. Hoc autem privatum ius multiplex eſt. Aliud vocatur *merum*, quod ex ſola humana pendet voluntate; aliud *mixtum*, quod ius naturale, vel gentium includit. Rurſus aliud *commune*, quod extenditur ad univerſum principatum, vel imperium. Aliud *particulare*, ſeu *municipale*, quod intra fines provinciæ, aut civitatis concluditur. Tribuitur tertio in *ſcriptum*, & non *ſcriptum*. Ius *ſcriptum* eſt quod expreſſa ſanctione, Principis auctoritate promulgatur. Nec requiritur ut lex ipſa ſcripturæ conſignetur; ſed ſat eſt ut a Principe expreſſe intimatum, promulgatumque præconis voce ſit. Scripturæ enim perpetuitati deſerviunt. Ius non *ſcriptum* eſt quod moribus utentium introducitur, & tacito conſenſu approbatur.

III. Ius civile ſcriptum aliud in *ſpecie* tale, aliud *prætorium* vocant. Illud hoc pacto finiunt. *Ius civile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatus-conſultis, decretis Prin-*

Principum, auctoritate prudentum venit. Ius vero prætorium eſt *quod Prætores introduxerunt adiuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi iuris civilis gratia propter utilitatem publicam:* quod & *honorarium* dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum. Ad ius ergo civile revocant *leges* XII. *tabularum* plebiſcita, ſenatusconſulta, reſponſa prudentum, Principum placita; & hæc legitimam habere cauſſam dicuntur: quæ vero nullis definita ſunt legibus, ſed Prætoris edicto lata, in ipſam naturalem æquitatem reducuntur, & ad ius *prætorium* attinent. Quamobrem ius *prætorium* eſt veluti explanatio civilis iuris. Clarius quippe confirmat caſus comprehenſos in iure civili: quos verba generalia includere videntur, perſtringit, prout æquitas poſtulat: & tandem non comprehenſos includit; ideoque ſupplet id in quo ius civile deficit. Plura de hoc iure prætorio, quæ ICti tractant, ſileo, quod nimium ab inſtituto noſtro recedant.

IV. Iuris civilis idea hæc eſt. Modo interpretatur iuris naturalis & gentium ambiguos caſus; modo plura adiicit ſolo humano arbitrio, prout tali nationi, populo, vel genti expedire iudicat. Plura conſectaria ex iure naturæ, & gentium dimanant, quæ iuxta humanarum mentium diverſitatem in varias partes trahi poſſunt: & ius civile definit, quo in ſenſu accipienda ſunt. Plura adiicit, ut præfata iura magis firmet. Univerſales concluſiones limitat, amplificat, conditionibus illigat, & pactis; prout magis expedire publico bono iudicat.

V. Singulæ reſpublicæ ſuum habuere, habentque ius civile. Et quoniam inter omnes reſpublicas Romana celeberrima eſt; de iure civili Romano pauca dicam. Sub initium Romana civitas iure caruit, ſolaque mutua voluntate regebatur; tamen aucta continuo ad populi regimen ius civium conditum eſt. In XXX. curias tribuit Romulus ipſe populum, & ſanctiones quibus dirigendæ curiæ iſtæ erant, condidit, legeſque *curiatæ* dictæ ſunt, quas temporis ſucceſſu Numa Pompilius celebratiſſimus Rex auxit, ſicuti & eiuſdem ſucceſſores, quæ ſubinde *leges regiæ* appellatæ ſunt: & tempore Tarquinii Regis in unum volumen Sextus Papyrius inſignis ICtus collegit; dictumque propterea fuit *ius Papyrianum*. Exactis Regibus, una cum ipſis antiquatæ regiæ leges fuere. Quia vero conſiſtere reipublicæ tranquillitas ſine lege haud poterat, tres delecti fuere viri, nempe, *Spur. Poſthumus*, *Sex. Sulpicius*, *A. Manlius*, miſſique in Græciam, ut Lacedæmoniorum, & Athenienſium potiſſimum, leges conſcriberent, Romam deferendas. Reverſis, elapſo biennio, cum legibus legatis, anno U. R. C. CCCI. convocatis centuriatis comitiis *Decemviri* ex ordine ſenatorio delecti fuere, qui ex Regiis, & ex Græcia delatis legibus ius condiderunt intra anni ſpatium, & facta omnibus inſpiciendi, & examinandi facultate, in XII. *tabulis* ſive eboreis, ſive æreis inciſum eſt. Tabula *prima* formam inſtituendi, agitandique iudicii continebat. *Altera* præſcribebat rationem perſequendorum furum, iudicium prorogandi, & teſtes excitandi. *Tertia*

rem

rem uſurariam complectebatur, & depoſiti actionem, & rei iudicatæ executionem. *Quarta* definiebat ius parentum in liberos, & ius emancipationis. *Quinta* ius teſtamentorum, ſucceſſiones ab inteſtato, hereditatis diviſionem, iura tutelarum ſtatuebat. *Sexta* prohibebat venditiones, uſucapiones, poſſeſſiones, & repudiorum iura. *Septima* de damno illato in agros, in pecora, in proprium corpus, & famam agebat; & plura contra ſagas, veneficos, parricidas, homicidas, atque tutorum, & patronorum fraudes in pupillos, & clientes decernebat. *Octava* iura prædiorum ruſticorum, & urbanorum conſtituebat, definito ambitu parietis, & ſpatio inter confines fundos, itemque ſpatio vitæ; tradebatque alumnis quorumdam collegiorum ferendæ ſibi legis facultatem. *Nona* vetabat privilegia, & cœtus nocturnos, puniebat ſeditioſos, & redeuntes ad Romani populi fidem recipiendos iubebat; licet antea deſciviſſent: iudices pecunia corruptos capite multabat; & iudicium de capite civis Romani ad Comitia centuriata reſervabat. *Decima* iura ſacrorum, & ſepulcrorum, & cæremoniarum, & iusiurandum deſignabat. *Undecima* iura connubiorum declarabat, & de ſacris deteſtandis, & de vi poſtremarum legum agebat. *Duodecima* de pignore, de calumnioſo, falſoque iudicio plura definiebat.

VI. His *XII. tabulis*, minus aptis ad omnia definienda quæ creſcente republica occurrebant, adiectæ fuerunt ICTORUM interpretationes, quæ ius *civile* communi nomine appellabantur. Temporis decurſu iura iuribus addita fuerunt tanta copia, ut in immenſum pene excreverint, & duo librorum millia vix capere eadem valerent. *Iulius Cæſar* primus omnium tantam librorum molem contrahere deliberavit; ſed morte immatura, & violenta oppreſſus perficere conſilium non potuit; illudque executioni demandavit *Hadrianus* Imperator opera & ſtudio *Salvii Iuliani*, Icti celeberrimi, unumque conflavit volumen, *Edictum perpetuum* nuncupatum, quod inſigniores Icti Romani, Ulpianus, Paulus, Gaius, Scævola, aliique plures interpretati ſunt. Poſteriore tempore ſuccedentes Imperatores conſtitutiones plures ediderunt, quas uſque ad Conſtantinum Magnum Gregorius & Hermogenes Icti, privata auctoritate collegerunt; dictuſque eſt Codex *Gregorianus*, & *Hermogenianus*. Theodoſius minor anno Chriſti CCCCI. Imperatorum, præcipue chriſtianorum, conſtitutiones in unum redegit volumen, quod *Codex Theodoſianus* etiamnum appellatur. Iſtius codicis uſus obtinuit uſque ad Imperatorem Iuſtinianum. Is, cum vidiſſet plura Prætorum Edicta, Novellas, Theodoſii iunioris, & aliorum Principum conſtitutiones in laudato codice deſiderari, opera potiſſimum *Triboniani*, & ſexdecim aliorum Ictorum ſtudio ius univerſum in unum corpus redigere conſtituit, perfecitque, & in libros digeſſit.

VII. Hoc *Iuſtinianæum ius* per totum imperium legis vim, ipſo vivente Iuſtiniano Imperatore, obtinuit, viguitque longo annorum intervallo. At, elabente tem-

tempore, illius auctoritas decrevit, valdeque diminuta iacuit. Sæculo XII. priſtinum recuperare ſplendorem cœpit, Lotharii Imperatoris tempore, ſtudio potiſſimum *Irnerii*, qui Comitiſſæ Methildis hortatu & iuſſu Bononiæ ius Iuſtinianeum profeſſus eſt: quem ſecuti ſunt *Bulgarus*, *Martinus*, *Iacobus*, *Hugo*. Nec modo in Italiæ ſcholis, ſed in foro ipſo magna ius iſtud auctoritate pollebat. Italiæ exemplum ſecuta eſt Gallia, & Hiſpania, ut advertit Struvius *ad ff. Exercit.* 2. *th.* 34.

VIII. Quatuor potiſſimum in partes tribuitur ius Romanum Iuſtinianeum, in Pandectas, Inſtitutiones, Codices, & Novellas. Omnia collecta ſunt ex diverſis iuribus. Populus ſimul cum Senatoribus, & Patriciis *Plebiſcita*, Senatus ſolus *Senatus-conſulta*, Principes *Principum placita*, Aediles, Prætoreſve *Prætorum edicta*, ICti *Reſponſa prudentum* edidere. Ex his omnibus coaluit ius Romanum Iuſtinianeum, cui, præter hæc, inſerta ſunt XIII. edicta a Iuſtiniano edita proprio motu, & aliorum Imperatorum Novellæ conſtitutiones. *Pandectæ* appellantur alio nomine *Digeſta* ab ordine, & forma, ſub qua diſpoſita, & digeſta ſunt. Quandoque etiam dicuntur *Codex iuris enucleati*, quoniam in Pandectis, ſeu Digeſtis præ reliquis libris, & leges, & negotiorum definitiones, & iurium artes traduntur. Pandectis triginta ſeptem ICti Symbolas contulerunt, ex quorum reſponſis Digeſtorum leges compactæ fuere. Hanc compilationem præſtiterunt Trebonianus, Conſtantinus, Theophilatus, Dorotheus, & alii præclari ICti anno Chriſti DXXX. promulgatæque ſunt anno DXXXIV. *Digeſta* hæc tres in partes tributa ſunt. Prima comprehendit *Lib. XXIV.* & vocatur *Digeſtum vetus*, quod præcedat ceteras partes. Altera includit *Lib. XXV.* uſque ad XXXVIII. & dicitur Digeſtum *infortiatum*, ſeu etiam *infartiatum*, quod inter vetus & novum, medium ſit, & leges fortiſſimas contineat. Reliqui libri *Digeſtum novum* componunt. Itaque *Digeſta* libris quinquaginta comprehenduntur. Citatio legis alicuius ex *Digeſtis* hoc ſigno *ff.* notatur. Cur tali ſigno citentur, ratio nulla præter factum, ſeu uſum. Inſtitutiones, ſeu inſtituta ſunt iuris compendium, iuſſu Iuſtiniani, & ſtudio *Treboniani*, *Theophili*, & *Dorothei* compactum. Vim iuris obtinent. Quatuor libris, & XCIX. titulis conſtant, quorum ſinguli ſuas habent rubricas.

IX. Codex, ut dictum eſt, alius *Gregorianus*, alius *Hermogenianus*, alius *Theodoſianus*, alius *Iuſtinianeus*. Primi duo codices ferme perierunt. Theodoſianus quaſi integer exiſtit; ſed eodem uti Iuſtinianus vetuit. Codex Iuſtinianeus duplex, *Primæ*, & *ſecundæ lectionis*. *Primæ lectionis* eſt ille quem Iuſtinianus ex codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, & aliorum Imperatorum conſtitutionibus concinnavit, & Iuſtinianeum nuncupatum, anno Chriſti DXXIX. imperii ſui tertio evulgavit: ſed vix lucem aſpexit, ſtatim interiit. Codex *ſecundæ*, ſeu *repetitæ lectionis* poſt laudata volumina ab Imperatore confectus eſt anno imperii ſui IX. & hic iuris.

iuris auctoritatem obtinuit; & hic eſt quem ICti citant. Diſtributus eſt in Libros XII. Tres tamen ultimi, de iure publico agentes, poſteriore tempore adiecti ſunt.

X. ICti Cuiacius, Antonius Auguſtinus, Contius huic codici conſtitutiones nonnullas adiecerunt, quas, ut ſpurias, communiter reiiciunt eruditi. Baſilius Macedo Imperator, eiuſque Filius Leo Philoſophus novas Pandectas condidere in LX. Libros diſtributas, quos libros *Baſilicos* appellant. Numquam tamen nec in Oriente, nec in Occidente vim legis obtinuerunt. Ad ſolam eruditionem hodie libri *Baſilici* conquiruntur ab illis qui ſelectas conſtruunt bibliothecas.

XI. *Novellas* Iuſtinianus ſuo codici adiecit, quæ ſic appellantur, quod noviſſime poſt editum codicem eas condiderit, & contineant volumen conſtitutionum, quas ipſe Imperator diverſis temporibus pro rerum emergentium occaſione edidit; & præter conſtitutiones continent *Authenticas Collationes* novem, in titulos & capita diſtributas. Græce compoſitæ fuere, paucis exceptis, quæ latine editæ ſunt. Novellæ *Authentici* nomine etiam inſigniuntur, ut diſtinguantur ab Epitome, in quam præfatas Novellas contraxit *Iulianus Patricius* vir præclariſſimus. Quare reſpectu iſtius Epitomes Novellæ *authentici* titulo donatæ merito ſunt. *Authenticum* enim auctoritatem præfert: ideo auctoritatem legis, non Epitomes, ſed Novellæ, unde extracta epitomes, obtinere merito debent. Tredecim Iuſtiniani Imperatoris Edicta, & alia Iuſtini, & Tiberii Novellis adiecta, nulla potiuntur in dirimendis cauſſis auctoritate.

XII. Recenſitis iuris civilis partibus adiecti ſunt libri Feudorum. Hæc iura feudalia *iura militaria* olim vocabantur. Alii Longobardis, alii Germanis feudorum originem adſcribunt. Primam collectionem conflarunt Conſules Mediolanenſes, *Obertus de Orto*, & *Gerhardus Nigro*. Nulla publica ſanctione hæc iura feudalia approbata fuere; ſed tacito generali conſenſu a ſæculo XV. approbationem obtinuere. Libri Feudorum duo, primus, & ſecundus. Cuiacius ex variis Imperatorum conſtitutionibus feudalibus *quintum* collegit. Plura de his omnibus, quæ paucis perſtrinxi, diſputant ICti; ſed, quia minus inſtituto meo conſentanea, illa prætereo.

CAPUT V.

De iure canonico, ſeu eccleſiaſtico.

I. CAnon vox Græca eſt, quæ latine reddita *regulam* exprimit. Ius itaque canonicum *ius regulare* eſt, ſic nuncupatum, quod ex canonibus, ſeu regulis, quas Eccleſia ſancivit pro formandis Chriſtianorum moribus, compactum ſit. Hac ratione etiam *ius civile* canonicum, ſeu regulare appellari poſſet; cum & illud ex regulis pro reipublicæ, civiumque officiis dirigendis editum fuerit. Verum uſus obtinuit ſolum ut ius eccleſiaſticum canonicum appelletur: eo quod reipſa & regulas meliores, quæ interdum errata iuris civilis emendant, & finem nobiliorem ſpectet, & a poteſtate ſublimiori proficiſcatur. Appellatur modo *ius eccleſiaſticum*, quia & diſciplinæ Eccleſiæ regendæ deſervit, & a poteſtate Eccleſiæ dimanat. Dicitur etiam *ius pontificium*, quod a ſummis Pontificibus, Chriſti Domini in terris locum tenentibus, collectum approbatumque pro univerſali Eccleſiæ regimine fuerit. Denique *ius ſacrum* dicitur, tum ratione materiæ, tum ratione finis, tum ratione principii unde proficiſcitur.

II. Explicata voce, res ipſa deſcribenda eſt. Porro ius canonicum eſt ius poſitivum ab Eccleſia catholica conditum approbatumve, quo reſpublica catholica ad pacem, tranquillitatem, iuſtitiam, æternamque beatitudinem dirigitur. Dicitur ab Eccleſia conditum vel in Concilio congregata, vel a Romano Pontifice, tamquam legitimo Capite, & Chriſti Domini Vicario, approbatum, vel inſtitutum. Quædam enim decreta ſeu canones in ipſis Conciliis generalibus conſtituuntur, quæ, approbante Romano Pontifice, vim legis in univerſali Eccleſia obtinent: & ipſi ſummi Pontifices plures decretales, reſcripta, & conſtitutiones condunt, & promulgant, quibus univerſa Eccleſia ſubiecta eſt. Pro catholica republica hoc ius conditum eſt: quia de illis qui foris ſunt, Eccleſia non iudicat, neque hi legibus eccleſiaſticis, neque pœnis coercentur. Denique finis quo ius iſtud fideles dirigit, divinus eſt: ideo media præſcribit, nempe divinum cultum, ſacrorum obſervationem, & cetera omnia quæ viam ad æternam beatitatem ſternunt. Igitur tam ex principio, quam ex materia quam præſcribit, quam ex univerſalitate, & fine in quem tendit, ius canonicum iure civili præſtantius eſt. Illud enim a poteſtate ſacra, nempe a Chriſto, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus dimanat. Eius materia ſpiritualis eſt: iuriſdictio omnes fideles, per univerſum orbem diffuſos, obſtringit: & finis tandem eſt ipſa æterna animarum ſalus. Contra ius civile a mera poteſtate ſæculari originem arceſſit: materia quoque terrena eſt, & temporalis: iuriſdictio intra limites principatus, populi, vel na-

nationis coercetur : finis denique felicitas temporalis eſt, & civilis tranquillitas.

III. Ius canonicum ſuam repetit originem ab Apoſtolis, qui pro Eccleſiæ regimine omnium primi Concilia celebrarunt. Locum primum occupat Hieroſolymitanum, anno Chriſti XXXIV. circiter habitum in domo Mariæ Ioannis matris, in quo S. Mathias Apoſtolorum albo adſcriptus eſt. Alterum ſimiliter Hieroſolymitanum ad ſedandas Græcorum, & Iudæorum querelas, in quo pro Eccleſiæ diſciplina Diaconi ſeptem, & plura alia ſtatuta ſunt. Tertium convocarunt anno Chriſti LI. ſimiliter Hieroſolymis, præcipue ut occurrerent controverſiis Antiochiæ exortis, definieruntque, non eſſe ex Gentibus ad Chriſtum converſos circumcidendos, neque legibus cæremonialibus ſubiectos, abſtinendum ab immolatis ſimulacrorum, a ſanguine, a ſuffocato, a fornicatione. Quartum denique anno circiter LVIII. itidem Hieroſolymis tenuere, in quo prioris Concilii decreta firmarunt, & Iudæis chriſtianam religionem profitentibus uſus legalium permiſſus eſt ad tempus; dummodo in iiſdem ſpem non collocarent, ut Synagogæ ſepeliendæ debitus honor deferretur: quia, ut ſupra dictum eſt, licet poſt Chriſti mortem ceſſaverint legalia; tempus tamen quo cœperint eſſe mortifera certo non poteſt definiri.

IV. Hæc ſacrorum canonum initia. Plura alia pro Eccleſiæ diſciplina conſtituere Apoſtoli, non ſcripturis, ſed cordibus impreſſa. Plura poſtea S. Clemens Petri diſcipulus ſcriptis conſignavit ſub titulo *Canonum apoſtolicorum*. His adiectæ fuere *Conſtitutiones apoſtolicæ*, in octo libros tributæ, quas aliqui ipſi S. Clementi, alii Scriptori ſæculi III. adſcribunt. Ut ut res ſe ſe habeat, certum eſt antiquas eſſe, & plurima utilia continere documenta; & eaſdem Eccleſia Græca olim loco legum, & Pontificalis habuit. Suam decurſu temporis amiſerunt auctoritatem, quod ab hæreticis plura fuerunt intruſa, plura adulterata, ut viri eruditi iam ſæpius animadverterunt. Quare poſteriori tempore Eccleſiarum Paſtores, vel extra Synodos, & Pontifices Romani plures ediderunt conſtitutiones, decreta, & canones, quibus occurrentibus controverſiis providerent. Quæ omnia litteris conſignata in immenſam creverunt molem, confuſionemque non parvam inducebant; cum nullum, niſi temporis, quo edita fuere, ordinem haberent. Quare, ut facilior illorum eſſet intelligentia, omni confuſione ſublata, in ordinem digeſta fuere, & in unum collecta volumen.

V. Variæ ſunt canonum præfatorum collectiones. Decem circiter numerantur. *Prima* adſcribitur *Dionyſio Exiguo* Abbati Romano, celebri ſexti ſæculi Scriptori. *Ferrando*, Eccleſiæ Carthaginenſis Diacono, eiuſdem ſæculi Scriptori, tribuitur *ſecunda*. Et hæc collectio *breviarium* appellatur, quod in ea non exſcribantur, ſed citentur canones. *Tertiam* collectionem concinnavit *Martinus Abbas Benedictinus*, & Eccleſiæ Braccarenſis Epiſcopus poſt dimidium ſexti ſæculi; eamque probavit

Con-

Concilium Lucenſe II. anno DLXXII. celebratum. Iſtius collectionis canones plures ſuo Decreto inſeruit Gratianus ſub nomine Martini Papæ; ut obſervat Antonius Auguſtinus Dial. x. & xi. in *Gratianum*. Hoc eodem tempore *quartam* executus eſt *Creſconius* Epiſcopus Africanus, eamque ita inſcripſit, *Concordia canonum*, ſeu *Libri canonum*. Collectionis quintæ Auctorem aliqui volunt eſſe *S. Iſidorum* Hiſpalenſem Epiſcopum. Sed hanc opinionem communiter eruditi reiiciunt: quia collectionis iſtius Auctor laudat Concilium Toletanum II. celebratum anno DLXXV. & Concilium VI. habitum anno DCLXXXI. eidemque inſeruit epiſtolas Gregorii II. & III. qui Pontifices Romanæ Sedi præfuere poſt annum DCC. Sanctus autem Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus e vivis deceſſit anno DCXXXVI. Quare verius alii hanc collectionem conflatam eſſe arbitrantur ab *Iſidoro Mercatore* Epiſcopo Setubenſi, dicto *Mercatore* ſeu *Peccatore*, quo nomine epiſtolis ſubſcribebat. Hic obiit anno DCCCI. Alii utramque componunt opinionem, contendentes S. Iſidorum Hiſpalenſem primum hanc collectionem incepiſſe; eamque ſubinde ab *Iſidoro Peccatore* completam eſſe, pluribus adiectis epiſtolis, & canonibus. *Brocardus* ſeu *Burchardus*, Epiſcopus VVormatienſis ex Monacho Benedictino aſſumptus, ſextam collectionem ex ſummorum Pontificum, & Conciliorum decretis, & ſanctorum Patrum ſententiis compilavit, eamque ſub *Decretorum* nomine in XX. Libros diſtribuit anno MXX. Eodem ſæculo *ſeptimam* confecit Cardinalis *Deuſdedit*, Gregorio VII. ſummo Pontifice regnante. *Octavam* edidit *Anſelmus Mantuanus* Epiſcopus Lucenſis. *Nona* parentem habet *Ivonem Gallum* Epiſcopum Carnotenſem. Hanc in compendium redegit *Hugo Catalaunienſis*. Poſt has novem Collectiones prodiit tandem *Corpus iuris canonici*, quo hodie Eccleſia univerſa utitur.

VI. Hoc ius canonicum aliud ſcriptum, aliud conſuetudine invectum eſt. Scriptum aliud commune pro univerſa Eccleſia; aliud peculiare pro aliqua provincia, diœceſi, vel communitate editum eſt. Ius commune aliud eſt quod legitima auctoritate corpus iuris canonici conſtituit, in eoque continetur: aliud quod extra illud corpus divagatur; ut ſunt plures Decretales dictæ *Extravagantes*.

VII. Hoc corpus iuris canonici tribus voluminibus conſtat. Primum volumen Decretum *Gratiani* continet in tres partes digeſtum, quarum prima diſtinctionibus centum & una conſtat. Et ſingulæ diſtinctiones diviſæ ſunt in *canones*, ſeu capitula. Comprehendit ſecunda xxxvi. *cauſſas*, ſeu controverſias, quarum ſingulæ fere comprehendunt plures quæſtiones; & hæ in canones dividuntur, ſeu capitula. Tertia inſcripta eſt de *Conſecratione*, quinque diſtinctionibus tributis in canones conſtans.

VIII. *Gratianus* hoc ſuum Decretum hoc titulo inſcripſit. *Concordantia diſcordantium canonum*: quod in eo ſimul conciliare quorumdam canonum contrarietatem, eoſque in meliorem ordinem digerere ſtuduit. Opus *Gratiani* maiori ex parte conſtat Conciliorum decretis. Alterum iuris canonici volumen complectitur potiſſimum

epiſto

epiſtolas decretales ſummorum Pontificum, & diviſum eſt in quinque libros. Tertium volumen diviſum eſt in tres partes. Prima continet librum VI. Decretalium diviſum in quinque libros, non ſecus ac aliæ priores Decretales. Secunda Clementinas a Clemente V. editas, & a Ioanne XXII. evulgatas. Tertia Extravagantes comprehendit, quarum plures condidit Ioannes XXII. eaſque corpori iuris inſeruit. Aliæ extra iuris corpus vagantur.

IX. Pauca nunc de iſtius iuris canonici auctoritate dicenda occurrunt. Canoniſtarum non pauci, ut Abbas, Archidiaconus, Tuſchus, aliique, textus omnes Gratianeos legis vim obtinere propugnant. Quoniam, inquiunt, ab Eugenio III. probatum hoc opus fuit, & tacito aliorum Pontificum aſſenſu firmatum. Sed communior, & vera ſententia docet, Decretum Gratianeum vim legis non habere, nec ab aliquo Pontifice umquam probatum fuiſſe. Legitur in Scholis, quemadmodum Libri ſententiarum Petri Lombardi, ob commoditatem collectionis antiquorum canonum, & ſententiarum, quæ in hoc Decreto habentur. Quare tantum auctoritatis Decreto huic defertur, quanta potiuntur documenta quæ in eo adducuntur. Singuli ergo canones citati ad ſuos fontes revocandi ſunt, ut inde colligatur, cuius ſint ponderis habendi. In hoc autem Decreto habentur textus ſacræ Scripturæ, conſtitutiones apoſtolicæ, Conciliorum decreta, ſanctorum Patrum ſententiæ, textus aliqui iuris civilis, facta hiſtorica, & interpretationes eiuſdem Gratiani. Hæc ergo documenta ea in Decreto Gratianeo auctoritate pollent qua potiuntur extra illud, & in propriis ſedibus locata. Textus ſacræ Scripturæ ſuam a Deo auctoritatem habent; & ſic cetera omnia quæ laudantur, a ſuis Auctoribus. Decreta Conciliorum a Conciliis, ſententiæ Patrum a Patribus &c. ſuam hauriunt auctoritatem. Interpretationes Gratiani ſunt Doctoris privati, quæ, ſi rationi, & communi doctrinæ conſonant, admittendæ, ſecus reiiciendæ ſunt.

X. Diſputant Canoniſtæ, cuiuſnam ſint auctoritatis *Paleæ*, Decreto Gratianeo adiectæ. Et primum de voce ipſa litem inſtituunt. *Paleæ* iſtæ canones ſunt Decreto ſuperadditi. Cur *Paleæ* vocentur, non una eſt Canoniſtarum ſententia. Alii *Paleas* dici contendunt, quod res nullius momenti contineant. Idque colligi aſſerunt ex ipſo Gratiano, qui rogatus, quid de his additionibus ſuo Decreto factis ſentiret, reſpondiſſe fertur, *Paleam eſſe, nec de meo grano*. Alii ſuſtinent, *Paleas* dici has Additiones ex Gratiani diſcipulo, dicto *Palea*, ſeu *Protopalea* vel *Pocopalea*, aut *Quartopalea*, quem Cardinalem fuiſſe nonnulli ſuſtinent: cuius ſtudio collectos additos canones ferunt. Communior ſententia nomen iſtud repetit a Græco adverbio *πάλιν*, ideſt *rurſum*, ſeu *Additiones*, quæ poſt editum Decretum ab ipſo Gratiano, ab aliis poſterioribus ſcripta fuere: quæ temporis decurſu librariorum opera, vel intruſæ fuerunt in Decretum, vel omiſſæ. Et quoniam utiles habitæ fuerunt, omnia eiuſmodi capitula inſerta Decreto fuerunt. Antiqua exemplaria non pauca

eiuſmodi capitula inſerta Decreto fuerunt. Antiqua exemplaria non pauca eiuſmodi paleis carent. *Paleæ* iſtæ, ſeu canones, vel capitula ſunt LXVI. minoris auctoritatis quam Decretum. Quare examinandi ſunt canones iſti, &, quatenus doctrinæ communi non repugnant, admittendi, vel omittendi ſunt.

XI. *Iſidori Mercatoris* ſeu *Peccatoris* epiſtolas quas ſuæ collectioni inſeruit, ad criticen vocarunt non Canoniſtæ modo, verum etiam eruditiores elapſi ſæculi Scriptores. Legitimos illorum Pontificum, ſub quorum nominibus referuntur, partus eſſe propugnant Franciſcus Turrianus, & Severinus Binius, aliique. Sed verior, & communis eruditorum ſententia confictis mercibus has epiſtolas iure, & merito accenſet.

XII. De ſecundo volumine Decretalium minor diſſenſio eſt. Quamquam enim pauci negent libros iſtos vim legis habere; communior tamen & vera ſententia oppoſitum defendit. Horum librorum collectio ſuas habuit viciſſitudines. Primus compilator fuit *Bernardus Balbus* Epiſcopus Papienſis. Alteram compilationem aggreſſi ſunt *Gilbertus* Abbas, & *Alanus* Epiſcopus Altiſiodorenſis; eamque perfecit *Ioannes VVallenſis*, cui inſeruit omnes Decretales uſque ad Innocentium III. Tertia tribuitur *Bernardo* Archidiacono Compoſtellano, quam curante Innocentio III. abſolvit *Petrus Beneventanus* eiuſdem Pontificis ſcriba. *Tancredus Bononienſis* concinnavit quartam ex Decretalibus, quas poſt duodecimum Pontificatus annum edidit Innocentius III. & ex Canonibus Concilii Lateranenſis, ſub eodem Pontifice celebrati. Quintam fieri curavit Honorius III. Has omnes collectiones, curante Gregorio IX. ſummo Pontifice, in ordinem redegit, & in quinque libros diſtribuit *S. Raymundus de Pennafort O. P.* Et hoc volumen eſt quod vim legis habet. Excipiuntur tamen nonnullæ Decretales, quæ contraria conſuetudine abrogatæ ſunt. Interdum canonum contrarietas occurrit, & tum, quando conciliari una nequeunt, poſteriori ſtandum eſt.

XIII. Tertium iuris canonici volumen vim quoque legis habere declaravit Bonifacius VIII. Illud conſarcinarunt *Guilielmus* Archiepiſcopus Ebredunenſis, *Berengarius* Epiſcopus Bettirenſis, & *Ricardus de Senis* ex ſucceſſorum Gregorii IX. Pontificum reſcriptis, & Conciliorum Lugdunenſium primi, & ſecundi decretis.

XIV. Hæc pauca delibaſſe ſufficiat. Qui plura cupit, conſulat Canoniſtas, qui & de recenſitis tribus voluminibus, & de Clementinis, atque Extravagantibus plura diſputant quæ ab inſtituto noſtro aliena ſunt. Vnum, & alterum verbum de Rubricis. Rubricæ vocantur quæ præfixæ titulis ſunt. Quæ titulis Decreti Gratianei præfixæ occurrunt, vim legis non habere, convenit penes omnes. Contra quæ præcedunt titulos, ſeu capita aliorum voluminum, magnæ ſunt auctoritatis, quia auctoritate apoſtolica præfixæ ſunt. Rubricarum iſtarum aliæ ſunt declarativæ textus alicuius ambigui. Aliæ diſponunt, & determinant, quandoque amplificant,

Digitized by Google

cant, & extendunt. Quando itaque aliqui textus ambiguam, aut diverſam præferunt intelligentiam, ille prævalere ſenſus debet qui Rubricæ conformior eſt. Gloſſa etiam, licet vim legis non habeat, magnæ tamen auctoritatis eſt.

CAPUT VI.

De poteſtate legis condendæ.

I. QUAE hactenus dicta ſunt, ſatis evincunt, ſupremas poteſtates auctoritate legum ferendarum pollere. Hanc facultatem ſoli Pſeudopatriarchæ Lutherus, & Calvinus, poſt Valdenſes, & VVicleſiſtas, in diſcrimen vocarunt. Martinus Lutherus *Lib. de capt. babylon.* hæc eructat. *Clamo fidenter Chriſtianis nihil ullo iure poſſe imponi legum, ſive ab hominibus, ſive ab Angelis, niſi inquantum volunt. Liberi enim ſumus ab omnibus.* Calvinus, utpote callidior, atque acutior, de more verſute ſuam promit ſententiam. Inquit enim Lib. IV. Inſtitut. cap. x. *Huius generis conſtitutiones impugnare animus eſt, quæ in hoc feruntur, ut animas intus coram Deo ligent, & religionem iniiciant, ac ſi de rebus ad ſalutem neceſſariis præciperent .... Hæc quæſtio pleroſque ideo impedit, quod inter externum, ut vocant, & conſcientiæ forum, non ſatis ſubtiliter diſcernunt. Propterea difficultatem auget, quod Paulus obediendum eſſe magiſtratui præcipit, non pœnæ ſolum metu, ſed propter conſcientiam: unde ſequitur politicis quoque legibus obſtringi conſcientias: quod ſi ita eſſet, caderet quidquid proximo capite diximus, ac dicturi ſumus de ſpirituali regimine.* Hæc eſt doctrina eorum quos præclari Iuriſpubliciſtæ Lutherici, & Calvinici, ut Prophetas, & divinos Reformatores, adorant. Leges ſolas quæ determinant materiam lege divina præſcriptam, admittunt. Leges mere humanas aut penitus reiiciunt, aut contendunt in foro dumtaxat exteriori, ſecus in conſcientiæ foro obſtringere. Et hos, tamquam iuris publici inſtauratores, deprædicant eorum ſectarii. Sed plura, numquam tamen ſatis, diximus ſupra adverſus iſtorum Reformatorum commenta.

II. Veritas fidei eſt, ſupremas poteſtates facultate legum condendarum inſtructas eſſe. Nam Chriſtus ipſe legem Cæſaream de tributo ſolvendo obſervari præcepit. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari:* Luc. xx. Leges quas ſervandas inculcat Paulus Apoſtolus ad *Roman.* xiii. latæ a Paganis erant; & tamen, teſte eodem Paulo, in conſcientia obligabant. Turpiter ergo hæreſiarchæ Lutherus, & Calvinus errarunt, effutientes humanas leges conſcientiam non obſtringere. Sed ediſſerant nobis novi iſti ſapientes. Leges, in Conciliis Hieroſolymitanis ab Apoſtolis latæ, an non obſtringebant conſcientiam? Quod ſi leges tum ab Eccleſia ro-

Digitized by Google

rogatæ fidelium conſcientias ligabant, ut certum eſt; quidni & poſteriores? Minor ne nunc quam olim Eccleſiæ auctoritas?

III. Obiiciunt 1. Deus præcipit nihil addendum legi ſuæ Deuteron. XII. *Quod præcipio tibi hodie, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*. Et Apoſtolus Iacobus cap. IV. *Unus eſt legiſlator, & iudex, qui poteſt perdere, & liberare*. Reſp. His & ſimilibus textibus perpetuo abutuntur novatores, qui ſtolidæ plebi fucum faciunt, ut ſua deliria ſuadere queant. Nihil ſuæ legi addendum Deus iubet quod eidem contrarium ſit, quod eam corrumpat. Quid quod, etſi Iudæis, tanta legum ſarcina onuſtis, vetitum condere leges fuiſſet, non propterea heinc concludi poſſet, eadem teneri Chriſtianos prohibitione? Unus eſt legiſlator noſter Deus primus, & ſupremus; at ille ipſe declaravit, ſe communicaſſe Principibus terrenis facultatem legum conſtituendarum pro communi regimine, ſive Eccleſiæ, ſive Principatus.

IV. Obiiciunt 2. Eccleſia non valet quidquam præcipere de fide credendum; quod non ſit a Deo revelatum. Ergo neque imponere aliquid ſub pœna peccati, quod non ſit a Deo præſcriptum. Accedit quod, ſi lex humana conſcientiam obſtringeret, eiuſdem obligationis eſſet ac divina, eiuſdemque auctoritatis. Reſp. Obiecta paritas futilis eſt. Nihil de fide credendum eſſe, niſi quæ a Deo revelata ſunt, Scriptura ipſa teſtatur, & ratio evincit, quod Deus ſit infallibilis auctoritatis, vi cuius præſtandus eſt firmus aſſenſus. At Scriptura ipſa divina declarat, plura pro temporum opportunitate occurrere, quæ Principes vel prohibere, vel præcipere valent, prout expediens publicæ ſubditorum utilitati fuerit. Non minus frivola, & ridicularia eſt argutatio altera. Lex humana vim obligandi habet ab ipſo Deo, vel auctore naturæ, vel auctore gratiæ. Ideo lex humana ſemper eſt inferior lege divina, a qua ſuam haurit vim, & auctoritatem.

V. Certum itaque eſt ſummas poteſtates auctoritate præditas eſſe ferendi leges. Pauca nunc dicenda occurrunt de perſonis in quibus hæc reſidet poteſtas. Et, ut a ſupremo omnium Principe initium ducamus, ſummus Pontifex poteſtate a Deo ornatus eſt ferendi leges ſpirituales pro univerſa Eccleſia. Civiles autem leges dumtaxat pro provinciis, ſuo temporali principatui ſubiectis, ferre valet. In ceteris regnis, & provinciis ſinguli Principes, Reges, Imperatores ſuprema auctoritate potiuntur eas rogandi leges quas politico regimini congruas, neceſſariaſve exiſtimaverint. Imperator pro toto Imperio, Rex pro univerſo ſuo regno, Princeps pro toto principatu, & quælibet civitas non ſubiecta pro ſuo territorio leges, ſubditorum conſcientias obſtringentes, condere poſſunt.

VI. Diſputant Iuriſpubliciſtæ, valeat ne Regina leges condere? Conſentiunt communiter, Reginam non coniugatam condere leges poſſe, non ſecus ac Regem. Siquidem qua ratione capax eſt regni & iuriſdictionis, eadem poteſt leges fer-

ferre. Si vero nupta ſit, tum multi aſſerunt, ad maritum Regem facultatem legum ferendarum pertinere; quod ratione matrimonii uxor in eumdem talem tranſtulerit poteſtatem. Sed hæc opinio mihi falſa eſt. Regni hereditatem niſi voluntaria pactione, & ceſſione Regina transferat in maritum, vi matrimonii non fit hæc translatio. Dotem marito dare uxor debet; ſecus ſuam peculiarem hereditatem. Dignitatem ab uxore maritus participat, appellanduſque eſt Rex. Regimen familiæ, uxoris, & cetera, quæ viri ſunt, maritus peragere debet; ſecus regnum, quod uxor Regina poſſidet, gubernare, dirigere, legeſque ferre.

VII. Dictum ſupra eſt, ſummum Pontificem leges ferre poſſe pro univerſali Eccleſiæ regimine ſpirituali. Eſt enim divino iure Eccleſiæ caput. Ergo a Deo poteſtatem accepit Eccleſiam dirigendi. Nec multis opus eſt ut hanc confirmemus veritatem; cum innumera ſint volumina quibus illa demonſtrata, & ab ineptis nugis luthericis, & calvinicis aſſerta eſt. Porro non ſolum Petro, ſed ceteris quoque Apoſtolis poteſtatem ferendarum legum pro Eccleſiarum ſuarum regimine conceſſam fuiſſe, ex divinis ſimiliter Scripturis exploratum eſt. Inquit enim S. Lucas cap. VI. *Elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit.* Quemadmodum vero immediate omnes a Chriſto Domino electi fuere; ita ab eodem poteſtatem regendarum Eccleſiarum acceperunt. Conſtituit illos Principes ſuper univerſam terram, denuntians illis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* Ioan. XX. Et omnibus dixit: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit &c. Matth.* XVIII. & S. Paulus I. Cor. VI. *Neſcitis, quia Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia?* Si Principes, ſi Rectores ſupremos Eccleſiæ ſuæ Redemptor divinus Apoſtolos conſtituit; neceſſario iiſdem contulit iuriſdictionem illam quæ iuncta eſt ſupremæ poteſtati.

VIII. Verum quia Chriſtus IESUS, qui eſt ipſa ſapientia patris, optime ordinateque ſuam inſtituit rempublicam, illam ſub uno capite, ceu unicam dilectam ſponſam, delegit, omni ſchiſmate, & diviſione ſublata, atque a Petro ſupremo Principe, ſuoque Vicario pendere ceteros Apoſtolos voluit. Si enim ſinguli ſupremi fuiſſent, nulla ordinatione ſubiecti, ſchiſmata inter eos neceſſario exorta fuiſſent: nec ordinis, & iuriſdictionis unitatem ſervaſſent; atque adeo nec una dilecta, immaculata, & ſancta, ſed plures extitiſſent ſponſæ. Petro ergo, & eius ſucceſſoribus data eſt Poteſtas univerſalis in totam Eccleſiam. Et ideo ſola Petri Cathedra ſemper appellatur Apoſtolica, ob prærogativam perpetuam a Chriſto illi collatam. AEquales vocantur Apoſtoli, quia reipſa habebant poteſtatem univerſalem in univerſum orbem, in quem diſperſi fuere: necdum enim diœceſes, intra quarum confinia limitanda poteſtas eſſet, inſtitutæ erant. Idcirco illimitata ſingulis poteſtas neceſſaria tum temporis erat, ſemper tamen ad caput ſupremum

ordine ſervato. Quamobrem Petrus poterat ceterorum Apoſtolorum leges temperare, & moderari. Fundata, & aucta Eccleſia, atque in ſuas partita diœceſes, vel ipſe optimi regiminis ordo poſtulat, ne unus in alterius diœceſim falcem mittat; ſed ut quiſque ſuæ excolendæ vineæ operam navet. Cuiuſque reipublicæ recte inſtitutæ alius eſt initii, alius progreſſus, & incrementi modus regendi. Epiſcopi ergo Apoſtolis ſuccedunt in Epiſcopatu, ſecus in Apoſtolatu; ſeu, ad hos non tranſiit poteſtas univerſalis qua inſtructi Apoſtoli erant, ſed limitata intra propriæ diœceſis confinia, ſic exigente optimi regiminis & unitatis ordine. Hæc omnia penes Catholicos certa ſunt.

IX. Quod in diſputationem Theologi vocant, eſt, num Epiſcopi immediate a Chriſto, an a ſummo Pontifice poteſtatem iuriſdictionis accipiant in ſuas Eccleſias? Duo tamen inter eos certa ſunt. Primum, iuriſdictionem Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, ſive a Pontifice ſummo, ſive a Chriſto derivatam, ſubiectam eſſe capiti Eccleſiæ. Alterum, Epiſcopos in ſua diœceſi ferre leges poſſe, nulla petita a Pontifice facultate. Nihil tamen pro univerſa Eccleſia ſtatuere valent, ſeu leges quæ univerſale Eccleſiæ regimen ſpectant, aut limitare, aut extendere. Nihil ergo in fidei controverſiis, nihil in univerſali ieiunio, & aliis legibus univerſalibus mutare, aut alterare poſſunt. Quibus poſitis

X. Duplex eſt ſententia. Prima aſſerit, hanc poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopos a Pontifice immediate accipere: quia regimen Eccleſiæ monarchicum eſt: ergo ad unum revocari caput debet. Hoc autem fieri nequit, niſi ab hoc uno capite promanet in omnes inferiores Rectores poteſtas iuriſdictionis. Quam ſententiam confirmare ſtudent auctoritate S. Thomæ in IV. diſt. xx. quæſt. 1. art. 4. *Papa habet plenitudinem poteſtatis pontificalis quaſi Rex in regno; Epiſcopi autem aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi iudices ſingulis civitatibus præpoſiti*. Verum ex hac auctoritate non aliud concluditur, niſi quod Epiſcopi, veluti membra, a capite pendeant, eique ſubiecti ſint, ut unum cum capite morale corpus conſtituant; minime vero quod ab hoc capite poteſtatem accipiant, ut in corpore phyſico contingit. Siquidem ipſemet Chriſtus Dominus, & caput, & membra delegit, & omnibus, ſervato ſubiectionis ordine, poteſtatem neceſſariam contulit. Quare ſecunda ſententia docet, hanc iuriſdictionis poteſtatem Epiſcopos immediate a Chriſto Domino accipere. Quoniam Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Eorum dignitas, & officium ex Chriſti inſtitutione eſt. *Poſuit eos Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Act. xx. Si illos Rectores Eccleſiarum Spiritus ſanctus inſtituit: ergo ab eodem poteſtatem dirigendi Eccleſias ſuas acceperunt. Non per Petrum, ſeu mediante Petro, in eos regimen derivavit Eccleſiarum; ſed illoſmetipſos regere Eccleſiam deſtinavit. Ergo immediate contulit illis eam poteſtatem quæ Eccleſiarum regimini neceſſaria eſt.

XI.

XI. Si res ipſa ſpectetur, ſive una, ſive altera ſententia prævaleat, perinde fere eſt. Nam certum eſt in omnium ſententia, hanc Epiſcoporum poteſtatem a Chriſto Domino proficiſci. Certum quoque eſt, in poteſtate Pontificis haud eſſe Epiſcopum ſine hac poteſtate inſtituere. Diſſidium totum eo recidit, utrum Chriſtus per Petrum, an, hoc medio neglecto, in Epiſcopos ſuam derivaverit poteſtatem. Quod ſane diſſidium, ut mea minima præfert opinio, tanti non eſt, ut enucleari prolixius debeat. Ceteroquin in utraque ſententia ordo unitatis, & ſubiectionis peroptime ſervatur. Quoniam Pontifex ſummus corrigere errantes Epiſcopos, eorumdem leges, Eccleſiæ bono repugnantes, abrogare, poteſtatis exercitium, ſi Eccleſiæ utilitas poſtulet, coercere, & ea omnia quæ in bonum commune cedunt, conſtituere valet.

XII. Præter Pontifices ſummos, & Epiſcopos ſingulos, legum condendarum poteſtate pro univerſa Eccleſia, fruuntur in primis Concilia generalia, ut ex Apoſtolorum Actis *cap.* XV. planum eſt; neque negari abſque errore in fide id valet. Diſputatur dumtaxat, habeant ne leges iſtæ, ab oecumenico Concilio latæ, vim obligandi ante Pontificis confirmationem. Adfirmant plures; ſed communior, & mihi verior ſententia docet abſolute loquendo neceſſariam eſſe ſummi Pontificis confirmationem, ut præfatæ leges vim obſtrigendi Eccleſiam obtineant, quando Pontifex ipſe Concilio non præſideat. Tunc enim ſua præſentia confirmat, niſi contradicat. Idque & unitatis ordo, & perpetua conſuetudo, optima legum interpres, ſuadent. Siquidem in omni republica optime ordinata leges univerſales a capite potiſſimum obtinere approbationem debent. Exemplum omnibus Conciliis imitandum prætulit primum oecumenicum Concilium Nicænum, in cuius ſynodica epiſtola ad Sylveſtrum ſummum Pontificem hæc habentur: *Quidquid conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur, veſtri oris conſortio confirmentur.*

XIII. Quemadmodum Concilia generalia pro univerſa Eccleſia, ſic Concilia nationalia, quæ a Primate convocantur, quibus interveniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi pro tota natione; & provincialia, a Metropolita cum Suffraganeis celebrata, pro univerſa provincia; & diœceſana, quæ ab Epiſcopo cum ſuis Parochis, Abbatibus, & Decanis fieri ſolent, pro tota diœceſi ferre leges valent. Quæ leges vim obſtringendi ſubditos fideles continuo ac promulgatæ ſunt, obtinent, quin pontificia confirmatione opus ſit. Habent enim proprium, & immediatum caput, a quo obligandi poteſtatem obtinent. Si tamen quid diſſonum communi doctrinæ continerent, eaſdem abrogandi, aut corrigendi Pontifex ſummus facultate potitur, ratione ſui divini primatus, atque adeo iuriſdictionis in univerſam Eccleſiam. Hinc conſequitur, leges Concilii provincialis, a ſummo Pontifice confirmatas, in tota Eccleſia obſtringendi vim habere; ſi tamen declaret reipſa eiuſmodi leges extendendas ad univerſam Eccleſiam eſſe; ſecus, ſi ab-

ſolute, nullaque adiecta declaratione, Concilium, ſive nationale, ſive provinciale, ſive diœceſanum, confirmet. Tum enim leges confirmatæ nationis, provinciæ, diœceſis ſubditos devincirent.

XIV. Quæſt. unic. *Quid de declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium? Habent ne vim legis?* Reſp. Omnes adfirmant eiuſmodi declarationes ſummi momenti eſſe, maximoque in pretio habendas. Num autem vim legis habeant, ita ut non tantum in caſu particulari definito, ſed in aliis quoque ſimilibus obligent, in utramque partem Theologi diſputant. Prima ſententia negat, quod eiuſmodi declarationes quæ communiter circumferuntur, promulgatæ ſolemniter non ſunt; quemadmodum promulgari leges debent. Ergo legum prærogativa carent. Adfirmat altera ſententia, oppoſito nixa fundamento, quod leges noviter conditæ promulgatione egent, ſecus legum declarationes.

XV. Diſtinctione opus eſt. Si eiuſmodi declarationes coram Pontifice diſcutiantur, eaſque Pontifex approbet, confirmet, & promulgari in urbe eas iubeat, & a Præfecto Congregationis ſigillo munitæ prodeant; tum vim legis habent. Contra, ſi a ſolis Cardinalibus, inconſulto Papa, factæ ſint, tum vim legis non habent. Ut legis interpretatio vim legis obtineat, prodeat ab ipſo legiſlatore neceſſum eſt.

XVI. Capitulum Eccleſiæ cathedralis, mortuo Epiſcopo, condere leges obligantes valet, quæ tamdiu aſtringunt, donec fuerint ab Epiſcopo ſucceſſore abrogatæ. Capitulum enim Eccleſiæ cathedralis ſuccedit Epiſcopo mortuo in regimine tum ſpiritualium, tum temporalium bonorum. Regimen autem conſiſtere abſque iuriſdictione nequit.

XVII. Tandem Ordinibus Regularium adeſt inſtituendarum legum poteſtas tum ratione voti obedientiæ, tum ratione iuriſdictionis a Pontifice conceſſæ. Quæ leges, ut vim adſtringendi habeant, a Sede apoſtolica confirmatæ eſſe debent. Penes quas perſonas hæc condendarum legum poteſtas reſideat, a cuiuſque religionis inſtituto pendet. In aliquo Ordine, ut in meo *Prædicatorum*, ſolum Capitulum generale hac potitur facultate, & hac quidem limitatione, quod ter confirmata a tribus immediatis generalibus Capitulis ſanctio ſit, ut vim legis obtineat. Quarùmcumque tamen Religionum Superiores præcepta graviter obligantia edere valent, quibus parere ſub gravi culpa ſubditi aſtringuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De perſonis quæ legum humanarum obſervationi ſubditæ ſint.

I. QUæſt. I. *Principes ſupremi aſtringuntur ne leges a ſe latas ſervare?* Reſp. Primum omnium diverſitas imperantium diſtinguenda eſt. Nam quando ſuprema poteſtas reſidet penes rempublicam, ſive ariſtocraticam, ſive democraticam, dubio procul legum obſervationi aſtricti ſunt etiam illi qui præſident, ut Duces in Senatu, Epiſcopi in Conciliis. Omnes enim ſunt partes illius corporis, & ſingulæ toti ſunt ſubiectæ. Legum quoque ratio diverſa eſt. Nam aliæ ſunt quæ æque Principem, ac ſubditos decent; ut leges ieiunandi, precandi, æquitatis ſervandæ: aliæ quæ ſubditis, ſecus Principibus, conveniunt; ut quæ ſumptus immodicos, pompas, luxum, & cetera id genus vetant. Sermo nunc eſt de primis, ſecus de ſecundis legibus.

II. Principes ſupremi, ut Pontifices ſummi, Reges, & ceteri legumlatores aſtringuntur vi directiva ſervare leges a ſe latas, ſecus vi coactiva. Ita docet S. Thomas 1. 2. quæſt. xcvi. art. 5. ad 3. *Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege quantum ad vim coactivam legis: nullus enim proprie cogitur a ſeipſo. Lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quia nullus in ipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſuper illud Pſalm.* l. Tibi ſoli peccavi *&c. dicit Gloſs. quod* Rex non habet hominem qui ſua facta diiudicet. *Sed quantum ad vim directivam legis Princeps ſubditur legi propria voluntate: ſecundum quod dicitur extra de Conſtit. cap.* Cum omnes. Quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe eodem iure uti debet. *Et Sapientis dicit auctoritas:* Patere legem quam ipſe tuleris .... *Improperatur etiam his a Domino*, Qui dicunt, & non faciunt; *& qui* aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea movere, *ut dicitur Matth.* xxiii. *Unde quantum ad Dei iudicium Princeps non eſt ſolutus a lege quantum ad vim directivam eius; ſed debet voluntarius, non coactus, legem implere. Eſt etiam Princeps ſupra legem, in quantum, ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in ea diſpenſare pro loco, & tempore.*

III. Diſputant Theologi, undenam hæc Principum obligatio proficiſcatur. Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* vi. *art.* 7. Vaſquez 1. 2. *diſput.* clxvii. *cap.* vii. Aravius 1. 2. *quæſt.* xcvii. *diſput.* iii. *ſect.* 5. Martinez *Tom. II. quæſt.* xcvi. *art.* 5. *dub.* 1. *concluſ.* 4. & alii plures ſuſtinent, obligationem hanc conſequi legem ipſam. Quamobrem aſſerunt peccare mortaliter ipſum ſummum Pontificem, niſi recitet Ho-

Horas canonicas, audiat Sacrum, ſervet ieiunia, legitima diſpenſatione, quæ ſemper rationabilem cauſſam poſtulat, ſublata. Quoniam, ut omnes fatentur, Princeps vi directiva legi ſubiectus eſt: ergo legem violans in materia gravi, peccat mortaliter contra illam virtutem in qua legem tranſgreditur.

IV. PP. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* III. *punct.* 3. *num.* 40. ſe numquam intelligere potuiſſe fatentur, quomodo legislator valeat per ipſam legem obligari: quia lex eſt imperium ſuperioris, & nemo in ſe ipſum politicum imperium exercere poteſt: quoniam par in parem non habet imperium. Reiiciunt adverſæ ſententiæ rationes. Princeps, inquiunt, neque ut Dei miniſter, & per virtutem ab ipſo receptam, ſe aſtringere valet; alioquin & Sacerdos poſſet ſe ipſum abſolvere. Item, ſi Princeps ſubiectus legi dirigenti eſſet, pœnas quoque ſubire deberet: quod non concedunt Auctores adverſæ ſententiæ. Et concludunt *num.* 42. Principes ex ſola congruitate; proficiſcente ex iure naturali, legum a ſe latarum obſervationi aſtrictos eſſe. Quamobrem non peccare illos mortaliter contra leges a ſe latas, etiam in materia gravi violatas, probabile putant laudati Patres, præciſo ſcandalo. Pro qua opinione citant *Bonacinam*, *Dianam*, *Vivaldum*, *Azorium*, *Rodriguez*, & *Caſtropalaum*. Eam quoque amplectitur P. Claudius La-Croix *Lib. I. cap.* II. *num.* 675.

V. Hæc opinio falſa mihi eſt, vanæque ratiunculæ ſunt quibus nititur. Recta ratio ſupra Principes & Legislatores omnes dominatur. Huic parere Principes omnes debent. Ab hac recta ratione lex omnis iuſta dimanat. Hæc recta & ſuprema ratio, quid bono communi expediat, quid repugnet, definit, legeſque condit. Quid ergo obtruditur: Par in parem non habet imperium? Suprema ratio parem non habet; ſed omnibus imperat. Hæc recta ratio principium eſt iuris naturalis: & ideo ab ipſo naturæ iure proficiſci aſſero vim illam quæ legibus Principes ſubiicit. Ratiunculæ quæ opponuntur, nempe Sacerdotem non poſſe abſolvere ſeipſum, vanæ ſunt. Nam divina eſt, & ſupernaturalis lex abſolutionis, in quam nullam habet Sacerdos poteſtatem; ſed illa uti iuxta Dei præſcriptum debet. Vis directiva illa eſt quæ ſub culpa obſtringit. Coactiva poteſtas præſupponit culpam. Si igitur iuxta Salmanticenſes legi dirigenti parere Principes debent, hi legi obliganti ad culpam ſubiecti ſunt; cum lex, quatenus dirigens & præcipiens eſt, aſtringat ſub culpa. Vis coactiva adiicitur: quia homines ſæpe plus pœnas quam culpas verentur. A lege itaque pœnali ſoluti Principes ſunt; minime a lege dirigente, ſeu præcipiente ſub culpa. Paucis verbis hanc doctrinam expreſſit Angelicus inquiens: *Unde, quantum ad Dei iudicium Princeps non eſt ſolutus a lege quantum ad vim directivam eius: ſed debet voluntarius, non coactus, legem implere.* Divino ergo iudicio tenetur Princeps legem implere. Peccat igitur, & quidem graviter, ſi in materia gravi legem a ſe latam tranſgreditur. Immerito ergo Salman-

manticenſes pertrahere in ſuas partes audent S. Thomam, dum aiunt, non peccare graviter Principem, præciſo ſcandalo. Supponunt ergo ſubditos ſcandalum pati, dum Principes vident legum violatores. Quoniam exemplo ſubditis præire debent Principes, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Severiſſima obiurgatio Chriſti in Phariſæos, quam S. Thomas ſuæ doctrinæ inſeruit, luculentius confirmat ſententiam noſtram. Si ſubditi ſcandalum patiuntur, dum vident Principes legumlatores violare leges; conſequitur, communem iſtorum ſenſum eſſe, Principes legibus eſſe ſubiectos.

VI. Omnes tandem fatentur, teneri Principes ſervare leges rerum pretia taxantes: quia iure naturæ hæ ſervari debent. Item leges irritantes aliquem contractum: quia ius naturæ iubet ut contrahentes ſint æquales, repugnatque iuri naturali ut una pars contrahentium legi, ſecus altera, ſubiecta ſit. Poteſt tamen Princeps ex rationabili cauſſa ſecum in lege diſpenſare, ut dictum eſt. Quare, ſi Princeps teſtamentum conderet, omiſſis ſolemnitatibus præſcriptis a legibus, quas ipſe rogavit, validum eſſet: quia præſumendum eſt, ſe voluiſſe ab eiſdem, diſpenſatione media, liberare. Principes itaque ſervare quantum ad Dei iudicium leges tenentur: a ſubeundis latis pœnis in tranſgreſſores liberi ſunt. Uxores Principum non ſecus ac alii ſubditi, legibus parere obſtringuntur.

VII. Quæſt. II. *Sint ne pueri ſeptennes legibus ſubiecti?* Reſp. P. Claudius La Croix *Lib. I. cap. 11. num. 676.* refert Buſembaum cum multis aliis pro ſententia adfirmante; & pro ſententia negante Dianam, Caſtropalaum, Burghaberum, & alios: concluditque more ſuo: *Utraque ſententia eſt ſatis probabilis*. Nos vero, quibus hæc ſcribendi ratio diſplicet, dicimus, ſeptennium aſſignari pro tempore congruo quo communiter præſumitur, pueros lumine rationis perfuſos eſſe. Ceterum, ſi aliquibus pueris lumen iſtud ante ſeptennium affulſerit; hi eiuſdem ſequi dictata debent. Hoc lumine perfuſi pueri ante ſeptennium peccant, ſi ius naturæ violant. Quidni ergo peccabunt, ſi leges eccleſiaſticas violent? Si, completo ſeptennio, uſu rationis carent, a peccato excuſantur, quod libertate ſint deſtituti: ergo, ſi ante ſeptennium reipſa ſint lumine rationis illuſtrati, atque adeo libertate præditi fuerint, legibus ſervandis aſtricti erunt. Completo vero ſeptennio, illucente rationis lumine tenentur confiteri, audire Sacrum, abſtinere a carnibus; ut fuſius in explicandis Eccleſiæ præceptis dictum eſt.

VIII. Quæſt. III. *Quomodo infideles, amentes, ebrii a legum obſervatione excuſantur?* Reſp. Infideles legibus eccleſiaſticis ſubiecti non ſunt, quia nulla in eoſdem Eccleſia iuriſdictionem habet. Amentes vero, ebrii, aliique infirmi comprehenſi ſunt ſub lege; ſed a lege excuſantur ob amentiam, vel ignorantiam, aut infirmitatem. Heinc colliges, minime peccare eos qui amentibus, pueriſque ante rationis uſum carnes porrigunt comedendas diebus eſurialibus, a Miſſa audienda retra-

trahunt diebus feſtis, qui pueros ante ſeptennium, uſumque rationis inducerent in monaſteria Sanctimonialium. Peccarent tamen qui infideles, aut amentes adultos in monaſteria præfata introducerent. Quoniam, etſi amentes, vel infideles non ſint legis eiuſmodi obſervationi adſtricti; tamen, quia ex eorumdem ingreſſu eadem abſurda conſequi poſſunt, ac ſi legibus ſervandis obnoxii eſſent; idcirco qui eoſdem illuc ingredi curarent, graviter delinquerent.

IX. Quæſt. IV. *Tenentur ne Clerici parere legibus civilibus?* Reſp. P. Claudius La Croix *loc. cit. numer.* 678. pro ſententia affirmante refert Caſtropalaum; & pro negante Suarez, Vaſquez, Azorium, Filliucium, Laymanum, Buſembaum, & alios, aſſerentes *probabiliter* non obligari. Vis Probabiliſmi ubique ſerpit.

X. Salvo privilegio exemptionis, Clerici ſubiecti ſunt legibus civilibus: quia ſunt membra reipublicæ, & veri cives. Scriptura ipſa divina eoſdem ſubiicit Principum legibus, ut ex verbis Pauli Apoſtoli ad *Rom.* III. colligitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Quod teſtimonium ſic exponit Theodoretus: *Et Sacerdos, & Antiſtes, & monaſticam vitam profeſſus iis debent parere quibus demandati ſunt principatus*. Doctrina iſthæc abſolute vera eſt. Hæc tamen non impedit quominus Clerici immunitatis eccleſiaſticæ privilegio fruantur. Quæ immunitas alicubi maior, alicubi minor eſt. Ideo quiſque ſuæ patriæ conſuetudinem conſulere debet.

XI. Quæſt. V. *Peregrini, & advenæ ſubiecti ne ſunt legibus ſuæ patriæ, & locorum per quæ tranſeunt?* Reſp. Peregrini dicuntur qui a loco propri domicilii recedunt redeundi animo. Vagi nullibi ſedem fixam habent. Advenæ & forenſes in uno loco domicilium habent; in alio habitant. Certum eſt peregrinum, advenam, forenſem, ad aliquem locum accedentem animo ibi perpetuo manendi, continuo eiuſdem loci legibus obnoxium eſſe: quia tum incola eiuſdem loci fit. Similiter qui animo manendi maiori anni parte accedunt ad aliquem locum, ut Scholaſtici univerſitatis, illius loci legibus ſubiecti ſunt, & eiuſdem forum ſortiuntur, & parochiam. Certum quoque eſt, quando leges eædem ſunt in propria patria, & in loco per quem advenæ, & peregrini tranſeunt, aſtringi eiuſmodi peregrinos, & advenas iſtarum legum obſervationi. Certum tandem eſt advenas, & peregrinos debere illas leges locorum ſervare quæ ſpectant contractuum, teſtamentorum, matrimoniorum ſolemnitatem; & illas quarum tranſgreſſio detrimentum infert loci, per quem fit tranſitus, habitatoribus.

XII. Quæſt. VI. *Peregrini, advenæ, & forenſes aſtringuntur ne ſervare leges loci per quem tranſeunt ſine animo ibidem commorandi, ſi maneant unum aut alterum diem?* Reſp. In duas oppoſitas opiniones diviſi Auctores ſunt. P. Viva *quæſt.* III. *art.* 3. *num.* 6. laudat *Suarez*, *Salas*, *Caſtropalaum*, *Leſſium*, & alios apud Dianam, ſuſti-

ſuſtinentes, illos teneri, maxime ſi ibi permanſuri ſint aliquot diebus. Subdit continuo, ſe probabiliorem indicare ſententiam *Sanchez*, *Bonacinæ*, & *Azorii*: quia brevis mora non eſt ſufficiens ad iniiciendam advenis hanc obligationem. PP. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* III. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 56. referunt pro prima ſententia plures præter laudatos Theologos. Sed *num.* 58. addunt: *Quamvis dicta ſententia ſit probabilis, non minus eſt probabilis ſententia negans.*

XIII. Noſtra ſententia eſt, eiuſmodi peregrinos, advenaſque obſtringi legum locorum per quæ tranſeunt, obſervationi. Quoniam id tranquillitati, ordini, & paci, optimique regiminis politiæ expedit. Adverſa ſententia exleges efficit eiuſmodi advenas, peregrinos, & forenſes. Nam propriæ patriæ legibus non ſunt ſubiecti, neque locorum per quæ tranſeunt. Exleges ergo ſunt diebus præfatis reſpectu civilis, & eccleſiaſtici regiminis. Quid quod ſanctus Ambroſius quæſtionem hanc definivit? ut habetur ex *epiſt.* CXVIII. apud S. Auguſtinum: *Cum Romam venio, ſabbatum ieiuno: cum Mediolani ſum, non ieiuno. Sic & tu, ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, neque quemquam tibi.* Quæ auctoritas refertur *diſt.* XX. *cap. Illa*: & Gloſſa animadvertit heinc dimanaſſe hos verſus:

Cum fueris Romæ, Romano vivito more:
Cum fueris alibi, vivito ſicut ibi.

XIV. Recentiorum ne Probabiliſtarum auctoritas hanc S. Ambroſii ſententiam, ſacris canonibus inſertam, æquare valet? Quid quod non Ambroſius modo, verum etiam Auguſtinus conceptis verbis Probabiliſtarum horum improbat opinionem? Etenim *Lib. III. Confeſſ. cap.* VIII. inquit: *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt; ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Adfirmant vel ipſi Probabiliſtæ teneri peregrinos, advenaſque ſolvere Principibus locorum per quæ tranſeunt, tributa, vectigalia, ceteraque onera civilia. A tributis vero quæ eccleſiaſticæ poteſtates Deo ſolvenda imponunt, vi Probabiliſmi Chriſtifideles ſolvunt.

XV. Quod obtrudunt Salmanticenſes de Sacerdote Græco, qui tranſiens per loca Latinorum iuxta ritum ſuum celebrare valet, vanum eſt: quia privilegio peculiari potiuntur Græci ſuum ubique ſervandi ritum. Quod ſecundo opponunt Salmanticenſes, inquientes *loc. cit.* moraliter non eſſe in aliquo loco qui maiore parte anni ibi non commoratur, magis abſonum eſt, & nimiam præfert laxitatem. Qui ergo quatuor, quinque, & ſex menſibus in aliquo morantur loco, exleges ſunt; cum non teneantur eiuſdem loci ſervare leges. Et hanc opinionem æque probabilem reputant ac oppoſitam? Apage ſimilia Probabilitatis commenta. Va-

num

num quoque eſt quod opponit *P. Viva*, nempe brevem moram non efficere aliquem ſubditum legibus loci per quem tranſit. Nam verum eſt, non efficere ſubditum abſolute; ſed tantum pro illa mora qua in eodem detinetur loco. Solus tranſitus conſtituit advenas, & peregrinos ſubditos ad ſolvenda tributa, & gabellas. Ergo hæc mora multo magis eos ſubditos efficit, ut ſolvere ſpirituale tributum debeant.

XVI. Advenæ igitur, & peregrini eas ſervare locorum leges debent quarum obſervantia non maiorem temporis, quo ibidem detinentur, longitudinem poſtulat. Nec enim ibidem diutius commorari aſtringuntur, ut implere leges valeant. Dum quis tranſit per locum, ubi dies feſtus eſt, ad alium, ubi non eſt dies feſtus, intercipere iter non tenetur, ut ibi Sacrum audiat. Quin, ſi ibi detinere ſe tantum deberet, ut equo pabulum, aut ſibi cibum ſumeret, præciſo ſcandalo, non aſtringeretur longiores agere moras, ut Sacrum audiret. Tenentur vero Sacrum audire, ſi in eodem loco pernoctarunt, aut ſi feſtum ſit in toto territorio, quod percurrere uſque ad meridiem debent. Præcepta vero negativa, ut abſtinendi a carnibus, ſemper implere debent: quia hæc longam non expoſcunt moram.

XVII. Quæſt. VII. *Peregrini, & advenæ tenentur ne leges patriæ, a qua abſunt, ſervare?* Reſp. Communis, & vera ſententia eſt, peregrinos, & advenas non eſſe ſubiectos legibus proprii territorii, a quo abſque fraude abſunt. Idque declaratum eſt Cap. *Ut animarum* de Conſtitution. in 6. ubi Bonifacius VIII. hæc decernit. *Statuto Epiſcopi, quo in omnes qui furtum commiſerunt, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi eius, extra eius diæceſim exiſtentes, minime ligari noſcuntur; cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.* Ratio eſt evidens. Quilibet legislator in condendis legibus reſpicit utilitatem, tranquillitatem, & commodum proprii principatus. Dum ſubditi extra principatum commorantur, nec turbare, nec fovere tranquillitatem, & pacem eiuſdem valent.

XVIII. Quæſt. VIII. *Peccant ne qui deliberato animo diſcedunt a proprio territorio ubi lex ieiunii, aut feſti viget, ut alio ſe transferant ubi eiuſmodi leges non ſunt?* Reſp. P. Claudius *La Croix* refert *Sanchez*, *Suarez*, *Bonacinam*, *del Bene*, & alios ſeptendecim cum *Illſung*, & *Paſqualigo*, docentes, per ſe iſtos non peccare, ſeu non eſſe præfatæ legi ſubiectos. Pro adverſa ſententia refert *Salas*, *Sayrum*, *Ledeſmam*, & alios quinque. Adhæret primæ. Excipiunt legem Tridentinam circa matrimonium. P. Dominicus Viva *quæſt.* 111. *art.* 3. *num.* 8. aſſerit, communem eſſe opinionem quæ docet, poſſe quemquam eo animo recedere a propria civitate, & loco ubi viget lex ieiunii, & eo ſe transferre ubi non viget. Hanc eamdem opinionem defendunt Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* III. *punct.* 5. *num.* 63. Ratio iſtorum iuniorum eſt, quia Chriſtiani in hac fuga a legis obſervantia utuntur

tur

Digitized by Google

tur iure ſuo. Præceptum, inquiunt, non vetat exire a tali civitate; ſed obligat tantum ibi commorantes, ut legem ſervent.

XIX. Hæc opinio falſa, & laxa eſt, nulla, ut ego quidem arbitror, probabilitate fulta. Quare dico, abſolute eiuſmodi Chriſtianos eſſe verſutos legum tranſgreſſores. Hanc noſtram ſententiam docet ipſe S. Thomas 2. 2. quæſt. cxlvii. art. 4. ad 3. *Circa peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur: quia, ſi peregrinatio, & operis labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ ieiunia prætermittenda*. Si vel ipſa peregrinatio, bono animo ſuſcepta, differenda ſit, dum commode poteſt, ut lex ſervetur; licitum ne erit callido animo peregrinationem ſuſcipere, ut lex eludatur? Quid quod vel ipſi Probabiliſtæ excuſare non audent eum qui die feſto abſque neceſſitate iter ſuſciperet, aut die ieiunii, animo ſubterſugiendi Miſſam, vel ieiunium?

XX. Ratio ſententiæ noſtræ eſt: quia *nemini ſua fraus debet patrocinari*, ut habetur cap. *Ex tenore*, de reſcript. Patrocinaretur autem iſtis fraus, & quidem manifeſta, ſi animo eximendi ſe ab obſervantia legum eo ſe transferrent ubi leges non ſunt. Non eſt fraus, inquiunt Probabiliſtæ, in eum ſe transferre locum ubi lex non obligat. Aliud eſt enim, inquit *P. Viva*, ponere impedimentum ad executionem præcepti obligantis; aliud vero fugere obligationem. Theologis cavillationes iſtæ, & nugæ non congruunt. Meri enim verborum luſus ſunt huiuſmodi argutationes. Ediſſerant nobis. Si quis dolo, & fraude circumvenire leges præfatas vellet, qua alia via, niſi indicata, id præſtare poſſet? Nec opus aliis argumentationibus eſt; cum ipſe communis ſenſus hanc aſtutam, & vafram fugam perhorreſcat. Lex non vetat exitum e loco, bona fide ſuſceptum; ſed lex ipſa naturalis, cuique inſita, prohibet dolum, fraudem, aſtutiam, qua lex eludi tentatur. Urbanus VIII. in Brevi ad Archiepiſcopum Colonienſem declarat, incolas loci ubi Synodus Tridentina viget, immigrantes alio ubi non obtinet, animo contrahendi clandeſtine matrimonium abſque domicilii mutatione, non contrahere legitimum matrimonium, ob hoc principium quod fraus, & dolus favere nemini debeant. Et ſi non favet fraus ad hanc Tridentinam legem eludendam; cur patrocinari debet ad alias violandas? Inquient, eſſe ſpecialem rationem, cur in hac, ſecus in alia lege, patrocinari fraus non debeat. Sed ediſſerant nobis hoc peculiare diſcrimen. Fraus quippe eadem eumdem ſemper effectum parit. Verba innumera conglomerant Probabiliſtæ, ut diſcrimen aſſignent inter eum qui executioni legis impedimentum apponit, & eum qui fugam arripit, ut legis obſervantiam declinet. Sed omnia ſunt vana, & inepta effugia, quæ longiorem non poſtulant confutationem.

XXI.

XXI. Quæſt. IX. *Qui diſcedit die feſto a proprio loco, tenetur ne ante diſceſſum Sacrum audire?* Reſp. Salmanticenſes *loc. cit. num. 6.* reſpondent, certum eſſe apud omnes hunc non obſtringi audire Miſſam, ſi, antequam exeat, vel illo quo exit tempore Miſſa non celebretur: quia non tenetur aliud tempus expectare. Oppoſitum conceptis verbis docet S. Thomas loco mox a nobis laudato. Tenetur enim expectare, niſi damnum, aut neceſſitas excuſent. Subdunt, quod, ſi tempore diſceſſus celebretur Sacrum, & aliud non ſuperſit, tenetur tunc præfatus Chriſtianus audire Miſſam.

XXII. Quid, ſi toto mane Miſſæ celebrentur, & tu velis exire circiter horam tertiam, aſtrictus ne es Sacrum audire? Pro ſententia adfirmante laudant *Suarez*, *Filliucium*, *Laymanum*, & alios. At illi *verius* negant. Audi illorum argumentationem, quam totidem reſcribere verbis lubet. „ Quia (inquiunt num. 67.) „ ſi in illo loco eſt hora octava matutina, & ſint in eo aliæ Miſſæ hora decima, aut undecima dicendæ, non obligaris audire Miſſam hora octava, cum „ poſſes alia hora audire illam. Sed non teneris expectare totum tempus, pro „ quo obligat præceptum. Ergo, ſi exeas, iam non teneris ullo modo; cum iam „ ſis ab obligatione exemptus. Unde non teneris prævenire obligationem, tametſi „ ſcias impedimentum ſuperventurum. “ Pro hac opinione laudant *Tapiam*, *Dianam*, *Caſtropalaum*, *Sanchez*, *Salas*.

XXIII. Tu, chriſtiane lector, iudex eſto, quo indulgentiæ, ne dicam laxitatis, adducat novus opinandi modus probabiliſticus. Si una tantum celebretur Miſſa, illam audire aſtringeris. Si toto mane uſque ad meridiem Miſſæ celebrentur, ſolutus a lege es? Quid, ſi ſapientes Ethnicorum ſimilia legerent paradoxa, quæ (ut mea minima præfert opinio) ſenſum lædunt communem, quæ bonam fidem violant, horroremque ingerunt extremum? Quid his declamationibus, & invectivis cauſſam tuam agis? Ita ſane. Nam adeo rectæ rationi adverſa recenſita mihi apparet opinio, ut eamdem vel refellere pigeat. Nam, ſi omnes conſulantur Chriſtiani, probabilitatis abuſibus non præventi, omnes uno ore fatebuntur, ſe debere audire Sacrum illa hora qua commode valent, dum prævident ſuperventurum impedimentum.

XXIV. Quæſt. X. *Qui diſcedit a proprio loco in quo obtinet præceptum ieiunii, ad locum in quo nullum eſt ieiunii mandatum, poteſt ne ientaculum ſumere?* Reſp. Indignaris fortaſſe mihi, quod tam vanas, & fere nugaces quæſtiunculas proponam? Sed hæ ſunt familiares non paucis Caſuiſtis. Pro ſententia, adfirmante te poſſe ſumere ientaculum, recenſent Salmanticenſes *loc. cit. numer. 68.* *Sanchez*, *Suarez*, *Filliucium*, & *Dianam*: quia ieiunii præceptum eſt individuum, inquiunt. Ergo ientaculum ſumere poteris in loco unde diſcedis, & prandium, & cœnam in loco ad quem pervenies. E contrario, ſi in loco unde profici-

ſce-

Digitized by Google

ſceris, non eſt ieiunium, perventurus in patriam ubi eſt ieiunium, poteris prandere, antequam exeas, & veſci carnibus; ſero autem cœnare, non tamen carnes comedere. Pro ſententia negante laudant *Caſtropalaum*, *Baſilium Ponte*, & *Granadum*: quia, inquiunt iſti, antequam egrediaris, nondum adeſt excuſationis cauſſa, nec ſat eſt ſpes futura exemptionis; ſicuti ſpes futuri privilegii non te eximit ab obſervantia ieiunii, antequam illud aſſequaris. Concludunt vero Salmanticenſes *num.* 70. his verbis. „ *Inter has duas ſatis* „ *probabiles ſententias mediam tenemus*, & dicimus, rationem habendam eſſe de „ loco ubi maiori parte diei unuſquiſque invenitur, ut dicamus poſſe, vel non „ poſſe frangere ieiunium illud de quo loquimur: quia frequentiſſimum eſt in „ moralibus quod maior & potior pars trahat ad ſe minorem. " Nos vero dicimus, & frequentiſſimum, & in ſubiecta materia allegatum principium damnatum eſſe ab Eccleſia. Damnatum eſt in recitatione Horarum canonicarum, damnatumque inferimus in præcepto ieiunii, quod non ſecus ac illud dividuum eſt. Quare falſum eſt quod docent laudati Patres, te poſſe frangere ieiunii præceptum, ſi moraris in loco ubi viget uſque ad decimam horam; in alio vero loco ubi præceptum non urget, comedere ad libitum. Siquidem omnia quæ Auctores citati adducunt pro ſuis opinionibus firmandis, mera effugia mihi videntur ad leges circumveniendas, eludendaſque. Ieiunium ergo, & cetera præcepta ſervare debes, uſquedum moraris in locis ubi præcepta vigent. Ita præſcribit vel ipſe communis ſenſus. Principium cui nituntur adverſarii, nempe quod præceptum ieiunii indiviſibile ſit, falſum omnino eſt; ut iam adnotavi, & in libro inſcripto *Quareſima Appellante* fuſe probavi.

XXV. Quæſt. XI. *Quid dicendum ſit in caſu quo eſt ſpeciale præceptum & in loco, unde diſcedis, & in loco, ad quem accedis?* Reſp. Quæſtiunculam hanc proponit P. Claudius La Croix *Lib. I. cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 686. eamque ita exponit. Titius exit e loco ubi eſt ſpeciale ieiunium. Diſcedit e parochia ſua, ubi eſt ſpeciale præceptum ſervandi feſtum Sancti Patroni Eccleſiæ; & accedit ad aliam parochiam, ubi eſt quoque ſpeciale feſtum Patroni eiuſdem parochiæ. Quid tum? Aſtringitur ne ieiunare, aut audire Sacrum? Reſpondet P. La Croix. „ „ Plures cum Caſtropalao dicunt teneri. Sed Ioannes Sanchez ... cum Tamburino ... & Burgabero *probabiliter* negant: quia in primis non tenetur ratione „ ſpecialis præcepti in ſuo territorio ex quo exit ... deinde nec tenetur ratione „ ſpecialis præcepti in altero territorio ad quod venit: quia non eſt ſubditus „ iuriſdictioni horum Superiorum. Ergo neutro præcepto tenetur: & conſequenter, ſi abſit ſcandalum, poterit non ieiunare, non audire Sacrum, ſed indulgere ſervilibus. "

XXVI. Vin' lepidiora, & dulciora? Hactenus ab unico præcepto, unde proficiſce-

Digitized by Google

ſceris, animo illud eludendi te liberarunt Caſuiſtæ multi. Tu nunc Charybdim declinans, in Scyllam te lapſum vides: quod in illo ipſo loco quem, animo te ſubducendi præcepti oneri, petis, aliud offendis præceptum ſimile. Et tamen tanta eſt Probabiliſmi vis, & efficacitas, ut ab his quoque ſcopulis, & laqueis te eripiat, & faucibus tuis opipara convivia inſtruat, & ab onere audiendi Sacri te exſolvat.

XXVII. Hæc ſunt nova argumenta, ut mihi videtur, unde colligere vales novam opinandi methodum, quæ, invitis Auctoribus, bona fide illa utentibus, ſe ipſa eo recidit, ut leges tum divinas, tum humanas eludat. Undique verſum præceptorum vinculis Chriſtianus devincitur. In loco unde egreditur, obſtrictus eſt; in loco ad quem accedit, iterum ligatur: & opinandi modus occurrit adeo ſubtilis, quo Chriſtianus iſte omnia hæc ligamina impune frangat, &, ſolutis vinculis, queat & ventri indulgere, & ludis, quin vel Sacrum audire, vel gulam ieiunii ſeveritate coercere aſtringatur? Et quia hæc elata voce improbamus, declamationis, & exaggerationis arguimur.

XXVIII. Quæſt. XII. *Diœceſanus valet ne confinia diœceſis egredi eo animo, ut a peccatis reſervatis quæ proprio Parocho confiteri recuſat, abſolvatur?* Reſp. Clemens Papa X. in ſua conſtitutione *Superna* conceptis verbis prohibet ne Regulares abſolvant advenas, & peregrinos a peccatis, reſervatis in propria diœceſi, e qua diſcedunt hoc animo obtinendi abſolutionem in alia diœceſi, in qua præfata peccata non ſunt reſervata. P. Dominicus Viva *quæſt.* 111. *art.* 3. *num.* 9. refert P. Suarezium, Baſilium de Leon, alioſque, propugnantes poſſe hunc abſolvi qui hoc animo declinandi reſervationem in aliam peregrinatur diœceſim. „ Quamvis (inquit P. Viva) Clem. X. in laudata conſtitutio„ ne prohibuerit Regularibus (& eadem videtur eſſe ratio in hoc de ſæcularibus Confeſſariis) ne hos abſolverent, ſi in fraudem reſervationis id facerent, „ hoc eſt, ut explicat Platelius *numer.* 909. ſi id faciant ad declinandum pro„ prii Epiſcopi iudicium. Hac autem fraude circumſcripta, *ſi peregrinentur, ut* „ *opportunitatem habeant abſolutionis, quam in propria diœceſi habere non poſ*„ *ſunt, abſolvi poterunt*. Siquidem non dicitur fraudem committere qui utitur „ iure ſibi conceſſo. Concedit autem ius commune ut quilibet peregrinus poſ„ ſit abſolvi a quolibet Confeſſario a peccatis omnibus non reſervatis in diœ„ ceſi, ubi confitetur; quamvis ea ſint reſervata ubi pœnitens ea peccata com„ miſit. "

XXIX. Ius commune concedit facultatem, ut quilibet peregrinari poſſit ea intentione ut abſolutionem a reſervatis obtineat? Sed hoc ius commune reſtrinxit Clemens X. Alterutrum ergo. Aut Clemens X. non potuit hoc ius reſtringere, aut invalida abſolutio eſt. Sed Clemens X. abſolutionem prohibuit, quan-

quando in fraudem declinandi iudicium proprii Epiſcopi quis aliam petit diœceſim. Egregie. Sed quando hæc fraus perpetratur, niſi cum quis *ea intentione* ad aliam accedit diœceſim, ut ibi abſolvatur? P. Viva autem de eo loquitur qui *hac intentione* peregrinatur. Si hæc fraus non eſt, quænam erit in quæſtione noſtra? An neceſſe eſt ut peregrinus dicat: *Diſcedo a mea diœceſi, & aliam peto, ut deludam iudicium mei Epiſcopi?* Hac ne expreſſa contemptione opus eſt, ut fraudem illum committere dicamus? Quis adeo inſanierit, ut id adfirmet? Ad veram ergo fraudem, de qua Pontifex loquitur, ſufficit aliquem peregrinari, ſeu diſcedere a propria diœceſi, & aliam adire, *ut opportunitatem habeat abſolutionis, quam habere non poteſt in propria diœceſi*, ut loquitur P. Viva. Et hæc agendi ratio non opponitur Clementinæ conſtitutioni? P. Suarez ſcripſit ante conſtitutionem Clementis X. ideo excuſatione dignus eſt; ſi tamen præfatam opinionem defendit. An vero qui poſt hanc conſtitutionem ſcripſerunt, excuſatione digni ſint, ceteri iudicent. Ni fallor, ſæpiuſcule P. Viva extenuat propoſitiones ab Eccleſia proſcriptas. Quod non alia ratione, occaſione data, id repeto, niſi ut lectores cauti ſint in legendis commentariis, & ſententiis quas dictus Auctor bona fide, & pia intentione faciliorem reddendi legum obſervantiam propugnavit.

XXX. Quæſt. XIII. *Si peregrinus committit delictum extra locum ſui domicilii, puniri ne a proprio Superiore valet ob hoc delictum?* Reſp. P. Viva refert Baſilium de Leon, & Gabrielem, docentes, Superiorem non poſſe punire ſubditum degentem extra territorium, nec ob delictum intra, nec ob delictum extra territorium perpetratum. Quam opinionem ille reiicit, & ſubſcribit communi, quæ docet verum eſſe non poſſe Superiorem punire ſubditum, quando tam is, quam res ab eodem commiſſa extra territorium extant; ſecus, quando delictum perpetratum ſit intra territorium. Quare, ſi ſubditus degens extra territorium occidat ſclopo, aut ſagitta hominem exiſtentem intra territorium in quo cenſuræ latæ ſunt in homicidas; is obnoxius erit cenſuris: quemadmodum qui extra templum degens, & ſclopum explodens, interficit hominem in templo extantem, excommunicationem incurrit latam contra occidentes in Eccleſia. Similiter Beneficiarius extra diœceſim degens, atque adeo non reſidens in loco ſui beneficii, obnoxius eſt excommunicationi latæ a proprio Epiſcopo adverſus non reſidentes. Utique Superior exercere iuriſdictionem contentioſam extra territorium nequit; at non propterea deſinit eſſe iudex delictorum quæ ſubditus, etiam extra territorium exiſtens, modo dicto perpetravit. Licet ergo Superior ius dicere, & iudicium contentioſum inſtituere extra ſuum territorium nequeat; tamen ſtatuere plura valet quæ obligent ſubditos, etiam extra territorium degentes. Poteſt Epiſcopus iubere ne Presbyter ſubditus extra

 diœ-

diœceſim celebret; quemadmodum Provincialis regularis ſub pœna excommunicationis præcipere ſubdito valet ut extra provinciam exiſtens ieiunet, abſtineatque a tali officio. Advertendum tamen, quod, ut Superior poſſit ferre præceptum in ſubditos extra provinciam, ſeu territorium degentes, neceſſe eſt ut ſubditi non transferant domicilium; ſed remaneant reipſa ſubditi proprii Epiſcopi, aut Provincialis. Si enim efficiantur ſubditi alterius Epiſcopi, aut Provincialis, tum ceſſat omnis in eoſdem poteſtas.

DIS.

DISSERTATIO V.

DE LEGUM HUMANARUM EFFECTIBUS, ET VI OBLIGANDI.

PRAELOQUIUM.

PAucis diſſertationem hanc expediam, quod argumenta in eadem tractanda nec momentoſa, nec implicata difficultatibus ſint. Occurrent aliquæ Caſuiſticæ opiniones convellendæ, potiſſimum invectæ a Caramuele, laxarum opinionum magiſtro, & defenſore. Sed eas brevi manu explodam, non ſecus ac paucas aliorum qui Caramuelis veſtigia perſequi voluere. Potiſſima, & gravioris momenti controverſia diſpicienda obligationem legis dubiæ ſpectat, contra quam allegare Probabiliſtæ ſolent illud effatum: *Melior eſt conditio poſſidentis*: cuius legitimo ſenſu baſilice abutuntur. Paucis quoque hanc controverſiam abſolvam; cum alibi ex inſtituto eamdem verſaverim. Et quoniam brevis eſt diſſertatio, breve quoque Præloquium eſto. Ad rem.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ Caſuiſtarum.

HUcuſque adverſus hæterodoxos Ictos decertatum ut plurimum eſt: ideo Caſuiſtarum laxas opiniones, præter unam, & alteram Caramuelis de more non recenſui ante *diſſert.* II. ubi locus opportunus videbatur. Quoniam vero in præſentia potiſſimum controverſias in utramque partem a Caſuiſtis diſputatas examinandas ſuſcipio iuxta conſuetam methodum, primum propoſitionem in hac materia proſcriptam ab Alexandro VII., poſt quorumdam Moraliſtarum opiniones laxas præmittam.

Theſis ab Alexandro VII. proſcripta, quæ eſt 28.

Populus non peccat etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum.

1. „ Leges adhuc pontificiæ promulgari debent in ſingulis regnis, provinciis, &

„ diœceſibus, ut ibi habeant obbligare. “ Torrecilla. *Tom. I. ſumm. tract.* 11. *diſp.* 1. *cap.* 1. *num.* 12.

2. „ Leges humanæ tam civiles, quam pontificiæ acceptari debent a populo, ut „ obligare valeant. “ Torrecilla *loc. cit. num.* 13.

3. „ Lex, ſeu conſtitutio pontificia quæ uſu non eſt recepta, quacumque ex- „ cauſa id contingat, non obligat. “ Idem Torrecilla *in propoſ. damnat. tract.* 11. *conſult.* 6. *num.* 94.

4. „ In materia levi nec lex, nec ſuperioris præceptum ſub letali obligare queunt. “ Idem Torrecilla *tom.* 1. *ſumm. tract.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 4. *num.* 16.

5. „ In propoſitione 28. damnata ab Alexandro VII. de populo abſque cauſſa le- „ gem non acceptante, non venit damnatum dicere, graviter non peccare, etſi „ abſque cauſſa eam non acceptet. “ Idem *tom. in propoſit. damnat. in dict. propoſit. num. ultim.*

6. „ Actiones nimium difficiles, quæque conſentaneæ fragilitati humanæ naturæ „ non ſunt, nequeunt eſſe materia legis humanæ, nec ſub humano præcepto ca- „ dere: unde cauſſa ſufficiens hæc eſt ad eas non acceptandas. “ Idem *in propoſit. damn. ad propoſit.* 28. *Alexandri num.* 5.

7. „ Sufficiens cauſſa eſt ut quis a lege deobligetur, quod immediate poſt pro- „ mulgationem videat vel a maioribus, vel maiori parte non incipi obſervari. „ Idem *ibid. num.* 9.

8. „ Leges humanæ ſive civiles, ſive eccleſiaſticæ, quamvis de materia gravi, „ non cenſendæ graviter obligare, quantumvis verbo *decernimus*, *ſtatuimus*, *ordi-* „ *namus*, *volumus*, *ſancimus* exprimantur: opus enim eſt ut verbo *præcipio*, *iubeo*, „ *prohibeo*, *veto*, vel *interdico* ſint latæ. “ Idem *tom.* 1. *ſumm. tract.* 2. *diſp.* 1. *cap.* V. *num.* 16.

9. „ Omnis lex in præſumptione fundata, ceſſante præſumptione, adhuc in par- „ ticulari, deſinit pro foro conſcientiæ obligare illum in quo præſumptio ceſſat. “ Idem *ibid. cap.* VII. *num.* 307.

10. „ Generatim ceſſante fine adæquato legis in quolibet particulari, ceſſat lex „ illum obligare: & idem dicendum de præcepto generali. “ Idem, *ibid. num.* 20.

11. „ Et hoc procedit, etiamſi ex inobedientia ſcandalum ſequatur: tunc enim „ non activum, ſed paſſivum erit; cum non obediens utatur iure ſuo iuxta opi- „ nionem probabilem, quæ excipit eum ab obligatione obediendi, ceſſante in illo „ fine; quod ſi ignorat qui ſcandalum patitur, ſibi imputare debet. “ Idem Torrecilla, *ibid. num.* 77.

12. „ Aliter procedit, quando finis legis, vel præcepti eſt ſcandalum vitare: „ hoc enim vitato, ceſſat pariter lex, & præceptum obligare. Vnde Clerici arma „ ſecreto portantes, pariterque Religioſi occulte actibus profanis, etſi immaniſſi-

„ mis,

„ mis, aſſiſtentes, nec graviter peccant, nec cenſuras incurrunt, etſi ſub illis hæc „ omnia illis ſint prohibita. Ceſſat enim in illis ſcandalum, quod eſt finis legis." Idem Torrecilla *Tom. I. ſumm. tract.* 11. *diſp.* 1. *cap.* VII. *num.* 47.

13. „ Non ſunt denuntiandi Sancto Officio retinentes libros prohibitos, non ex „ hæreſi, aut eius ſuſpicionis." Sic D. Franciſcus Verde in *ſelectis quæſt.* VIII. *corol-* „ *lar.* 86. *ſub num.* 447. *fol.* 118. apud Torrecil. in propoſit. damn. ad propoſ. 45. „ Alexandri VII. *num.* 22. *fol.* 485. cui conſonat Tamburinus in Decalogum *Lib. II.* „ *cap.* 1. *ſ.* 7. *num.* 58. dicens excommunicationem Sancti Officii præcipientis in- „ tra 8. dies exhibere libros prohibitos, in illos præciſe tendere, qui hæreſim; „ vel errores continent."

14. „ Neque excommunicationem ullam incurrunt ſimiles libros, aut ſcripta „ prohibita legentes, ſi inhibitio alia cauſſa quam hæreſis, aut eius ſuſpicionis ſit „ promulgata". Sic Bordonius *Tom. I. ſacri Tribunal. in cauſis Fidei cap.* XIV. „ *quæſt.* XXXIX. *num.* 78. *pag.* 354. ibi: *Quæres an legens huiuſmodi libros prohibitos alia ex* „ *cauſa quam hæreſis, vel eius ſuſpicionis, incurrat excommunicationem, aut aliam* „ *pœnam &c.* (& ponit varia exempla librorum prohibitorum) & ait: *Reſpondeo* „ *in his caſibus nulla impoſita cenſura in legentes huiuſmodi libros, aut ſcripta pro-* „ *hibita.*"

14. „ Grave non eſt, ſervata ſubſtantia, a modo præcepti deficere". Sic Torr. *Tom. I. ſumm. tract.* 11. *diſp.* 11. *cap.* III. *n.* 43. & laudat Caramuelem, & Leandrum de Murcia.

15. „ Probabile eſt leges humanas, adhuc eccleſiaſticas neque indirecte poſſe ad „ actus internos nos obligare." Idem, *ibid. diſp.* 1. *cap.* III.

16. Salmanticenſes *tract.* 11. *cap.* 11. *punct.* 9. *num.* 164. quærunt, utrum peccet qui impedimenta apponit, ut liber a lege implenda evadat; & reſpondent his verbis. „ Satis tamen eſt probabilis, & ab intrinſeco forte probabilior ſententia, ne- „ gans in tali caſu peccare; quia eo ipſo quod aliquis extrahatur ab obligatione „ legis, ſeu lex illum non obliget (ſive hoc bona fide, ſive mala intentione, ſive „ licite, ſive illicite factum ſit) eſt incapax delinquendi in effectu contra talem „ legem: ergo, ex quocumque motivo ponat impedimentum, quod ipſum extrahit „ ab obligatione ieiunii, non peccat contra ieiunii præceptum; ſed utitur iure ſuo, „ quo poteſt exonerari a lege, & extrahi ab obligatione illius." Pro hac ſententia laudant utroſque *Sanchez, Filliucium, Azonium, Fagundez, Villalobos, Salmanticenſes Scholaſticos tract.* XIII. *de peccatis dub.* 6. *num.* 103.

17. P. Dominicus Viva *Tom. I. quæſt.* VI. *art.* VI. *num.* 4. „ Dico quod ſi *proba-* „ *biliter* tantum credatur legislator aut non potuiſſe, aut noluiſſe in tali caſu ver- „ bis legis comprehenſo obligare, poſſit etiam ſubditus licite in eo caſu legem non „ ſervare ... Unde id verum eſt, non ſolum ſi ſubditus habeat formidinem de

„ oppoſito, ſed etiam ſi detur ex altera parte probabilitas, *immo maior probabilitas* quod legislator potuerit, ac voluerit obligare; ut docet Suarez *Lib. VI. de leg. cap.* VIII. *num.* 3. . . . Sanchez *Lib. I. cap.* IX. *num.* 14. “

18. Salmanticenſes *tractat.* II. *cap.* V. *punct.* 8. *num.* 91. „ Si detur infirmitas quæ „ moraliter iudicabatur perpetuo duratura, & obtineas a Pontifice diſpenſationem „ comedendi carnes pro tota vita, non recitandi officium divinum, non ieiunandi, etiamſi poſtmodum ſalutem PERFECTAM acquiras, poteris uti tali diſpenſatione, donec a Pontifice revocetur. Idem dicimus, ſi pro hoc anno, pro hac „ Quadrageſima obtineas diſpenſationem a Superiore non ieiunandi, vel abſtinendi a carnibus, quia infirmitas pro tota illa cenſetur duratura; etiamſi per accidens ceſſet, potes uti tali diſpenſatione. Ita Auctores citati, qui licet non omnes ita in particulari loquantur, mens tamen illorum eſt quam diximus. “

19. Salmanticenſes *ibidem cap.* VI. §. 2. *num.* 18. docent, „ ſufficere dictum unius „ eximii Doctoris aſſerentis, tempus ad conſuetudinem requiſitum præteriiſſe, ut „ per eam lex abrogata cenſeatur, etiamſi plures alii oppoſitum ſentiant. “

CAPUT II.

Qui ſint legis effectus, & quænam materia.

I. PRimum, potiſſimumque legis officium eſt ſubditos bonos virtuoſoſque efficere, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCII. *art.* 1. Quandoquidem officium, ſeu fructus legis eſt ſubditum dirigere in bonum commune: & virtus ſubditorum eo ſpectat, ut legi id præſcribenti pareat. Hæc autem obedientia bona eſt: bonus igitur ſubditus eſt, dum id præſtat quod lex mandat. Bonitas itaque ſubditi, effectus legis eſt; hocque convenit cuique legi in communi acceptæ. Nunc autem ſermo eſt de lege humana, ut diſtincta a lege naturali, æterna, & evangelica, quæ hominem in quocumque genere bonum facit. Legis vero civilis effectus eo tendit, ut efficiat dumtaxat bonum civem, non bonum virum. Nam bonus civis ille eſt qui paret legibus quæ bonum commune civitatis ſpectant; idque præſtare valet, etiamſi malus vir ſit, ut in Romanis patet.

II. Hinc conſequitur quamlibet legem bonum rationis, & communem ſubditorum ſpectare felicitatem. Quapropter, ſi ſuprema poteſtas aliquam legem ferret quæ non promoveret commune bonum, atque adeo non efficeret ſubditos bonos cives; lex non eſſet, ſed legis larva, ut optime definit S. Thomas loc. cit. ad 4. *Lex tyrannica, cum non ſit ſecundum rationem, non eſt ſimpliciter lex; ſed magis eſt quædam perverſitas legis.*

III. Ex quibus colligitur, turpiter errare quoſdam iniquæ Politicæ miniſtros, qui

qui contendunt pro arbitrio ſupremas poteſtates leges ferre, pacem componere, fœdera inire cum religionis, atque virtutis detrimento poſſe. Omnis quippe poteſtas a Deo eſt, teſte Apoſtolo, & ipſis Principibus fatentibus. Porro impietatis, atque perduellionis ſcelus eſt arma ſtringere in ſupremum illum Principem a quo accepta illa ſunt. Sed cæcis iſtis Politicis ſtatus ratio, ut aiunt, numen ſupremum eſt. Idcirco orandum pro illis eſt, minime diſputandum.

IV. Alter, & potiſſimus legis effectus eſt obligare ſubditos ad ea præſtanda quæ leges præſcribunt. Lex enim, ut ex doctrina S. Thomæ vidimus, imperium eſt rationis practicum, in quo duo includuntur, nempe & dictamen rationis, cuius eſt intimare, dirigere, illuminare; & actus voluntatis, quo legislator legum obedientiæ ſubiicit omnes ſubditos ſuos. Leges autem iubent, prohibent, permittunt. Permiſſio, qua tolerantur peccata, facti eſt, non iuris. Legum actus ſunt *imperare*, *prohibere*, *permittere*, *punire*. Si plura cupis, conſule S. Thomam 1. 2. *quæſt.* XCII. *art.* 2.

V. Quæſt. I. *Quænam ſit legis humanæ materia?* Reſp. Materia legis humanæ, ſicut ceterarum legum, ſunt actus humani, qui præcipi, aut vetari poſſunt, quatenus aut conferunt, aut repugnant bono communi, quod lex unice ſpectat. Quare & cuiuſque virtutis præcipi, & cuiuſcumque vitii actus vetari humana lege valent: quia quæcumque virtus conducit, & quodcumque vitium obeſt communi bono. Heinc haud conſequitur legislatorem humanum poſſe præcipere omnium virtutum officia, aut omnia vitia collective accepta prohibere. Quoniam obiectum humanæ legis moraliter poſſibile ſit oportet ipſi ſubditorum communitati. Omnium autem virtutum officia peragere, omniaque vitia devitare, hominum communitati moraliter impoſſibile eſt, ſpectata humanæ naturæ imbecillitate. Leviora ergo vitia permittere legislatores humani poſſunt, ut graviora vitentur. Ea potiſſimum vetare legislatores humani debent quæ ſocietatem perturbant, bonique communis ruinam, aut grave inducunt detrimentum. Permittere autem poſſunt cetera mala quæ homines privatos inficiunt, & perſonalia vitia appellantur.

VI. Obiicies. Lex naturalis, & divina omnes virtutes præcipit, omniaque vitia prohibet. Ergo idem præſtare legislatores humani poterunt. Reſp. Conſequentia falſa eſt. Legislator divinus, ſupremus & univerſalis Dominus eſt, qui non tantùm ſubditorum felicitatem in communi, verum etiam in particulari reſpicit. Cuiuſque ſubditi vires ille comprehendit, auxilia, gratias cuique impertit, quibus & virtutes exequi, & vitia declinare queat. Contra legislatores humani, quemadmodum ſingulorum vires expendere haud valent, nec auxilia opportuna impertire poſſunt, ita neque eorumdem ſingularem perfectionem promovere ad illos attinet.

VII.

VII. Quæſt. II. *Poſſunt ne legiſlatores humani præcipere, aut vetare actus indifferentes?* Reſp. Effectus humanæ legis eſt bonos efficere ſubditos: &, cum actus genere ſuo indifferentes, nec bonos, nec malos efficiant homines; idcirco in propria indifferentiæ ſpecie ſiſtentes, nequeunt eſſe humanæ legis materia. Verum, quia nullus reipſa, ſeu in individuo actus qui bonus, aut malus non ſit, reperitur; ideo quilibet actus indifferens poteſt in hac aut illa circumſtantia cum bono communi plus minuſve aut convenire, aut pugnare; atque adeo eſſe materia legis præcipientis, aut vetantis. Et tum bonitas, aut malitia iſtorum actuum ex fine, a legiſlatore in lege roganda præſtituto, habetur.

VIII. Quæſt. III. *Valent ne legiſlatores humani ſive eccleſiaſtici, ſive civiles, actus mere internos directe, & abſolute præcipere?* Reſp. Affirmantem ſententiam propugnat Henricus a S. Ignatio *Tom. II. Lib. I. cap.* XVI. ut valde probabilem: & licet, inquit, oppoſitum ſentiat magna turba recentiorum; ſecum tamen habere contendit venerandam canitiem maiorum, laudatque pro hac ſua ſententia Gloſſam *cap.* Cogitationes *diſt.* I. *de pœnit.* Maiorem in *IV. diſt.* XII. *quæſt.* VII. Albertum Pighium *Lib. VI. de Hierarch. eccleſiaſt. cap.* XVI. Adrianum in *IV. quæſt.* IV. *de Confeſſ. & quodlib.* VIII. *quæſt.* VIII. Iacobum Briardum *quodlib.* II. Iacobum Latomum *de Confeſſ. ſecr.* Molanum *tract.* V. *de Repub. cap.* LXXXI. Iacobum Baium *Lib. II. Inſtit. cap.* VIII. Medinam *cod. de Orat. quæſt.* XV. Roſellam verb. *Abſolutio*, Franciſcum Sylvium 2. 2. *quæſt.* CIV. *art.* 4. & alios.

IX. Oppoſitam ſententiam defendunt Salmanticenſes *tractat.* X. *cap.* I. *punct.* II. & *tractat.* XI. *cap.* I. *punct.* 5. & laudant pro eadem S. Thomam 1. 2. *quæſt.* XCI. *artic.* 4. Caietanum 2. 2. *quæſt.* XI. Tapiam *quæſt.* VI. *artic.* 4. Gregor. Martinez 1. 2. *quæſt.* XCVI. Granadum *contr.* VII. *tract.* III. *part.* I. *diſp.* V. Caſtropalaum *tractat.* III. *diſp.* II. *punct.* 6. Bonacinam *diſp.* I. *quæſt.* I. *punct.* 5. Salas *diſp.* IX. *de legibus*, Suarez *Lib. III. cap.* III. Gordonium *Lib. II. quæſt.* IX. & alios.

X. Ut difficilem implexamque quæſtionem maiori qua fieri perſpicuitate poteſt enucleemus, diſtinguamus oportet legem directivam a lege coactiva. Lex directiva obligat in conſcientia; at nullam pœnam imponit. Huic legi directivæ ſubiecti ſunt ipſi legiſlatores. Lex coactiva ultra obligationem in conſcientia, pœnas infligit. Hæc lex coactiva iterum duplex eſt. Alia coactiva coactione interna, quæ & ſub culpa, & ſub pœna, ipſo facto ante iudicis ſententiam ſubeunda, aſtringit. Alia eſt coactiva coactione externa, quæ pœnam, poſt cauſſæ recognitionem, a iudice infligendam, præſcribit. Hanc diſtinctionem optime explicat Cardenas *criſ.* II. *diſſ.* 25. & alii.

XI. His poſitis, dico cum ſecunda ſententia, *Legiſlatorem humanum eccleſiaſticum, nedum civilem, præcipere haud poſſe directe, & per ſe actus mere internos lege coactiva coactione externa.* Hanc ſententiam conceptis verbis docet S. Thomas

mas 1. 2. quæſt. xci. art. 4. *De his poteſt homo legem facere de quibus poteſt iudicare. Iudicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus motibus, qui apparent. Et tamen ad perfectionem virtutis requiritur quod in utriſque actibus homo rectus exiſtat. Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus; ſed neceſſarium fuit, quod ad hoc ſuperveniret lex divina. Quarto quia, ſicut Auguſtinus dicit in 1. de liber. arbitrio, lex humana non poteſt omnia quæ male fiunt, punire, vel prohibere: quia, dum auferre vellet omnia mala, ſequeretur quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conſervationem humanam. Ut ergo nullum malum improbibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſupervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur.*

XII. Ex hac doctrina ſatis aperte colligitur, non poſſe præcipere, aut prohibere legislatorem eccleſiaſticum omnes actus internos lege cogente coactione externa. Siquidem *De his* (inquit Angelicus) *poteſt homo legem ferre de quibus poteſt iudicare*. Iudicium ergo requirit Angelicus in legislatore. Cur? Ut poſſit punire delinquentem. Subdit enim quarto loco, quod lex humana non poteſt *omnia punire*. De illo ergo iudicio loquitur quod ad punitionem requiritur. Et, cum nullus legislator humanus de internis hominum actibus iudicium ferre queat; idcirco nullus legislator humanus legem condere valet punientem actus mere internos punitione iuridica, quæ cauſſæ recognitionem poſtulet. Hanc doctrinam confirmat Angelicus 2. 2. *quæſt.* civ. *art.* 5. ubi inquit: *Alio modo non tenetur inferior ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat in quo ei non ſubdatur. Dicit enim Seneca in III. de Beneficiis: Errat, ſi quis exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere. Pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis; mens quidem eſt ſui iuris. Et ideo in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Quæ duo teſtimonia, ut minus, evidenter probant, nullam poteſtatem humanam poſſe lege coactiva coactione externa præcipere directe, & per ſe actus omnino internos. Et quod huc tendat Angelici doctrina, patet. Quandoquidem ideo hominibus quibuſque hanc denegant poteſtatem, quia actus omnino interiores non ſubiacent humano iudicio. Ergo, ſi homines iudicare eiuſmodi actus nequeunt, neque pœnam, & damnationis ſententiam in eoſdem ferre valent; cum hæc ſententia actionum examen, diſcuſſionem, & iudicium requirat; conſequitur præfatas leges homines condere non poſſe. Hæc omnia certa ſunt penes omnes.

XIII. Illud nunc in controverſiam venit, poſſit ne legislator humanus eccleſiaſticus præcipere, aut vetare lege dirigente, & curante animarum ſalutem, coactione mere interna, ideſt obligante ad culpam, ſublato omni iudicio, & pœna ex-

exteriori. In qua controverſia aqua profecto mihi undique hæret. Ex una parte teſtimonia S. Thomæ adeo luculenta videntur, ut excipere interpretationem non valeant. Ex altera parte, quod aliquo in caſu præcipere Eccleſia actus mere internos poſſit, non contemnenda rationum momenta evincere videntur. Doctrinam S. Thomæ tanti facio, ut religioni mihi vertam vel latum unguem ab eadem diſcedere: non quod S. Viri auctoritas pro ratione, aut lege mihi ſit; immo, ſi ratio occurreret quæ oppoſitam doctrinam evidenter oſtenderet, illa relicta, hanc amplecterer: ſed quia ubique eiuſdem ſententias tam firmis rationibus munitas invenio, ut ratione, non auctoritate cogente, in eiuſdem concedere doctrinam cogar. Igitur teſtimonia allata evidenter demonſtrant non poſſe, ut diximus, legislatorem humanum lege puniente, quæ cauſſæ cognitionem poſtulet, actus internos præcipere, quia ſcilicet Eccleſia non iudicat de internis. Ceterum ex præfata S. Thomæ doctrina evidenter non infertur, Eccleſiam in aliquo peculiari caſu non poſſe actionem internam præcipere, aut vetare. Neque hoc gratis aſſeritur. Nam 1. 2. *quæſt.* XCI. *art.* 4. ubi fuſius rem diſcutit, & ex articuli titulo, & ex totius doctrinæ ſcopo, non ſine gravi fundamento, colligimus, mentem S. Doctoris eo ſpectare, ut evincat abſolute, & per ſe loquendo hominem non eſſe in interioribus actibus ſubiectum humanæ poteſtati, ſed Deo. Ibi enim diſputat, utrum neceſſarium fuerit aliquam divinam eſſe præter humanam legem: aitque, *quia lex humana non poteſt cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus*: ſubditque, quod *lex humana non poteſt omnia quæ male fiunt, punire, vel prohibere*. Unde valde probabiliter colligitur, non poſſe quidem Eccleſiam abſolute dirigere *ſufficienter* fideles in interioribus actibus; ideoque neceſſariam eſſe divinam legem quæ id præſtet; poſſe vero dirigere in aliquibus, qui neque cognitionem, neque iudicium, neque punitionem forenſem poſtulent. Qua ſolida interpretatione conſtituta, ſequentem ſtatuo concluſionem.

XIV. *Legislator eccleſiaſticus poteſt lege directiva præcipere actus mere internos iis in caſibus in quibus expediens iudicaverit id opportunum eſſe ad ſalutem æternam*. Rationes valde probabiles id evincunt. Nam hoc eſt diſcrimen eccleſiaſticos legislatores inter & civiles, quod hi ſolam politiam exteriorem, tranquillitatem, & bonum commune ſubditorum directe, & per ſe reſpiciunt; illi e contrario animarum ſalutem primum, & per ſe ſpectant. Duplex ergo in Eccleſia poteſtas: altera quæ exteriorem diſciplinam lege exterius cogente; altera quæ lege directiva interius æternam ſalutem promovet. De prima nullum diſſidium. Alteram evincere videntur tum auctoritates Scripturarum, tum rationes, & mos in Eccleſia quandoque ſervatus.

XV. Poteſtas quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit, animarum internum regimen potiſſimum ſpectat. Inquit Chriſtus Petro, eiuſque ſucceſſoribus Ioan. XXI.

Paſce

Paſce oves meas : & Matth.xvi. *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis*. Fidelium animæ non exterius modo, ſed interius quoque nutriri, & roborari indigent. Utique Chriſtus Dominus, qua illuſtrationibus mentem illuſtrat, qua gratiarum copia ſpiritum interius alit, & inſtaurat, tamquam primus & ſupremus Paſtor inviſibilis; at ex laudatis teſtimoniis ſatis aperte colligitur, voluiſſe quoque mediis ſuis Paſtoribus, quos hic in terris conſtituit, ſuas oves tum interius, tum exterius alere. Et, cum ratio evidens non occurrat quæ oppoſitum evincat, non eſt, cur verba abſoluta, & illimitata Chriſti Domini ad ſolum exterius regimen coarctentur.

XVI. Confirmat hæc omnia Eccleſiæ mos, ſeu praxis, qua non raro interiores actiones modo præſcripſit, modo vetavit. Innocentius XI. hanc propoſitionem, quæ in ordine 10. eſt, proſcripſit : *Non tenemur proximum actu interno diligere*. Nec eſt quod reponas, nihil hic præcipi, aut vetari; ſed id tantum declarari quod naturali, & divina lege præſcriptum eſt. Quoniam Pontifex ſummus prohibet, non modo exterius hanc doctrinam docere, ſed præcipit eamdem interius exequi, & ut veram habere. Theologi qui ante damnationem hanc doctrinam, ut probabilem, interiore perſuaſione propugnabant, ignorantia iuxta Probabiliſtas excuſari poterant. At, ſi quis nunc poſt Eccleſiæ definitionem eamdem doctrinam interius defenderet ut probabilem, liber ne a culpa inobedientiæ, debitæ ſupremo legiſlatori eccleſiaſtico, nedum a peccato contra præceptum caritatis erga proximum eſſet? Idem ſummus Pontifex Ven. Innocentius XI. ſequentes propoſitiones Michaelis Molinos damnavit quæ ſunt 65. & 66. Prima hæc eſt. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore : & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res ſe habet, quo ſolus Deus, & director intrant*. Altera. *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo; quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec ſacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere poſſunt : quia Eccleſia non iudicat de occultis, & anima ius habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum*. Harum propoſitionum doctrina eo pertinet ut Paſtoribus Eccleſiæ regimen adimat animarum.

XVII. Duæ aliæ propoſitiones ab Eccleſia proſcriptæ confirmant ſententiam noſtram. Alexander VII. hanc theſim damnavit : *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Alteram damnavit Ven. Innocentius XI. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem*. Etiam in his propoſitionibus de interioribus animi actibus ſermo eſt. Ex more itaque, & conſuetudine Eccleſiæ conſtat, interioris animæ regimen poteſtati Eccleſiæ ſubiectum eſſe.

XVIII. Rationes quoque idem evincunt. Nam Eccleſiæ regimen ſocietatem non mere humanam, & civilem moderatur, ſed chriſtianam: quæ, ut talis, ad finem ſupernaturalem, & divinum tendit. Illius finis ſalus æterna eſt. Huic fini proportionata ſint media neceſſum eſt. Ergo animarum Paſtor cuius eſt animas in hunc finem dirigere, poteſtate inſtructus eſt præſcribendi ea quæ huic fini comparando idonea ſunt. Porro actus interiores potiſſima media ſunt quæ viam ad hunc aſſequendum finem ſternunt. Ergo is qui regere, & ducere in hunc finem animas debet, præfata media præcipere, aut vetare poteſt, proue congruunt, aut obſunt eidem fini: alioquin futilis eſſet poteſtas in finem, ſi nihil in media iuris haberet.

XIX. Quæ omnia iterum praxi Eccleſiæ confirmantur. Nam reipſa Eccleſia præcipit attentionem interiorem orationi neceſſariam. Et, licet attentio hæc orationi vocali connexa ſit, non apparet cur Eccleſia præcipere nequeat meditationem mere internam per horam plus, minuſve. Et reipſa non præcipit Regularibus exercitia ſpiritualia, quæ potiſſimum in meditationibus ſita ſunt? Prælati regulares reipſa obligant ſubditos ad actus mere internos, ut ad Sacrificii Miſſæ applicationem, ad orationem mentalem. Quid quod Regulares vi voti obedientiæ voluntatem ſubiiciunt Prælatis, non ſolum quantum ad actus exteriores, ſed etiam quantum ad actus interiores? Et vi iſtius voti plura iubere Prælati ſubditis poſſunt quæ interiorem animæ moderationem ſpectant.

XX. Quæ contra obiici ſolent, huc revocantur. Eccleſia ea præcipere, aut vetare poteſt de quibus iudicandi poteſtatem habet. Sed Eccleſia de occultis animi internis motibus iudicare nequit. Ergo neque de eiſdem ferre legem valet. Reſp. Negatur conſequentia. Eccleſia nequit iudicium ferre, utrum actus internus reipſa elicitus nec ne ſit, aut bene vel male exercitus. Idcirco iudicium contentioſum inſtituere, pœnaſque a iure præſcriptas infligere propter eiuſmodi actus Eccleſia nequit. Factum iſtud Eccleſia ignorat: & ideo reipſa hoc factum, prout ignoratum, non punit pœna forenſi. Eccleſia vero præcipit interiorem meditationem, attentionem, idque genus ſimilia, prohibetque contraria, quorum malitiam, aut bonitatem evidenter cognoſcit. Quare non quod ignorat, ſed quod manifeſte comprehendit, iubet exequendum, aut vitandum. Et quoniam neſcit, utrum reipſa ſubditus id præſtiterit, an ſecus; idcirco in eumdem iudicium contentioſum non inſtituit. Neque iſtius occulti facti cognitio neceſſaria eſt, ut id præcipiatur, aut vetetur quod ſecundum iura clare ſcimus bonum, aut malum eſſe. A fuſiore diſputatione abſtineo: quoniam, ut ex utriuſque ſententiæ examine collegi, diſſidium potius de voce quam de re eſt. Nam quæ recenſui, ab Eccleſia præcipi, utriuſque ſententiæ Auctores fatentur. Sed Auctores ſententiæ negantis Eccleſiæ poteſtatem in actus internos, dicunt, ideo iure præcipi omnia in-

di-

dicata officia ab Eccleſia, quia connexa per ſe ſunt cum exterioribus actibus. Alii contendunt, Eccleſiam eadem præcipere, aut prohibere poſſe, nullo etiam ad hanc connexionem reſpectu habito. Verum, ſi res penitius inſpiciatur, vix quidquam Eccleſia præcipit quod non ſit cum exteriore regimine aliquo modo coniunctum. Quare diſputatio tanti non eſt, ut fuſius diſpicienda ſit.

XXI. Quæſt. IV. *Poteſt ne Eccleſia præcipere ſaltem indirecte actus internos cum externis connexos?* Reſp. Triplex differentia actuum. Alii ſunt mere interni; alii externi tantum; alii mixti ex utriſque. Mendacium mixtum eſt ex interno iudicio aliter ab eo quod verba produnt, iudicante, & ex prolatione externa verborum. Confeſſio ſacramentalis componitur tum ex manifeſtatione externa peccatorum, tum ex interiore dolore. Alii diſtinguunt duplicem connexionem actus internos inter & externos. Primam dicunt per ſe, in qua actus interior eſt veluti forma exterioris in genere moris, & virtutis. Sic eſt attentio ad orationem exteriorem, conſenſus interior ad contrahendum matrimonium, celebrandumque quemlibet contractum, intentio miniſtri ad baptizandum. Aliam vocant per accidens, in qua actus exterior abſolute nullam dicit cum interiore connexionem; ſed mere concomitanter ad illum ſe habet. Caramuel, de more laxiora promovens, negavit Eccleſiam poſſe præcipere actus externos propter actus mere internos. Quapropter negat, Superiorem poſſe vetare acceſſum ad talem domum mulieris, ob evitandum conſenſum internum in adulterium. Quam erroneam opinionem late confutat illius adverſarius P. Cardenas *Criſ.* II. *diſp.* XXV. Sed nec confutationem meretur opinio omnibus improbata, & prorſus inepta, & regimini eccleſiaſtico pernicioſa. Ratio Caramuelis vana eſt. Qui nequit finem præcipere, neque media poteſt: quia media ſpecificantur a fine. Lex humana non habet poteſtatem in actus mere internos, qui ſunt finis actuum exteriorum. Ergo neque externos præcipere valet. Prima propoſitio erronea eſt. Nam Eccleſia non habet poteſtatem in ſacramenta, & alia quæ iuris divini ſunt; & tamen plures ritus & cæremonias præſcribit quæ ordinantur ad ſacramenta, & ad ea quæ iuris divini ſunt, tamquam ad finem. Quare communis eſt omnium Theologorum ſententia, poſſe Eccleſiam præcipere actus exteriores, connexos cum interioribus; & conſequenter poteſtatem indirectam eidem concedunt in actus interiores. Siquidem, licet actus externus ordinetur ad internum, ab eoque, tamquam a fine, ſpeciem capiat; tamen non propterea definit eſſe externus. Ergo manet ſub regimine exteriori Eccleſiæ. Non eſt itaque cur Eccleſia illum præcipere nequeat, etiamſi poteſtatem directam in actus internos non haberet. Porro forma & eſſentia moralis plurium actuum exteriorum ſunt ipſi actus interni. Ergo Eccleſia quæ præcipere directe actus externos valet, indirecte interiores iure imperat.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Quæſt. V. *Præcipere ne Eccleſia valet actus externos occultos?* Reſp. Adfirmant communiter omnes. Quia actus, quatenus externi ſunt, ſub poteſtate Eccleſiæ cadunt, utpote ſenſibiles, & humanæ diſcuſſionis, & iudicii capaces. Quod autem occulti ſint, teſtiumque cognitionem fugiant, per accidens eſt. Poſſunt enim in publicam cognitionem venire: & hoc ſat eſt ut humanæ poteſtati ſubiecti ſint. Quapropter furta, adulteria, homicidia, ſodomiæ, & cetera eiuſmodi delicta, quamquam occultiſſima, legislatores humani punire valent. Nec eſt quod opponas, non poſſe legislatorem ea prohibere quæ nequit iudicare: quoniam eiuſmodi delicta iudicare natura ſua valet; licet quandoque per accidens; ob teſtium defectum, iudicium exerceri nequeat.

CAPUT III.

De legis humanæ obligatione. Unde eiuſdem colligenda obligatio. Iuſta ne ſit oportet, ut obſtringat. Quid de legibus iniuſtis. Plures hac de re quæſtiunculæ.

I. Legem naturalem, divinamque natura ſua obligationem imponere, dictum ſupra eſt. De legis humanæ obligatione in præſentia ſermonem inſtituimus. Legem hanc, dummodo iuſta ſit, obligare, & quidem in conſcientia, & ſub gravi culpa, veritas fidei eſt, quam declarat Apoſtolus Paulus ad Rom. XIII. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ſibi ipſi damnationem acquirunt: nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac; & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Non ſolum itaque propter iram, ſed propter conſcientiam legitimæ poteſtati ſubiectio neceſſaria eſt. Conſcientia ipſa ligata eſt: idcirco præmittit Apoſtolus: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote.* Neceſſitas hæc obligationem prodit conſcientiæ. Plura quæ ad hunc explicandum textum dici poſſent, iam ſupra ex S. Thoma dicta ſunt. Paucis ergo hanc primam veritatem expedio, videlicet, ſubditos legitime imperanti aſtrictos eſſe ſub gravi culpa obedire. Qui legem humanam violant, non modo contra hanc, ſed contra ipſam æternam Dei legem peccant. Quoniam Principes Dei nomine imperant, iuxta illud Prov. VIII. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Heinc adverſus Iſraelitas rebelles inclamavit Deus

I. Reg.

I. Reg. cap. VIII. *Non enim te abiecerunt, ſed me*. Et Apoſtolus Paulus in laudato textu perſpicue definit: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Tranſgreſſores ergo legum humanarum immediate peccant adverſus legem humanam, & conſequenter contra legem æternam. Quapropter definiri communiter peccatum ſolet *dictum, factum, aut concupitum contra legem æternam Dei*.

II. Diſputant hic Theologi, detur ne vera lex, quæ in conſcientia non obliget. Et communiter reſolvunt inſeparabilem a vera lege eſſe obligationem, aut ad culpam, aut ad pœnam. Quin de ratione legis eſt non modo ſub pœna, verum etiam ſub culpa obligare; ut inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. XCVI. art. 4. *Leges poſitæ humanitus ſunt iuſtæ, vel iniuſtæ. Si quidem iuſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur*. Quare nec ipſe legislator ferre veram legem poteſt quæ obligationem obediendi ſubditis non imponat. Minuere culpam valet; ſed tollere omne parendi debitum nequit.

III. Conſtitutiones plurium Religionum, & potiſſimum noſtri *Ordinis Prædicatorum* non obligant natura ſua ad culpam; tametſi reipſa abſque aliqua culpa vix negligi queant. Communis reſponſio eſt, eiuſmodi ſanctiones obligare ad pœnam, quamvis non ad culpam; ideoque veram legum notionem non amittere. Sed hæc reſponſio non videtur omnino ſolida: quia vera pœna culpam ſupponit, ut omnes fatentur. Addunt obligare Prælatos ſub culpa, ut pœnam taxatam in legibus tranſgreſſoribus infligant; & hi ſub culpa debent pœnam ferre, ſeu pœnitentiam præſcriptam a conſtitutionibus. Reſponſa hæc ſubtilia effugia mihi videntur, ut præfatis conſtitutionibus vera legis notio tribuatur. Sint necne veræ leges, quid inde? Si dicamus, eiuſmodi conſtitutiones veras, & in toto rigido ſenſu leges non eſſe; aliquid ne deperdunt? Minus ne ſubditos aſtringunt? Nequaquam. Dicamus ergo conſtitutiones eſſe, quæ veram legis rationem non habent: quia neque ad culpam natura ſua obligant, neque veram pœnam, quæ culpam præcedat, imponunt. Sapientes Ordinum Inſtitutores Religioſos gravare tot legum ad culpam obligantium onere prudentiſſime noluerunt. Ne vero hinc Religioſi eaſdem negligendi, aut violandi anſam arriperent; immo, ut intelligerent, quanta diligentia implendæ eſſent: cuilibet tranſgreſſioni pœnitentiam præſcripſerunt. Nec ideo, ſicuti optime advertit B. Humbertus Ord. Præd. Magiſter Generalis in commentariis ad S. Auguſtini regulam, his ſanctionibus vim obſtringendi ſub culpa ademerunt, ut minus ſollicite & diligenter ſervarentur; ſed ut tranquillitati conſcientiarum providerent. Ut autem hanc ſuavem diſciplinam aliquo temperarent rigore, pœnitentias a tranſgreſſoribus ſubeundas taxarunt, contemptoreſque ad culpam damnarunt. Et qui in more habent earumdem ſanctionum violationem, in gravis culpæ periculo reperiuntur. Ex hac parte aliquam legis rationem participant; ex altera a veræ legis natura recedunt. Itaque mera con-

conſilia non ſunt, nec veræ omnino leges; ſed conſtitutiones quæ ad leges revocantur. Et, ad hoc quod attinet, forſitan pluſquam ſatis.

IV. Quæſt. I. *Leges iniuſtæ pariunt ne obligationem?* Hactenus de legibus iuſtis. Nunc breviter diſpiciendum, quam pariant iniuſtæ leges obligationem. Et primum omnium, unde lex aliqua iniuſta dicatur, ediſſerendum eſt. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* xcvi. *art.* 4. ut declaret, quæ lex ſit iniuſta, explicat prærogativas legis iuſtæ: & per oppoſitionem ad leges iuſtas legum iniuſtitia colligitur. Inquit ergo: *Dicuntur autem leges iuſtæ & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune; & ex actore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis; & ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis; ſicut quælibet pars id quod eſt, eſt totius. Unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges, huiuſmodi onera proportionaliter inferentes, iuſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales. Iniuſtæ autem ſunt leges dupliciter. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum e contrario prædictis: vel ex fine, ſicut cum aliquis præſidens leges imponit oneroſas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam; vel etiam ex actore, ſicut cum aliquis legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem; vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune. Et huiuſmodi magis ſunt violentiæ quam leges: quia, ſicut Auguſtinus dicit .... Lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit. Unde tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem: propter quod etiam homo iuri ſuo debet cedere, ſecundum illud Matth.* v. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo; & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

Alio modo leges poſſunt eſſe iniuſtæ per contrarietatem ad bonum divinum; ſicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod ſit contra legem divinam. Et tales leges nullo modo licet obſervare: quia, ſicut dicitur Act. iv. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

V. Adeo luculenta eſt angelica doctrina, ut nulla egeat interpretatione. Leges iniuſtæ ſunt vel ex contrarietate ad bonum commune, ſeu ad finem; vel ex forma, ob inæqualem onerum diſtributionem; aut ex legislatore, quatenus limites eius poteſtatis excedunt; & tandem ex oppoſitione ad bonum divinum, ut quando Principes, ſive tyranni, ſive legitimi, quidquam iubent quod ſit contra legem divinam. Lex iniuſta contra legem divinam numquam ſervanda eſt. Lex humana iniuſta ſimiliter abſolute ſervanda non eſt. At accidere caſus poteſt ut in-

inobſervantia ſcandalum pariat; & tum vitandi ſcandali cauſſa obſervare legem ſubditi debent.

VI. Quæſt. II. *Leges iuſte tyrannorum ſervandæ ne ſunt?* Reſp. Duplici ratione tyrannus nuncupari quis poteſt, regimine, & uſurpatione. Iuſtas primi tyranni leges ſervandas eſſe certum eſt. Tyrannus quippe eiuſmodi legitimus Princeps eſt; tyrannidiſque notam ſubit ob onera iniuſta, legeſve bono communi adverſantes, ſuæque faventes cupiditati. Ob iſta vero iniuſta ſtatuta principatu non exuitur; ſed legitimam retinet poteſtatem, qua iuſtas condere leges valet. Tyrannus regni uſurpatione aut leges fert, antequam regnum pacifice poſſideat, & dum populus arma adhuc adverſus eum ſtringit; & tum nullæ ſunt eiuſdem leges, tametſi iuſtæ, ex defectu legitimæ poteſtatis. Aut leges fert, poſtquam pacifice regnum uſurpatum poſſidet, populo ſive ex imbecillitate, ſive alia ratione conſentiente, illumque, ut Regem, aut Principem ſuſcipiente; & tum leges ab eodem latæ, ſi iuſtæ ſint, ſervari debent. Peccat tyrannus uſurpando, & retinendo regnum iniuſte uſurpatum. Contendunt plures Theologi, peccare quoque eiuſmodi tyrannum leges iuſtas utileſque reipublicæ ferendo, eo quod poteſtate careat eaſdem ferendi, & reſpublica coacte, non libere conſentiat in eiuſdem tyrannidem. Sed verius alii propugnant, peccare quidem illum uſurpando, & retinendo regnum, uſquedum legitima præſcriptione illud poſſideat; ſecus vero leges iuſtas ferendo in reipublicæ bonum. Quoniam, licet reſpublica coacte conſentiat in uſurpationem tyrannicam; hac tamen poſita, conſentit ut legibus iuſtis, & utilibus dirigatur, quia neceſſario legum moderatione indiget.

VII. Queſt. III. *Vnde colligenda ſit gravis obligatio legis?* Reſp. Obligatio legis ex voluntate legiſlatoris, & voluntas legiſlatoris ex eiuſdem verbis colligenda eſt. Verba autem quæ imperium, & præceptum legiſlatoris produnt, communiter ſunt ſequentia: *Iubeo*, *mando*, *præcipio*, *volumus*, *decernimus*, *intendimus*, *obligentur omnes*, *teneantur*, *debent*, *oportet*, *neceſſe eſt*. Eiuſmodi voces exprimunt vim legis affirmantis. Legis vero prohibentis obligationem produnt ſequentia verba: *Prohibeo*, *veto*, *interdico*, *nemini liceat*, *nemo poſſit*, *caveant omnes*, *abſtineant &c.* P. Claudius La-Croix *Lib. I. de leg. num. 656.* contendit, eiuſmodi verba, *volumus*, *ordinamus*, *ſancimus*, *ſtatuimus*, per ſe non præferre gravem obligationem; ſed indifferentia eſſe ad *legem*, *conſilium*, *exhortationem*, *regulam*. Quæ interpretatio falſa eſt. Subdit continuo *num. 657.* verbum *oportet* non importare imperium, ſed honeſtatem & convenientiam; idque docent Sanchez, Tapia, & alii. Sed neque hæc interpretatio conſiſtit. *Oportet* idem ſonat ac neceſſum eſt. Neceſſitatem itaque, non convenientiam tantum prodit. Quare ſimiles interpretationes exquiſita effugia videntur ad eludendas leges. De more Auctor iſte congerit varias hac de re opiniones, eaſque ſeligendas lectoribus proponit. Quid dicendum ſit, quando verba

Digitized by Google

ambigua, & dubia ſunt, infra reſolvam. In præſentia cum communi Theologorum conſenſu dicimus, veram conſuetudinem regionis, in qua lata fuit lex, optimum eſſe interpretem. Materiæ gravitas, neceſſitas mali vitandi, temporum conditio, & aliæ ſimiles circumſtantiæ plurimum conferunt ad eruendam gravem legis obligationem. Verbum imperativum in legibus pontificiis, & in decretis Conciliorum vim præcepti præfert, ut communiter Theologi docent.

VIII. Quæſt. IV. *Unde colligendum ſit, legem ſub mortali, aut ſub veniali obligare?* Reſp. Dictum eſt, omnem veram legem ſub culpa obligare. Hæc culpa aut mortalis, aut venialis eſſe poteſt. Undenam ergo hanc ab illa diſtinguemus? P. Suarez *Lib. III. cap.* xxv. *num.* 3. ex intentione legislatoris id erui poſſe contendit. Negant alii: quia, ſi materia præcepta levis omnino ſit, nequit legislaror pro ſua voluntate eam gravi afficere obligatione. Alii defendunt ex gravitate materiæ deducendum hoc eſſe. Sed contra pugnant plures, inquientes, legislatorem materiam gravem ſub levi præſcribere obligatione poſſe. Alii dicunt, colligendam hanc obligationem eſſe ex verbis legis, *iubeo*, *præcipio*. Sed hanc quoque interpretationem ceteri reiiciunt, ut falſam. Nam eodem modo prohibentur, *non mœchaberis*, *non occides*, ac *non mentieris*, ut advertunt Salmanticenſes *Tract. XI. de legibus cap.* 11. *punct.* 1. *num.* 15. Quare optime concludunt perdocti viri, ex pluribus colligendam eſſe obligationem, aut gravem, aut levem, nempe ex gravitate materiæ, ex verborum efficacitate, ex pœnæ impoſitione, ex intentione legislatoris. Ne multa. Quando materia natura ſua gravis eſt, & verbis propriis legis præcipiatur, niſi expreſſe legislator declaret, ſe velle ſub culpa tantum levi, concludendum eſt, legem graviter, & ſub mortali obſtringere ſubditos. Verba autem propria legis ſupra recitavimus. Hæc eſt vera, & communior ſententia, quam docent Dominicus Soto *Lib. I. de iuſt. quæſt.* VI. *art.* IV. Aravius 1. 2. *quæſt.* XCVII. *diſp.* III. *ſect.* III. Martinez 1. 2. *quæſt.* XCV. *art.* II. *dub.* 1. *concl.* 4. Salmanticenſes *Tract. X. cap.* II. *punct.* 1. *num.* 16. & alii.

IX. Quæſt. V. *Valet ne legislator præcipere materiam levem ſub gravi culpa?* Reſp. Materia quæ ſit omnino levis, nequit a legislatore ſub gravi culpa præſcribi. Voluntas legislatoris recta ratione in ferenda lege dirigi debet. Recta autem ratio iubet ut gravitati materiæ obligationis gravitas reſpondeat. Ergo materia uſquequaque levis reſpuit obligationem gravem. Si contra materia quæ abſolute ſpectata levis eſt, comparata ad aliquem finem, gravem induat circumſtantiam aliquam; tum ſub gravi culpa prohiberi a legislatore poteſt. Sic Deus levem pomi comeſturam Adamo prohibuit, ut eiuſdem obſequium erga ſuum ſupremum Dominum experiretur. Et inter Clauſtrales ſæpe præcepta fiunt de re abſolute conſiderata levi, quæ ob aliquem finem gravitatis circumſtantia afficitur, & apta ſit ut graviter prohibeatur, aut imperetur.

X. Quæſt.

Digitized by Google

X. Quæſt. VI. *Materia reipſa gravis poteſt ne a legiſlatore ſub levi obligatione imperari, aut prohiberi?* Reſp. Duplex ſuper hac quæſtiuncula reperitur ſententia. Negat altera abſolute. Quoniam ad ponendam obligationem in genere voluntas legiſlatoris requiritur. Qualitas vero obligationis ex materiæ levis, aut gravis qualitate deſumenda eſt. Obligatio enim proprietas legis eſt, quæ a voluntate legiſlatoris, facta hypotheſi quod condere is legem velit, minime pendet. Ergo quemadmodum nequit legiſlator levem ſub gravi, ita neque gravem ſub levi obligatione præcipere materiam valet. Pro hac ſententia ſunt Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* vr. *art.* rv. Vaſquez 1. 2. *Tom. II. diſp.* cclviii. *cap.* iii. *num.* 17. Bellarminus *Tom. I. part.* ii. *controv.* v. *lib.* iii. *cap.* ii. Tapia *Lib. IV. quæſt.* ix. *art.* iii. *memb.* 6. Gregorius Martinez 1. 2. *quæſt.* xciv. *dub.* vi. *concluſ.* 2. Becanus *Tom. II. tract.* iii. *cap.* vi. & alii plures. Oppoſitam ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* xi. *cap.* ii. *punct.* ii. *§.* 1. & pro eadem laudant *Leſſium*, *Aravium*, *Gordonium*, *Bonacinam*, *Dianam*, *Palaum*, *Sanchez*, & alios. Eamque evincere contendunt tum ratione, quod quantitas maior aut minor obligationis a voluntate pendeat legiſlatoris; tum exemplis plurium ſacrorum Ordinum, in quorum regulis res graviſſimæ, ut perpetua a carnibus abſtinentia, ſeptem menſium ieiunia, & cetera eiuſmodi ſub levi culpa, ut in primitiva Regula Carmelitica, præſcribuntur.

XI. Neutra ſententia mihi arridet: idcirco mediam inter utramque ſeligo, & dico, legiſlatorem non poſſe pro arbitrio augere, vel minuere legis obligationem. Quare, ſi materia legi ſubiecta ſit omni ex parte gravis, nullaque adſit circumſtantia, vi cuius evadat levis, tum legiſlator nequit pro voluntate materiam gravem legi ſubiectam præcipere ſub levi culpa. Poteſt ferre, aut non ferre legem; verum poſito quod condere legem velit, iuxta materiæ gravitatem temperare obligationem debet. E contrario, ſi materia, aliunde gravis ob aliquam circumſtantiam gravem, poſtulet obligationem levem, tum legiſlator ſub levi præſcribere materiam gravem poterit. Diximus quippe *num. præced.*, rationalem eſſe debere legiſlatoris voluntatem. Porro recta ratio præſcribit ut legum rigor pro circumſtantiarum varietate temperetur, augeaturve. Tranquillitas conſcientiarum, & multitudo conſtitutionum in cauſſa fuere cur SS. Ordinum Patriarchæ aut ſub levi culpa, aut ſub ſola pœna res, alioquin graves, præſcriberent. Gravitas, aut levitas materiæ ex ordine ad bonum commune conſideratur, & prout magis, aut minus conducit bono communi, graviori, aut leviori obligatione præſcribi a legiſlatore debet. Sic explicatam ſententiam nemo improbare iure valet.

XII. Quæſt. VII. *Quænam ſunt regulæ, unde colligi materiæ gravitas debeat?* Reſp. Prima eſt. Quando res præcepta Dei, aut proximi caritatem, aut iuſtitiam ſpectat, & in hunc finem conducit abſolute; ſub gravi culpa obligat. Quoniam officia quæ lædunt caritatem, iuſtitiamque, mortem animæ inferunt. Heinc conſe-

quitur, leges humanas quæ Deum amandum, credendum, ſperandum, colendum, aut proximi dilectionem, iuſtitiam, atque legum divinarum obſervationem præſcribunt, genere ſuo ſub mortali obligare. Altera regula iam ſupra indicata eſt. Leges, aut præcepta quæ leves materias iubent, ſpectandæ ſunt ut comparatæ ad bonum commune, & finem earumdem legum. Finis legis eccleſiaſticæ eſt animarum æterna ſalus. Legis monaſticæ finis proximus eſt trium votorum obſervantia. Finis legis civilis eſt pax, & tranquillitas ſubditorum. Quæ ergo magnopere huic aſſequendo fini conducunt, graviter obligant; etiamſi abſolute, & circumſtantiis præciſis, res leves eſſent. Quæ vero remote, & parum in hunc finem conferunt, leviter obligant. Porro, quando a legiſlatore, a Prælato reipſa ſub gravi obligatione res alioquin leves præcipiuntur, credendum eſt, niſi evidenter ratio evinceret oppoſitum, magnopere rem præceptam ad finem, & bonum commune ſocietatis conducere. Quando itaque Regularium Prælati vetant ingreſſum in cellam alterius fratris, in talem feminarum domum ob ſcandalum vitandum, parendi gravis obligatio urget: quia actiones vetitæ graviter pugnant cum fine, videlicet obſervantia trium votorum. Hac ratione leges civiles quæ vetant deferre arma, extrahere frumenta, aliaſve merces, inſtaurare vias, purgare canales, & ſimilia, ſæpe graviter obligant: quia ſæpe valde conducunt ad bonum commune civitatis, nempe ad ſanitatem, ad tranquillitatem, pacemque ſubditorum. Tertia tandem regula hæc eſt. Quando materia gravis eſt, ſed dividua, ita ut partes maiores, minoreſve admittat; tum obligatio in genere gravis eſt, ſed levis evadere poteſt: quia non quælibet materiæ pars graviter fini legis repugnat. Materia furti res aliena eſt. Si res aliena levis ſit, leviter tantum; ſi gravis, graviter proximum lædit. Contra, ſi materia præcepta individua ſit, tum fractio legis deliberata ſemper gravis eſt. Sic, quia materia virtutum theologicarum individua eſt, qui contra fidem, ſpem, caritatem in Deum deliberate peccat non credendo, deſperando, odio Deum habendo, grave ſcelus committit. Plures aliæ materiæ individuæ ſunt, quæ ſuis locis explicantur. In materia dividua parvitas, aut gravitas non ſemper eſt abſolute ſpectanda; ſed ordo ad perſonas quas illa afficit, conſiderandus eſt. Nam datur materia, quæ abſolute ſpectata ſemper gravis eſt, ut furtum decem aureorum, quod etiam reſpectu cuiuſque divitis gravis ſemper materia eſt. Et furtum unius oboli ſemper leve abſolute eſt, etiam reſpectu pauperis. Poteſt tamen accidere ut ex privatione talis oboli pauper grave detrimentum patiatur; ut artifex, qui illo obolo acum compararet, quo ſibi alimenta lucraretur: & tum ob talem circumſtantiam damni emergentis, & lucri ceſſantis furtum grave evaderet. Ex quo apparet, veram eſſe illam diſtinctionem qua multi Theologi utuntur, videlicet præter materiam abſolute gravem, & abſolute levem, dari materiam mediam reſpectivam, quæ reſpectu unius eſt gravis, ſecus vero reſpectu alterius; ut

patet

Digitized by Google

patet in adducto exemplo furti, quod reſpectu pauperis grave, reſpectu divitis leve eſt. Sic omiſſio duorum pſalmorum in illo qui ſub præcepto recitare totum, Pſalterium deberet, levis eſſet; reſpectu alterius qui unicam recitare vi præcepti Horam canonicam deberet, gravis foret.

XIII. Quæſt. 8. *Quandonam materia levis per continuationem fiat gravis ?* Reſp. Quoties materiæ parvitates moraliter coniuuguntur inter ſe, tunc componunt materiam gravem; quando e contrario inter ſe moraliter non uniuntur, tunc non gravem materiam, ſed magnam multitudinem, & pluralitatem efficiunt. At inquires, unde colligendum ſit, materiæ parvitates inter ſe moraliter coniungi. Reſpondeo id colligi potiſſimum ex effectu, quem pariunt. Si enim materiæ parvitates multiplicatæ gravem aliquem effectum inferant, tum moraliter coniunguntur inter ſe: diſparatæ quippe multiplicant effectus; at unum gravem non producunt. Exemplis res clarior evadet. In die ieiunii repetitæ ſumptiones alicuius cibi in ſe parvæ quantitatis moraliter uniuntur. Cur? Quia, licet abſolute parvæ ſint præfatæ cibi quantitates, tamen ſimul acceptæ conflant materiam gravem; & moraliter coniunguntur ob effectum quem producunt in corpore humano ſubiecto ieiunio. Fruſtraneum quippe illa die repetitæ iſtæ ſumptiones parvi cibi efficerent ieiunium. Similiter qui eodem feſtivo die ſæpius laboraret parvis temporis intervallis, quæ temporis intervalla magnam conſtituerent temporis partem, graviter peccaret: quia illa temporum intervalla reſpectu eiuſdem feſti moraliter coniunguntur. Materiæ parvitates in genere iuſtitiæ moraliter uniuntur, etiam reſpectu diverſorum. Quandoquidem, licet parva furta, quibus ab hoc ſurripitur obolus, ab altero duo ſolidi, ab altero medius iulius &c. nulli perſonæ gravem effectum, ſeu damnum inferant; tamen gravem effectum inducunt in accipientem, nempe retentionem rei alienæ in magna quantitate: quæ retentio infert debitum reſtitutionis. Hac ratione venditores mercium, qui plures emptores defraudant parvis quantitatibus, licet nemo emptorum grave damnum ſubeat, grave commodum aſſequuntur: idcirco in ultima parva quantitate, ex qua unita aliis parvis quantitatibus coaleſcit materia gravis, præfati venditores graviter peccant. Potiori iure parvæ iſtæ quantitates moraliter uniuntur, ſi ad eamdem perſonam attineant; ut quando ab eodem homine parvas res ſurripis, quæ ſimul acceptæ magnam conflant quantitatem: quia tum duplici ex capite moraliter furtula uniuntur, & propter damnum illatum illi perſonæ, & propter effectum in accipiente relictum, retentionem nempe rei alienæ in gravi quantitate. Quare interdum, dum parva bona uni alicui ſurripiuntur, non tot parvitates requiruntur ad materiam gravem conflandam, quot requirerentur, ſi a diverſis perſonis, quarum nulla ſubiret grave detrimentum, parva bona ſurriperes.

XIV. Quæſt. IX. *Quando interruptæ reputari materiæ parvitates debent ?* Reſp.

Tria ſunt principia unde debet colligi interruptio & ſeparatio parvarum rerum, Temporis intervallum, conditio præcepti, diverſitas perſonarum. Si diverſis diebus eſurialibus parvam cibi quantitatem ſumas, tametſi ſingulis id præſtes diebus, non propterea parvæ iſtæ quantitates moraliter uniuntur: quoniam ieiunium diei onus eſt. Similiter, ſi diverſis diebus feſtivis parvulis temporis morulis laborares, vel diverſis diebus quidquam officii divini omitteres, licet ex partibus iſtis ſimul ſumptis gravis coaleſceret materia, non propterea peccares mortaliter: quia morali nexu parvitates iſtæ haud coniunguntur. Præceptorum quoque diverſitas moralem partium coniunctionem abrumpit. Diebus feſtivis Quadrageſimæ modicam officii partem omittis, modicas cibi quantitates ſumis, modica temporis parte laboras. Parvitates iſtæ nullo morali nexu copulantur ob præceptorum diverſitatem. Similiter, quando plures homines, nulla prævia conſpiratione, conſilio, adhortatione, vel cognitione, ſed fortuito caſu ex eodem ſcrinio, ex eadem vinea quidquam ſurriperent, licet grave detrimentum domino inferrent, nemo illorum peccaret mortaliter: quia nulla inter eos coniunctio foret, in hypotheſi facta quod abſque mutua adhortatione, vel ſcientia, ſinguli parvam ſurriperent portionem.

XV. PP. Salmanticenſes *tract. XI. cap. 11. punct. 11. §. 3. num. 31.* docent, eum qui conſuleret, eſſetque in cauſſa ut plures homines parvam cibi quantitatem ſumerent, parva temporis morula laborarent, vel exigua bona ſurriperent, non peccare graviter, quod ob perſonarum diverſitatem partes iſtæ nullo modo coniungantur. Laudant pro hac opinione *Caſtropalaum*, *Tapiam*, *Suarez*. Hæc doctrina mihi haudquaquam probatur. Quoniam, licet reſpectu diverſorum hominum partes illæ diſparatæ omnino ſint, & nemo illorum ob hanc rationem mortaliter peccet; tamen, ut mea præfert opinio, reſpectu conſulentis, qui cauſſa eſt omnibus præfatis hominibus comedendi, laborandi, furandi parvas quantitates, partes iſtæ moraliter coniunguntur: quia in has omnes partes iſte influit. Qui vero pluribus ſervis diebus feſtis aliquod magnum opus efficiendum, vel magnam pecuniæ quantitatem ſurripiendam, vel ingentem piſcem die ieiunii pro collatione comedendum imperaret, hac cautione ſane verſuta, ut ſinguli modicam tantum partem exequendam ſumerent, letaliter non peccaret? Hæc mihi abſurda videntur. Idcirco aio, hunc mortaliter peccare: quia ipſe revera ſuo conſilio, & influxu materiam gravem, ex parvis partibus moraliter compactam, adverſus recenſita præcepta poneret. Qui ſub initium Quadrageſimæ deliberaret ſingulis diebus parvam cibi quantitatem extra prandium, & collationem comedere, iſtum graviter non peccare, docent laudati Theologi; quod ratione diverſorum dierum partes illæ moraliter non coniungantur. Peccet nec ne mortaliter mihi latet, & bilances deſunt, quibus gradum malitiæ ponderem. Ceterum hunc ego non abſolverem, niſi pravum deponeret propoſitum. Qui his technis circumvenire Dei legem ſtudent, negotium

ſalu-

ſalutis parum curant, & minus ſincere cum divino legislatore cauſſam agunt.

XVI. Quæſt. X. *Quandonam violatio legis in materia parva ex contemptu mortalis evadit?* Reſp. Duplicem contemptum diſtinguit S. Thomas in *IV. diſt.* IX. *art.* 3. *quæſt.* III. Alter eſt univerſalis, cuique legis tranſgreſſioni communis: qui enim legem frangit, legem contemnit. At contemptus iſte non conſtituit ſpeciale peccatum, a legis tranſgreſſione diſtinctum. Alter eſt peculiaris, qui formalis nuncupatur. Contemptus iſte reſpuit legis ſubiectionem, quia & legem, & eius legislatorem parvipendit. Legem violat, quia legem aſpernatur, illamque reiicit, ut inutilem. Qui vero aliqua paſſione abreptus contra legem peccat; tunc non ex contemptu, ſed ex infirmitate legem infringit. *Tunc aliquis tranſgreditur* (inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. CLXXXVI. art. 9. ad 3.) *ex contemptu, quando voluntas eius renuit ſubiici ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem e converſo propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimile peccatum iteret... Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum.* Ex hac peccandi frequentia legis contemptum Theologi colligunt, non formalem & expreſſum, ſed interpretativum. Contemptum hunc fuſius nos expoſuimus in *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica diſs.* V. Qui violat legem ſive divinam, ſive humanam ex contemptu formali legis, aut legislatoris in materia quantumvis parva, ſemper peccat mortaliter: quia iſtius peccati obiectum formale non eſt materiæ parvitas, ſed legis, aut legislatoris contemptus. Porro quod contemptio legislatoris divini ſit grave ſcelus, nemini vel dubitatio in mentem venit. Legislator autem humanus, quatenus legislator, Deum repræſentat, cum omnis poteſtas a Deo ſit. Ergo eiuſdem quoque contemptio gravis eſt.

XVII. Diſtinguenda eſt contemptio legis, & legislatoris a contemptu rei præceptæ. Quis tranſgreditur legem, quia rem præceptam parvipendit, & nullius momenti illam reputat: ſi res parva ſit, venialiter; ſi gravis, mortaliter peccat. Diſtinguunt ſimiliter Theologi contemptum legislatoris, ſeu ſuperioris, non ut ſuperior eſt, ſed ut homo eſt. Et hunc non eſſe proprie contemptum docent. Quare, inquiunt, ſi quis refugeret exequi imperium, non quatenus imperium eſt, ſed quatenus in hac materia eſt inutile; & deſpiceret ſuperiorem, non ut ſuperiorem, ſed ut hominem imprudentem, indoctum, ineptum; tunc non peccare hunc peccatum contemptus formalis, ſed peccatum communiter dictum, plus minuſve, iuxta maiorem aut minorem materiæ gravitatem, aut ſuperioris deſpectionem, afferunt. Doctrina hæc periculi plena eſt. In ſuperioribus non perſonæ conditio, non peculiaria merita, ſed poteſtas quæ a Deo dimanat, ſpectanda eſt. Et ego quidem exi-

exiſtimo, raro accidere peccatum formalis contemptus; at non adeo rara, ſed frequentia occurrere timeo peccata contemptus virtualis, ſeu interpretativi, quem continuata legum tranſgreſſio *diſpoſitive* inducit, ut inquit Angelicus.

C A P U T IV.

De legis pœnalis obligatione ante, & poſt ſententiam iudicis.

I. LEX pœnalis a pœna quam imponit, nomen ſubit: & diſtinguitur a morali, quæ conſcientiam ſtringit, nulla adiecta tranſgreſſoribus pœna. Lex iſta duplex. Altera ſimplex, ſeu *pure pœnalis*, quæ nullo impoſito præcepto, dumtaxat pœnam ſubeundam decernit; puta, *ſi quis frumenta extraxerit, aut introduxerit, ſi quis arma detulerit, tantum pecuniæ ſolvet*. Lex pœnalis *mixta* præceptum, & pœnam includit: *Præcipimus, vetamus ſub tali pœna, ne hoc fiat*.

II. Pœnæ aliæ poſitivæ, ut pecuniarum ſolutio, flagellatio, mutilatio &c. Aliæ privativæ, quæ aliquo bono tranſgreſſores privant, ut excommunicatio, irregularitas. Aliæ tandem mixtæ ex poſitivis, & privativis, ut ſunt illæ quæ quantitatem pecuniæ ſolvendæ, & dignitatis, gradus, ac beneficii privationem imponunt. Harum pœnarum aliæ temporales, ut bonorum confiſcatio, exilium, damnatio ad carceres, & id genus. Aliæ ſpirituales, quæ bonis divinis privant, ut ſunt cenſuræ, & aliæ pœnæ eccleſiaſticæ. Tandem aliæ ſunt latæ, aliæ ferendæ ſententiæ. Illæ ipſo facto, hæ poſt iudicis ſententiam incurruntur.

III. Quæſt. I. *Undenam argui poteſt legem pœnalem mixtam obligare ſub gravi culpa?* Reſp. Leges aliæ eccleſiaſticæ, aliæ civiles. Primum de illis, poſt de his dicendum eſt. Leges eccleſiaſticæ, quæ aliquid præſcribunt ſub excommunicationis maioris pœna, ſemper obligant ſub gravi culpa. Quoniam hæc excommunicatio non infligitur, neque contrahitur, niſi ob peccatum mortale; ut communiter docent omnes. Quæ vero adiiciunt pœnam excommunicationis minoris, vi iſtius pœnæ non infertur, tranſgreſſionem legis eſſe mortalem, quia ob culpam venialem contrahi pœna iſta valet. Attendenda ergo eſt materiæ gravitas, vel parvitas, quæ legi ſubeſt: nam, ſi materia præſcripta gravis ſit, tranſgreſſio mortalis; ſi levis materia, levis violatio erit; ut communiter docent omnes. Alias cenſuras irregularitatis, ſuſpenſionis, interdicti latas in lege negant aliqui Theologi ſigna eſſe obligationis ſub gravi culpa. Sed, opinione iſta miſſa, dicimus, pœnas recenſitas numquam a legislatore infligi, niſi ob culpam gravem; idemque dicendum de degradatione, depoſitione, & ſepulturæ privatione. Hæc omnia ma-

manifeſte indicant, voluntatem legislatoris gravem imponere obligationem. Præfatæ quippe pœnæ magnis bonis ſpiritualibus privant tranſgreſſores. Leges autem eccleſiaſticæ quæ eiuſmodi pœnas infligunt, mixtæ ſunt, includuntque præcepta poſitiva adiectis pœnis, quæ evincunt, legislatorem ſummo ſtudio legum obſervantiam velle.

IV. Quæſt. II. *Pœnæ temporales, inflictæ a lege pœnali, ſunt ne ſufficiens ſignum obligationis ſub culpa gravi?* Reſp. Martinus Navarrus in *Man. cap.* XXIII. *num.* 55. primus omnium docuit, nullam legem pœnalem, ſive eccleſiaſticam, ſive civilem, quæ temporales pœnas infligit, in conſcientia obligare. P. Dominicus Viva *Tom. I. de leg. quæſt.* IV. *art.* 2. referens hanc opinionem inquit: *Probabilis tamen eſt ſententia Navar. Covar. Reginal. Palai, & aliorum apud Dianam.* Hac phraſi, *apud Dianam*, paſſim P. Viva utitur, & hanc Navarri ſententiam propugnat cum eodem Diana: quia, inquit, poteſt Reſpublica obligare tranſgreſſores ſuarum legum ad pœnam ſuſtinendam; quin obliget ad culpam. Sic poteſt cuſtodibus in bello ſub pœna vitæ imponi vigilia; quin obligentur ſub mortali ad vigilandum. Neque dicas, ſubdit, peccare eum mortaliter qui vitæ periculo ſe ſe exponit. *Nam, ut notat Diana, poteſt aliquis tam caute legem tranſgredi, ut non ſubſit periculo, ut deprehendatur.* Ubique doctrina Dianæ recurrit. Quo ergo ſagaciores ſunt ſubditi in deludenda Principis lege, eo ſunt feliciores. Quantum hæc Dianæ doctrina & rectæ rationi, & Principum poteſtati, & tranquillitati Reipublicæ repugnet, nemo non videt.

V. Ut propoſitæ quæſtiunculæ perſpicue reſpondeam, dico primum, leges pœnales mixtas, quæ verbis, *præcipimus*, *iubemus*, *mandamus*, *vetamus* &c. quidquam imponunt præſtandum, vitandumve, obligare in conſcientia ſub culpa gravi. Et ratio evidens eſt. Nam divinæ leges ſub gravi culpa obligant, licet graviſſimas infligant pœnas. Leges omnes quas præceptivas vocant, obligant in conſcientia. Ergo, ſi ultra præcepta pœnas adiiciunt, gravius ſe obſtringere ſubditos legislatores declarant. Quare ſententia Navarri, qui ait, *leges humanas etiam præcipientes non obligare ad pœnam æternam*, nullo modo probabilis eſt: & rationes quas allegat, nullius ſunt momenti. Nam quod opponit, odia eſſe reſtringenda, verum habet; ſed iuxta rationis & æquitatis regulas. Quod ſubdit, Principes non cogitare de culpa, poſſeque ſola pœnarum ſeveritate Rempublicam moderari, vanum commentum eſt. Nam ethnici Principes de culpa pœnaque æterna nihil cogitabant. Et tamen Apoſtolus Paulus clamat iis parendum eſſe *propter conſcientiam*. Conſuetudo quam allegat Navarrus, contra eumdem urget; cum communis Theologorum ſententia oppoſitum defendat: nec conſuetudo ex tranſgreſſorum multitudine, ſed ex doctrina ſana, & ſanctorum hominum auctoritate ſumenda eſt.

VI.

VI. Diſſidium eſt de lege pure pœnali, quando videlicet legiſlator pœnam imponat verbis præcipientibus, adhibeatque verba, *ſtatuimus*, *ordinamus* &c. PP. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* II. *punct.* 3. *§.* I. *num.* 51. docent, legem *pure pœnalem* non obligare in conſcientia. Advertunt tamen excipiendas eſſe leges quæ pretium rerum taxant, aut aliquod aliud debitum ſolvendum præſcribunt: quia eiuſmodi leges non obligant ut pœnales, ſed prout declarant, & exprimunt obligationem legis naturalis. Suamque concluſionem evincunt: quia legiſlator poteſt obligare ad ſolam pœnam. Ergo ad hanc ſolam illum aſtringere ſubditos dicendum eſt, quoties præceptum non adiicit. Et laudant pro hac opinione *Sanchez*, *Caſtropalaum*, *Bonacinam*, *Aravium*, *Suarez*, & alios. Nec admittunt limitationem, quando nempe pœnæ inflictæ ſunt graviſſimæ; ut pœnæ mortis, infamiæ, triremium, carceris perpetui, publicæ flagellationis, amiſſionis omnium bonorum &c. Et ad oppoſitum fundamentum, quod exponere ſe mortis, infamiæ, perpetui carceris &c. periculo ſit peccatum mortale, reſpondent, eſſe peccatum letale contra legem caritatis, ſecus contra legem pœnalem. Heinc concludunt, nullam legem, ſive eccleſiaſticam, ſive civilem, pure pœnalem, quantumvis graviſſimas imponat pœnas, obligare in conſcientia: quia ad incurrendam pœnam, etiam graviſſimam, non requiritur culpa theologica; ſed ſat eſt civilis & politica. Et laudant pro hac opinione *Caſtropalaum*, *Tapiam*, *Navarrum*, *Reginaldum*, & alios.

VII. Opinionem hanc, ut minus probabilem, reiicio: & ſententiam, quæ mihi probabilior eſt, expono. Legis pœnalis obligatio ex verbis legiſlatoris, ex materiæ gravitate, ex pœnarum atrocitate haurienda eſt. Si ex verbis legiſlatoris deprehenditur eum nolle obligare ſub culpa, ſola pœna ſubeunda violatoribus erit. Tum vero ex verbis legis hoc eruitur, quando legiſlator declarat, ſe nolle ad culpam obligare: quoniam omnis vera lex ad culpam obligat. Et, ne obliget, exprimere id legiſlator debet; ut reapſe omnes Inſtitutores ſacrorum Ordinum præſtitere, quando ad culpam obligare noluerunt. Concedo, non ſemper neceſſe eſſe ut legiſlator conceptis verbis exprimat ſe nolle ſub culpæ reatu obſtringere ſubditos; ſed ex verborum forma quandoque id erui legitime poſſe; ut quando legiſlatores hac disiunctiva formula utuntur, Nemo extrahat frumentum; aut, ſi extraxerit, ſolvat quinquaginta aureos: nemo arma deferat; qui detulerit, eadem amittat. Tum enim aſſentior & ego, nullam adeſſe obligationem ſub culpæ theologicæ reatu. Quibus poſitis, dico, quoties lex pœnalis imponit graviſſimas pœnas, mortis, infamiæ, triremium, exilii, confiſcationis omnium bonorum, obligare ſub culpa mortali; etiamſi præceptum verbis expreſſum non contineatur in lege. Quoniam legiſlatores rationabiliter ſe gerere in legibus condendis, ſentire nos convenit. Porro contra rectam rationem ageret legiſlator qui atrociſſimas in-

Digitized by Google

infligeret pœnas iis qui nullam perpetrarent culpam. Poteſtate præditi ſunt legislatores humani obligandi ad culpam: ergo, quoties pœnas mortis, infamiæ, perpetui carceris infligunt, ſub culpæ reatu obſtringunt. Quoniam, ut dictum eſt, atrocium pœnarum impoſitio argumentum eſt, legislatorem velle omni efficaciori modo quo valet, aſtringere ſubditos ſuos ad obſervandas leges. Valet autem eos ad culpam obſtringere. Ergo reapſe eoſdem ligat. Et, ſi rogaremus omnes Principes, Reges, Imperatores, utrum ſubditorum conſcientias obſtringere velint eis legibus quarum obſervantiam ſub capitis pœna indicunt, nemo unus eſſet qui non reſponderet, ſe velle omni & meliori poſſibili modo ſubditos ſuos obligare, atque adeo ſub culpa; cum ſub culpa obſtringere eos valeant. Immo potiſſimum Principes intendunt poteſtate ſibi a Deo collata uti, obligandi ſcilicet ſubditos ad legum ſuarum obſervantiam ſub culpæ reatu; cum ſciant hoc eſſe potiſſimum vinculum obſtringendi ſubditos bene moratos. Quid? Otioſam ne tenere illi volunt potiſſimam ſuæ poteſtatis vim? Quæ omnia confirmantur ex materiæ gravitate. Pœnæ atroces enarratæ numquam infliguntur niſi in materia gravi, & graviſſima, quæ conducit bono communi Reipublicæ.

VIII. Heinc colliges, graviter peccare illos qui violant leges vetantes ne aliquæ merces aut introducantur, aut extrahantur, ſub pœna exilii, perpetui carceris, infamiæ &c. Quoniam leges iſtæ obligant in conſcientia ob rationes datas. Et iſtarum legum violatores pernicioſi ſunt bono communi principatus. Introductio exterarum mercium ſæpe graviſſime nocet artificibus patriæ, detrimentum infert Principis ærario, & plurima mala parit. An oppidorum leges vetantes ne animalia in aliena paſcua immittantur, ne cædantur ligna ſylvarum, prohibentes piſcationem, venationem &c. obligent nec ne ad culpam; ex qualitate, & quantitate pœnarum, ex forma legum colligendum erit. Leges eiuſmodi villarum, oppidorum &c. non ſunt veræ leges ex defectu poteſtatis.

IX. Ut paucis omnia concludamus, vix Principes condunt leges quæ ſint pure pœnales: quia, ut dixi, in materia gravi intendunt obligare totius poteſtatis conatu; pœnaſque adiiciunt, ut heinc ſubditi evidentius intelligant, comprehendantque obligationis gravitatem. Fractores itaque iſtarum legum, non modo peccant contra caritatem, quia periculo infamiæ, triremium, exilii perpetui ſe exponunt; verum etiam quia violant legem pœnalem, quæ ſub culpa obligat. Illudque memoriæ commendandum, quod lex quæque natura ſua obligat ad culpam: & exemptio ab hac obligatione exceptio eſt peculiaris, quæ, niſi a legislatore exprimatur, præſumi nequit. In dubio autem, utrum legislator excipiat nec ne ab hac obligatione, tenendum eſt eum non excipere, ſed contra obligare ſub culpæ reatu; quidquid in oppoſitum dicant Probabiliſtæ. Sed de hoc fuſius infra.

X.

Digitized by Google

X. Quæſt. III. *Violatores legum pœnalium tenentur ne taxatas pœnas luere ante iudicis ſententiam?* Reſp. Pœnæ impoſitæ a legislatore aliæ *ferendæ*, aliæ *latæ ſententiæ* ſunt. Aliæ paſſivæ, quæ nullam violatoris actionem expoſcunt; aliæ poſitivæ, quæ executioni mandari nequeunt abſque tranſgreſſoris actione. Convenit penes omnes, pœnas ſpirituales inflictas ab eccleſiaſtica lege, ſi ſint *latæ ſententiæ*, a tranſgreſſore ſubeundas eſſe ante iudicis ſententiam. Eiuſmodi pœnæ ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irregularitas &c. Ratio eſt, quia legislator reipſa poteſt infligere eiuſmodi pœnas, ante iudicis ſententiam ſubeundas. Ergo quoties in ſua lege declarat, reum *ipſo facto* obnoxium fore eiuſmodi pœnis, reipſa eaſdem perferre ille debet. Excipienda tamen eſt irregularitas, quæ infamiam parit: quia nemo cenſendus iure infamis eſt, niſi poſt iudicis ſententiam.

XI. De aliis pœnis temporalibus privativis, ut de privatione vocis activæ, & paſſivæ, idem docent multi & graves Theologi: atque adeo nulla electio eſt quæ præſupponat privationem ipſo facto latam vocis paſſivæ in electo, & vocis activæ in electoribus. Addunt tamen, non teneri reum ſe voce privare ante iudicis ſententiam, ſi notam infamiæ ſubiret: quia ius ad propriam famam tuendam prævalere humano iuri, talem pœnam imponenti, debet. Addunt, debere reipſa tam electores, quam eligendos abſtinere ab electione & activa, & paſſiva: quia, cum legislator poteſtatem habeat infligendæ pœnæ, ipſo facto incurrendæ ante iudicis ſententiam, conſequitur, ſubditos ipſo facto eam incurrere. Potiuntur poſtea iſti iure purgandæ ſuæ famæ, poſt obedientiam legi præſtitam. Verum, ſubdunt alii, quod, dum pœnæ privant iure iam acquiſito ad aliquam rem, tunc pœna non incurritur ante iudicis ſententiam, declaratoriam ſaltem criminis, vi cuius ſubeunda pœna eſt; etiamſi lex enuntiet, pœnam ſubeundam eſſe ante iudicis ſententiam. Quare qui ius acquiſivit, ut eligat, ut eligatur, antequam his iuribus privetur, ſententia iudicis criminis declaratoria præcedat oportet. Ratio quam aſſignant, valde congrua eſt: quoniam lex opportuna, & apta eſſe debet hominum conditioni, & nimiæ ſeveritatis expers. Nimium autem rigorem & ſeveritatem præfert quod homines non auditi, ſponte ſuis bonis iam acquiſitis ſe ſe privent. Hanc ſententiam defendit Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* VI. *art.* 6. Molina *Tom. II. tract.* 11. *diſput.* XCVI. Caietanus in *ſum. verb. Pœna*. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* 11. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 59. Turnely *tract. de leg. cap.* V. *ſect.* 1. & alii plures. Excipiuntur aliquæ pœnæ, quas ipſo uſu, & conſuetudine ante iudicis ſententiam reipſa rei ſubeunt; ut pœna qua coniuges ob inceſtus crimen, cum alterius conſanguineo perpetratum, a debiti petitione privantur. Pœnas autem poſitivas quæ conſiſtunt in actione poſitiva tranſgreſſorum, non incurri ante iudicis ſententiam, tametſi in lege dicatur, *ipſo facto, non expectata iudicis ſententia*, communis ſententia eſt.

XII.

Digitized by Google

XII. Aliæ pœnæ ſunt quæ non aliquo acquiſito iure privant, ſed inhabiles declarant homines ad aliqua bona, ſeu iura indipiſcenda. Hæ tamen, ſi preſſe loqui velimus, pœnæ non ſunt; ſed impedimenta, a legislatore ob bonum commune iuſte præſcripta. Et eiuſmodi pœnas, a iure ſive canonico, ſive civili latas, incurri ante quamcumque iudicis ſententiam, communiter Theologi docent. Quamobrem Beneficiarii, qui officium divinum non recitant, incurrunt pœnam reſtitutionis fructuum pro rata in Concilio Lateranenſi I. taxata: & Paſtores animarum incurrunt pœnam latam in Concilio Trident. *ſeſſ. XIII. cap.* 1. *de Refor.* contra non reſidentes in ſuis Eccleſiis. Omnes iſti pro tempore quo non reſederunt in ſuis Eccleſiis, reſtituere beneficii fructus debent ante iudicis ſententiam: cui debito non tam ex poſitivo, quam ex naturali iure obnoxii tum Beneficiarii, tum animarum Paſtores ſunt. Qui conſequuntur beneficium ſecundum, quod ſimul cum primo retinere nequeunt, ipſo facto inhabiles fiunt ut alia aſſequantur, niſi renuntient. Similiter electio hæretici ad beneficium eccleſiaſticum ipſo facto irrita eſt ante iudicis ſententiam. Pœnam quoque inhabilitatis ad futurum matrimonium, non expectata iudicis ſententia, incurrunt mariti, qui propriam occidunt uxorem, ut cum altera matrimonium ineant, aut alteram agnoſcunt cum futuri matrimonii promiſſione.

XIII. Conditiones quas legislator præſcribit pro aliqua dignitate, vel gradu aſſequendo, quæ ſub pœnarum nomine comprehendi ſolent, licet pœnæ abſolute non ſint, ipſo facto, & non expectata iudicis ſententia, inhabiles reddunt candidatos ad dignitatem, aut gradum. Quare electus Epiſcopus, ſi infra ſex menſes non conſecratur, privatur Epiſcopatu: & electus ad beneficium curatum, ſi intra annum non ordinatur Presbyter, beneficio privatus remanet. Ceteras pœnas, ſive privativas, ſive privativas, ſive ex utriſque mixtas, non incurrunt tranſgreſſores ante iudicis ſententiam declarativam criminis; etiamſi in lege dicatur, eaſdem *ipſo facto, non expectata iudicis ſententia*, incurri. Quapropter non privantur ſimoniaci beneficiis obtentis, media ſimonia confidentiali; licet PIUS IV. in ſua conſtitutione ipſo facto iiſdem beneficiis ſimoniacos privet. Eodemque modo explicanda lex eſt, lata a Boniſacio Papa III. & confirmata a Gregorio XIII. contra eos qui in curia aliquid pro gratia, & iuſtitia accipiunt.

XIV. Dices: Vt quid leges præſcribunt pœnas ipſo facto, non expectata iudicis ſententia, ſubeundas, ſi communiter Doctores oppoſitum docent? Irriſoriæ videntur, & vanæ eiuſmodi clauſulæ, ſi numquam executioni demandantur, niſi poſt lites & expenſas forenſes. Præfatæ clauſulæ vanæ aut ſuperfluæ minime ſunt. Quoniam in præfatas pœnas ipſo facto, & non expectata iudicis ſententia incidunt tranſgreſſores, poſito quod reipſa violatores legum fuerint. Quare in iudicis arbitrio minime eſt eiuſmodi pœnas aut coarctare, aut temperare, aut mutare. Ad quid ergo iudicis ſententia requiritur? Vt declaretur crimen ob quod ſubeundæ pœnæ ſunt.

Quo

Quo declaraio, ipſo facto perferre reus pœnas debet. Et in hoc relucet mitis & ſuavis modus legislatorum. Conſtituunt ipſi pœnas, definiuntque, quas perferri a tranſgreſſoribus volunt, nullo alio iudice ſuper qualitate, aut quantitate pœnarum ſententiam ferente. At ſimul permittunt ut iudex crimen recognoſcat, declaretque revera perpetratum eſſe.

XV. Quæſt. IV. *Qui a contractu inito reſiliunt, ſubire ne pœnam conventionalem debent, latam in eiuſmodi reſilientes, ante ſententiam iudicis?* Reſp. Sæpe ineuntes aliquem contractum reciproco conſenſu pœnam conſtituunt, puta quinquaginta aureorum, ab illo ſubeundam qui initio contractui non ſteterit. Convenit penes omnes, pœnas debere eſſe licitas, honeſtaſque, non reprobatas a iure; ut ſunt illæ quas conſtituunt ſponſi, ſolvendas ab eo qui ſponſalia fregerit, quæque proſcriptæ ſunt in *cap. Gemma* de ſponſ. utpote matrimonii libertatem impedientes. Pœna quoque moderata eſſe debet intras æquitatis confinia. Certum quoque eſt, neutrum ex conirahentibus in pœnam incurrere, ſi abſque utriuſque, aut alterutrius culpa contractus executioni non mandetur.

XVI. Quibus conſtitutis, ut certis penes omnes, diſputant in utramque partem Theologi ſuper propoſita quæſtione. Negat prima ſententia, ante iudicis ſententiam ſubeundam pœnam eſſe a reo qui contractui celebrato ſtare recuſaverit. Quoniam præſumendum eſt, contrahentes pœnam illam ſibi imponere iuxta diſpoſitionem iuris communis circa leges pœnales. Porro ſecundum ius commune reſpectu omnium eſt, quod nemo pœnam ſubeat niſi poſt iudicis ſententiam. Ergo ad normam legis communis interpretanda eſt conventio illa pœnalis quam mutuo conſenſu ſtatuunt contrahentes. Quandoquidem hæc pœna conventionalis, non ſecus ac lex generalis pœnalis, odioſa eſt. Ergo eodem modo reſtringenda, ac benigno in ſenſu explicanda. Hanc ſententiam, præter alios, defendit P. Viva *Tom. I. quæſt. IV. art. II. num. 5.* ubi citat *Leſſium*, *Sanchez*, *Vaſquez*, *Palaum apud Dianam*.

XVII. Oppoſita ſententia mihi probabilior apparet, nempe partem quæ culpa ſua a contractu inito recedit, luere conſtitutam pœnam debere ante iudicis ſententiam. Siquidem conventio iſta pœnalis quidam contractus eſt, libero conſenſu celebratus. Sed quilibet honeſtus, ac iuſtus contractus, libero reciprocoque conſenſu celebratus, non expectata iudicis ſententia, executioni demandandus eſt. Ergo & præfatus. Quod laudata conventio ſit quædam contractus ſpecies, addita primo contractui, ſeu conditio eumdem contractum concomitans, nec in dubium revocari a quoquam poteſt. Ergo qua ratione ante iudicis ſententiam celebrare primum contractum partes aſtrictæ ſunt, eadem exequi ſecundum debent. Quod voti exemplo confirmari poteſt. Qui votum edit quidquam exequendi, adiecta conditione ſubeundæ pœnæ, niſi votum impleverit, ante iudicis ſententiam poenam luere debet quam in hypotheſi fracti voti ſibi præſcripſit. Nec aliud aſſignari diſcrimen

votum

votum inter & contractum poteſt, niſi quod ad contractum celebrandum duo concurrunt; unus vero votum edit. Quod diſcrimen nullum eſt. Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo contrahentes non convenerint, pœnam non eſſe ſubeundam, niſi iudicis ſententia expectata: quo in caſu ceſſaret omnis quæſtio.

XVIII. Quæſt. V. *Legum pœnalium violatores tenentur ne, prolata iudicis ſententia, ſeipſis pœnam exequi; an debent expectare iuſtitiæ executionem?* Reſp. Pœnæ duplicis ſunt generis. Aliæ quas reus propria actione abſque ulla feritatis nota exercere poteſt; cuiuſmodi ſunt ieiunia, diſciplinæ, exilium, & ſimilia: & has pœnas, non expectata iuſtitiæ executione, luere reus debet. Aliæ ſunt pœnæ quas reus infligere ſibi propriis manibus non poteſt; ut ſupplicium mortis, abſciſſio capitis, mutilatio manus &c. Eiuſmodi pœnas nec iudex exequendas a reo præcipere licite valet, nec reus eaſdem exequi ſeipſo tenetur; ſed tantum perferre illas a miniſtro iuſtitiæ inflictas debet, & ea præſtare quæ ex parte ſua conveniunt, ut ſcalam aſcendere, cervicem gladio ſupponere. Has pœnas quemadmodum patienter ferre reus aſtringitur poſt latam a iudice ſententiam; ita poteſt eaſdem via licita declinare, occaſione data. Poteſt reus fugam arripere, ut mortem devitet; non vero miniſtros iuſtitiæ aggredi, vel ferire iure valet.

XIX. Quæſt. VI. *Tenetur ne iudex pœnas a lege taxatas reo applicare?* Reſp. Aut iudex eſt Princeps ſupremus, aut Principis miniſter. Cum Princeps ſupremus perſonam iudicis ſuſtinet, poteſt pœnam a lege taxatam minuere, immo & augere; non ex mera voluntate, quia & Princeps ſupremus legum directioni ſubeſt; ſed ex rationabili congruentia, & iuxta circumſtantiarum, & reorum diverſam conditionem. Cavendum tamen Principi eſt ne nimia indulgentia improbis anſam præbeat ad perturbandam ſocietatem. Quare, ſi rei ſoliti ſint delinquere adverſus ſocietatem, miſericordia, ſeu clementia Principis in eiuſmodi reos eſt immanis crudelitas adverſus innocentes. Spectandæ itaque ſunt plures circumſtantiæ, ut ſupremus Princeps iure queat minuare, vel augere reorum pœnam. Iudices vero inferiores nequeunt minuere, & multo minus augere pœnam a lege taxatam. In aliquo caſu ſævitiem pœnarum pia interpretatione poſſunt temperare; dummodo id rei bono; & communi utilitati congruat; ſicuti, cum delictum aliqua atrociori circumſtantia affectum eſt, poterit tum iudex augere pœnæ ſeveritatem, prout expedire bono communi Reipublicæ cognoverit.

XX. Quæſt. VII. *Si iudex abſque cauſſa pœnam a lege præſcriptam remittat, tenetur ne ad reſtitutionem?* Reſp. Vix contingere caſus valet in quo iudex teneatur ad reſtitutionem pœnæ quam applicare reo negligit. Difficultas eſſet de pœna pecuniaria, applicanda vel fiſco, aut parti læſæ, vel pauperibus. Et tum, ſi abſque ulla legitima cauſſa iudex ex genio pœnam applicare omitteret, a reſtitutionis onere ipſum non liberarem. Quoniam pars læſa ius habet ad compenſationem damni

ſibi a reo illati: & iudex ex officio tenetur iuſtitiam adminiſtrare. Quare in ſimilibus eventibus non legalem modo iuſtitiam, verum etiam commutantem violat. Iudices omnes, tum ſupremi, tum inferiores, cauti eſſe debent in declinandis cum rigoris, tum indulgentiæ extremis. Inferiores vero iudices poſſunt quandoque, præcipue dum pœnarum atrocitas delinienda, & temperanda eſt, in benigniorem partem legem interpretari: quoniam iſtius atrocitatis linimentum nemini præiudicium infert, & animum miſeri rei aliquantulum recreat.

XXI. Quæſt. VIII. *Lex in præſumptione fundata contra legem divinam, veritate deficiente, obligat ne in conſcientia?* Reſp. Caſus contentus in propoſita quæſtiuncula eiuſmodi eſt. Duo nobiles coniuges plurium annorum ſpatio, matrimonio ſolemni ritu contracto, eumdem thalamum habitant, ſeſeque agnoſcunt. Elapſo hoc annorum intervallo, nobilis mulier impotentiæ maritum accuſat, litemque eidem intentat pro dirimendo matrimonio. Lis in tribunali agitur, & tandem declaratur matrimonium nullum ob impotentiam. Soluto matrimonio, ambo coniuges matrimonia nova ineunt, amboque prolem continuo ſuſcipiunt. Hic eſt caſus quem diſcutiendum propoſita quæſtiuncula continet. In foro exteriori iudices præſumunt matrimonium nullum eſſe. Fallit præſumptio hæc. Lex, ſeu ſententia, in hac præſumptione falſa fundata, obligat, ſeu efficit ne ut aut mulier, aut maritus, qui certo ſcit ſe non eſſe impotentem, valeat alteri mulieri nubere? Sententiam negantem defendunt communiter Theologi. Quoniam nulla falſa præſumptio prævalere legi naturali, aut divinæ poteſt. Præſumptio hæc in foro exteriori valet, quia ſecundum allegata & probata reputatur vera. At, facta hypotheſi, quod unus coniugum certo ſciat ſe carere impedimento illo quod iudices exiſtimarunt adeſſe, & vi cuius nullum declararunt matrimonium, numquam matrimonium inire valet: quia indiſſolubilitas matrimonii iure naturali iubetur, & divino. Opponi impotentia reſpectiva nequit contra factum. Nam maritus certo ſcire poteſt ſe eſſe, aut non eſſe potentem cum ſua coniuge; nam certo ſcire poteſt abſtulerit nec ne ſignaculum virginitatis. Impotentia hæc reſpectiva colligi nequit ex defectu prolis: alioquin omnes coniugati qui prole carent, dirimere matrimonia poſſent. Ex ſolo ergo fundamento, quod cum tali coniuge coire maritus nequeat, colligi hæc impotentia reſpectiva poteſt. At tam mulier, quam maritus certo ſcire hanc impotentiam valent. Ergo, admiſſa hypotheſi quod uxor, aut maritus certo ſciat ſe non eſſe impotentem, tametſi in foro exteriori nullum declaretur matrimonium, numquam poterit contrahere aliud matrimonium: &, ſi contraxerit, nullum erit. Quid, ſi mulier ſagax ſua dexteritate impediret ne maritus reipſa clauſtra virginitatis frangeret? Duplex, immo multiplex & continuata iniquitas foret. Vtrum poſtea fieri poſſit ut maritus ſit impotens per decem, aut duodecim annorum ſpatium cum coniuge virgine, & poſt elapſam iuventutem, & ſolutum cum eadem matrimonium, eva-

Digitized by Google

evadat potens continuo cum alia deſponſata virgine : ſoli qui ratione carent, in diſcrimen adducere hoc valent. Sententiam hanc defendunt Theologi, qui advertunt legem fori exterioris latam eſſe ſub conditione, videlicet ut ex allegatis, & probatis apparet. Sic docent Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* VI. *art.* 4. Suarez *Lib. III. cap.* XIII. & *Lib. V. cap.* XXIV. Caſtropalaus *tract.* III. *diſp.* I. *punct.* 14. *num.* 12. Salas *diſp.* XVI. *ſect.* 7. *num.* 14. Aravius *in* I. 2. *quæſt.* VII. *diſp.* VII. *ſect.* 3. *difficult.* 2. *num.* 26. Tapia *Lib. IV. quæſt.* XIII. *art.* 2. Gregorius Martinez *quæſt.* XCVI. *art.* 4. *dub.* 5. Bonacina *diſp.* II. *quæſt.* I. *punct.* 7. *§.* 3. Diana I. *Part. tract.* X. *reſol.* 27. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* II. *punct.* 4. *num.* 78. Plura alia exempla adiiciunt Salmanticenſes, quæ omnia mihi non probantur; ut illud de conſtitutione Clementis VIII. qua largitio munerum interdicitur Regularibus; quam conſtitutionem, in præſumptione fundatam ambitionis, illi contendunt; qua ambitione ceſſante, licitam munerum largitionem aſſerunt. Laudata conſtitutio eo tendit, ut paupertatis monaſticæ votum ſartum tectum cuſtodiatur : quare abſolutum eſt interdictum.

XXII. Pro omnium tamen exemplorum clariori intelligentia animadvertendum eſt, duplicem diſtingui a Theologis præſumptionem, aliam *iuris*, aliam *facti*. Præſumptio *iuris* ea dicitur quæ in tali aut tali contractu dignoſcit periculum fraudis, damni, fallaciarum communiter, & ſere ſemper occurrere : idcirco legem abſolutam condit legislator, qua talem contractum in omni caſu vetat; quamquam in aliquo caſu periculum illud non adeſſet. Præſumptio *facti*, quam etiam *definitionis* vocant, determinat in hoc particulari caſu rem accidere; & ex hac ſuppoſitione legislator, vel iudex decernit rem ita ſe habere; in quo iudicio tacita conditio includitur, ſi *factum reipſa ſic ſe habeat*. Quare, ſi falſitas præſumptionis, ſeu facti in foro exteriori probaretur, ſubditus ab obligatione legis abſolveretur. Concilium Tridentinum prohibet matrimonia clandeſtina ex præſumptione fraudum, fallaciarum, damnorum &c. quæ talia conſequuntur matrimonia. Et quia eiuſmodi fraudes communiter in ſimili contractu contingunt, idcirco legem abſolutam tulit; ita ut matrimonium nullum ſit, etiamſi nulla fraus occurreret. Quoniam legislator ad id quod communiter accidit, ſecus ad aliquem rarum, & particularem eventum, animum in condenda lege intendit. Præſumptio iuris non eſt præſumptio propriè dicta : quia lex quæ abſolute prohibet in omni eventu aliquem contractum, non innititur præſumptione, ſed iudicio certo & abſoluto.

Digitized by Google

CAPUT V.

De lege tributorum.

I. TRibuti originem alii a *tribubus*, quia quondam *tributim* vectigalia ſolvebantur, alii a verbo *tribuo* repetunt. Tributum penſio publica eſt quam ad Principatus ſumptus, & communes Reipublicæ expenſas populi ſolvunt. Tributum aliud *reale*, quod pro fundis immobilibus ſolvitur, & vulgo dicitur *Campatico*; aliud *perſonale*, quod pro induſtria, boniſque mobilibus populi pendunt, vulgoque appellatur *Teſtatico*, ſeu *Capitatio*, quod per capita ſolvitur. Aliæ ſunt tributi acceptiones. Nam penſio impoſita rebus quæ in civitatem inducuntur, aut ab urbe exportantur, *Vectigal* nuncupatur. Tributum quod ſolvitur pro rebus quæ vehuntur per pontes, aut flumina, appellatur *Portorium*: quod penditur ob viarum cuſtodiam & inſtaurationem, *Pedagium* dicitur: & tandem quod exigitur pro perſonarum operibus, vocatur *Angaria*.

II. Quæſt. unic. *Lex quæ tributum imponit, obligat ne in conſcientia?* Reſp. Angelus, Navarrus, Soncino, Bartholomæus Medina, & alii negantem ſententiam defendunt. Iſtorum ratiunculæ hæ ſunt. I. Communis hominum ſenſus, ſeu univerſalis conſuetudo invaluit, leges tributorum eſſe mere pœnales, quæ in conſcientia non obligant, ſed ſolum ad mulctam ſubeundam, ſi vectigalia non ſolvantur. II. Leges iſtæ tributariæ diſiunctivæ ſunt, videlicet, *ſolve; aut, niſi ſolveris, deprehenſus mulctam dabis*. III. Quia ſolutione pœnæ impoſitæ ſatis providetur ſumptibus Principatus. IV. Quia tot vectigalia iniuſta ſunt, nimiſque durum eſſet in conſcientia obſtringere ſubditos ad tot tributa ſolvenda.

III. Hanc opinionem, ut laxam, falſam, & verbo Dei repugnantem, communis Theologorum ſenſus improbat. Perdoctus Alphonſus a Caſtro Franciſcanus ſtilo acri & eleganti hanc doctrinam, ceu errorem apertiſſimum, profligat *Lib. I. cap.* x. de lege pœnali, cuius pauca tranſcribere verba lubet. *Ex hac falſa* (inquit) *doctrina mihi conſtat multos denegaſſe Regi Hiſpaniæ tributa. Rem mihi notam narro, quam ego ipſe vidi, & non quam ex aliorum relatione didici. Nam multi mercatores in variis Hiſpaniæ locis me de hac re conſuluerunt, quibus conſtanter, & eodem tenore ſemper reſpondebam, illos qui talia tributa denegant, peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem .... Hæc cauſſa fuit quæ me ad hoc opus ſcribendum impulit, ut huic errori peſtifero, quem ſciebam multorum peccatorum fuiſſe cauſſam, occurrerem. Timebam enim illud Iſaiæ*: Væ mihi, quia tacui: *& illud Leonis*: Qui alios ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat. *Quis enim vir-*

do-

doctus, & catholicus tolerare potuiſſet tam peſtiferam ſententiam, quæ docet furta ſine peccato exerceri; & quæ furto ſublata ſunt, ſine peccato retineri?

IV. Adeo luculenta ſunt divinæ Scripturæ teſtimonia, quibus tributorum ſolutio præſcribitur, ut mirari ſubeat, Theologorum aliquem repertum fuiſſe qui ſub culpæ reatu ſolvenda eſſe tributa negare auſus fuerit. S. Paulus *ad Romanos XIII.* inquit *: Ideo & tributa præſtatis : miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes . Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Chriſtus Dominus Matth. XXII. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Quid luculentius adduci poteſt, ut evincatur, divina lege ſolvenda Principibus eſſe tributa?

V. Lex ipſa naturalis tributorum ſolutionem præcipit. Nonne famulis, qui dominis ſuis operas locant pacto pretio, iure naturæ pretium iſtud debetur? Principes operas ſuas populis locant, ut ſerviant imperando, regendo, defendendo populos, quemadmodum ſervi inſerviendo. Nec aliud diſcrimen reipſa eſt, niſi, quod iſti inſerviunt, illi iubent, diriguntque. Ergo ſtipendium, non ſecus ac ſervis, ex iuſtitia debetur. Porro pretium iſtud ſolvitur tributorum, & vectigalium contributione. Leges itaque quæ taxant, definiuntque quantitatem tributorum, in conſcientia obligant; ſicuti in conſcientia aſtringunt leges quæ decimarum ſolutionem præcipiunt pro Paſtoribus qui animas dirigunt. Militibus qui pro patria pugnant, iure naturali, & divino ſtipendia debentur. Potiore ergo iure ſolvenda congrua ſtipendia ſunt Principibus qui univerſam Rempublicam qua civili, qua militari regimine defendunt, conſervant, atque communem omnium pacem, & tranquillitatem procurant. Tributa quippe hæc, non tam ad Principis ſumptus, quam ad Reipublicæ onera ſuſtinenda, penduntur.

VI. Ut autem facilius hæc tributa exigant, pacto pretio, ea locant publicanis; contractuſque celebratur utrimque oneroſus; & publicani ius emptum a Principe poſſident exigendi præfata tributa : qui vero ius iſtud violant, contra commutantem iuſtitiam peccant, & reſtitutioni obnoxii ſunt. Quam communem Theologorum doctrinam confirmo auctoritate S. Auguſtini, qui epiſ. XCVI. al. CXXIV. Olympio cauſſam Bonifacii Coepiſcopi eius commendans, defraudationem vectigalium improbat. Inquit enim : *Nolumus tamen, quoniam fiſci debitor fuit, hunc ſcrupulum habere in conſcientia. Neque enim fraus iſta, quia fiſco fiebat, ideo non fiebat. Et ille quidem Paulus, poſtquam Epiſcopus factus eſt, renuntiaturus ſuis omnibus rebus propter immenſum cumulum fiſcalium debitorum, exacta quadam cautione, in qua certum ei pondus debebatur argenti, hos exiguos agellos, unde victum ſuſtentaret, tamquam Eccleſiæ comparavit, ſub nomine tunc potentiſſimæ domus, ut etiam ex ipſis, morem ſuum ſequens, cum fiſco non ſolveret, nullas exactorum moleſtias pateretur. Iſte autem* (Bonifacius) *qui eidem Eccleſiæ illo defuncto eſt ordinatus, timuit*

hos agros ſuſcipere, & cum poſſet pro ſolis fiſcalibus debitis quæ de memoratis poſ-ſeſſiunculis ille contraxerat, imperiale beneficium poſtulare, totum maluit confiteri, quod eas Paulus de argento proprio, cum eſſet fiſco obnoxius, de baſtario emerat, ut eas Eccleſia, ſi fieri poteſt, non occulta Epiſcopi iniquitate, ſed manifeſta chriſtiani Imperatoris liberalitate poſſideat. Quod ſi fieri non poteſt, melius inopiæ laborem ſervi Dei tolerant, quam ut neceſſariorum facultatem cum conſcientia fraudis obtineant. Ad hoc tuum ſuffragium petimus impartiri digneris. Emerat Paulus ſub potentiſſimæ domus nomine agros, ne vectigalia ſolveret. Conſcientiæ id ſibi vertit illius ſucceſſor Bonifacius. Hunc Auguſtinus Olympio in dignitate conſtituto commendat, ut remiſſionem debitorum fiſcalium ab Imperatoris liberalitate obtineat, patefacta anteceſſoris iniquitate. Hæc doctrina fuſiori non eget commentario.

VII. Fundamenta oppoſitæ opinionis nullius prorſus ſunt momenti. Conſuetudo, quæ obtruditur, manifeſta eſt corruptela. Non a multitudine prævaricatorum, ſed a divina lege repetenda eſt tributorum honeſtas, & iuſtitia. Leges tributorum non ſunt mere pœnales, ſed mixtæ; & pœnæ adiiciuntur, ut efficacius ſubditi ad obſervantiam inducantur. Neque pœnarum ſolutiones ſatis ſunt ad principatus ſumptus: nec, ſi ſufficerent, defraudatores tributorum culpam evaderent. Quod autem obtruditur, nimis durum eſſe obſtringere ſubditos in conſcientia ad ſolvenda tributa, iniuriam infert Evangelio, tributa iubenti. Si ex difficili legis obſervatione colligeretur, legem non obſtringere in conſcientia; quot leges tum naturales, tum divinæ in fumum abirent? Ceterum, cur leges tributariæ duræ, cur difficiles ſunt? Dura ne lex quæ iubet alendos ſervitores, famulos, miniſtros? Principes ſupremi miniſtri ſunt, qui vigilant, qui laborant, qui omnes curas impendunt, atque ſtudium in regendis ſubditis, in defendendis ab hoſtium iniuriis, oppreſſionibus, & devaſtationibus. Non eſt dura lex quæ imperat ſolvendum ſtipendium cuſtodi domus tuæ; & dura erit lex quæ præcipit ſolvenda ſtipendia Rectori, Gubernatori, Principi totius civitatis, univerſi principatus?

VIII. Iniuſta, inquis, tributa ſunt. Quis eſt iniuſtitiæ iſtius iudex? Tam facile iniuſtitiæ reos Principes arguis? Iuſtitiæ, prudentiæ, clementiæ, benignitatis, atque providentiæ ſplendidiſſimum exemplum moderatæ impoſitionis tributorum tibi perhibet hæc immortalis & invicta Veneta Reſpublica, ſub cuius fauſtiſſimo regimine ſcribo, ſuſtentor, vivo. Siquidem, ut præteream moderatam taxationem, illi ipſi qui tributorum leges condunt, tributa ſolvunt. Erunt ne contra ſemetipſos nimium auſteri? Sed quid rationes conquirimus? Factum loquatur. Ardet iam ab anno 1741. tota Europa immaniſſimo bello. Reſonant uſquequaque divini furoris fulmina. Solus fere Principatus iſte feliciſſimus exemptus a truculento flagello, & incredibili tranquillitate fruens exultat. Præter tamen ſingulare divinæ protectionis ſubſidium ingenti militum multitudine ſui principatus confinia

pro-

propugnat, in qua militia ſuſtentanda magnam pecuniarum ſummam expendit; & tamen nullo peculiari tributo ſubditos gravavit ſuos in tanto annorum intervallo.

IX. Ceterum fac aliqua iniuſta tributa eſſe: vix enim, attenta humana infirmitate, & miniſtrorum aliquorum malitia, vitari poteſt quin partitio ſaltem tributorum reſpectu alicuius iniuſta ſit. Sed non propterea leges tributariæ ob aliquam iniuſtam diviſionem, præter Principis voluntatem, & ex miniſtri, aut relatoris alicuius pravitate proficiſcentem, iniuſtæ dicendæ ſunt. Sed tale tributum reſpectu huius aut illius ſubditi iniuſtum eſt. Et tum ſubditis plus æquo gravatis ad Principem accedere licet, ut iniuſtum gravamen auferatur. Mundus iniuſtitiis abundat: & quantumvis Principes iuſti & æqui ſint, non idcirco a principatu iniuſtitias omnes auferre valent. Iniuſtum tributum a ſubditis non debetur. Tum vero iniuſtum eſt, aut cum deeſt poteſtas in illo qui tributa imponit; aut non imponitur propter bonum commune; aut non eſt iuſta partitio: ſed in hoc tertio caſu non tributum abſolute, ſed diviſio eiuſdem reſpectu huius aut illius ſubditi iniuſta eſt. Quare divites, & mercatores, qui tributa iuſta ſolvere recuſant, arcendi a ſacramentis ſunt, & ad reſtitutionem urgendi. Iſti quippe non ſolum peccant, quod tributum defraudent; ſed plebeiorum pauperumque gravaminum & oppreſſionum fontes efficiuntur. Quare nullo modo Dei miniſter ad ſacramenta iſtos admittere debet, niſi & defraudata tributa prius reſtitüant, & in poſterum ſolvant. Pauperes non raro ob veram impotentiam ſolvere tributa omittunt.

X. In dubio autem, ſit nec ne iuſtum tributum, ſolvendum eſt: quia in dubio æquali præſumendum pro Principis iuſtitia, qui imponendi tributa ius poſſidet: nec eſt cuiuſque privati definire, iuſtum ne, aut iniuſtum tributum ſit. Alibi forte de hoc argumento ſermo recurret. Interim altius inculco, nullum privatum licite poſſe tributi ſolutionem omittere iniuſtitiæ prætextu: quia nulli privato licet iudicare, tributum eſſe iniuſtum; ut ſupra dictum eſt. Tandem illud ſemper præ oculis habendum, Principes tributa expendere in commodum, utilitatem, & felicitatem ipſorum ſubditorum.

CAPUT VI.

De lege irritante.

I. LEX irritans ea dicitur quæ non ſolum actus prohibet, verum etiam nullos efficit, declaratque. Porro penes omnes convenit, legislatores poſſe non ſolum vetare, ſed etiam nullos efficere actus illos quos iudicaverint bono communi repugnare. Expedit autem communi Reipublicæ, ſive chriſtianæ, ſive civili, quod aliquæ actiones, aliqui contractus non illiciti modo ſint, verum etiam irriti & nulli. Lex irritans duplex. Alia quæ ipſo facto nullos efficit contractus; ut ſunt profeſſio religioſa, emiſſa ante legitimam ætatem, matrimonia clandeſtina, vel inita intra gradus prohibitos. Alia quæ futuram præſcribit irritationem. Prima lex eiuſmodi formulis actus irritat: *Sit ipſo facto nullus, inanis, infectus*. Altera dicit: *Si hoc modo fiat, irritetur, abrogetur, reſcindatur*. In priori ſenſu ante, in poſteriori poſt iudicis ſententiam actus nullus eſt. In iure lex irritans, alia eſt *explicita*, quæ conceptis verbis declarat, actum *ipſo facto nullum, inanem, irritum:* alia *implicita*, quæ non his explicitis, ſed æquipollentibus verbis declarat contractum nullum; ut quando adiicit aliquam conditionem, neceſſario ſervandam in contractus celebratione. Conditionis iſtius omiſſio nullum efficeret contractum; tametſi verbis expreſſis nullum talem contractum lex non declaraſſet.

II. Rurſus lex irritans alia eſt *pœnalis*, quæ in odium tranſgreſſoris actum nullum decernit; ut eſt illa quæ matrimonium irritat ob uxoricidium, vel ob adulterium, patratum cum promiſſione futuri matrimonii: & altera, quæ nullam definit collationem ſimoniacam beneficii: alia, quæ non in pœnam alicuius privatæ perſonæ, ſed ob bonum vel commune, vel etiam privatum, ſtatuit actum eſſe nullum; ut eſt illa quæ irritat contractus deſtitutos ſolemnitatibus, & conditionibus a lege præſcriptis: qui actus, præciſa lege irritante, mali non eſſent, ſed vel indifferentes, vel boni.

III. ICti communiter defendunt, actus prohibitos nullos eſſe; & textum opponunt ſatis perſpicuum ex l. *Non dubium*, cap. de leg. & conſt. Principum, in quo hæc habentur. *Ea quæ lege prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur; licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit inutile eſſe debere quod factum eſt.* Idque iure canonico confirmatur. Regula enim lxiv. *de reg. iur. in 6.* hæc præſcribit. *Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Et iterum *cauſ.* xiii. *quæſt.* ii. *cap.* xiii. hæc præſcri-

ſcribit. *Imperiali conſtitutione ſancitum eſt ut quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.*

IV. Textus iſti ita perſpicui videntur, ut nullam excipiant interpretationem. Verum, & alii textus canonici iuris, & communis etiam eccleſiaſtici, & civilis fori oppoſitum manifeſte decernunt. Nam in cap. *Ad apoſtolicam*, de Regularibus expreſſe definitur: *Multa fieri prohibentur quæ tamen facta tenent.* Prohibetur matrimonium contrahi ab eo qui ſimplici caſtitatis voto obſtrictus eſt. Et tamen contractum validum habetur. Ante Synodum Tridentinam illicitum erat matrimonium clandeſtinum, at non invalidum. Leges oppoſitæ nullos actus definiunt, ſed non ante ſententiam iudicis. Nulli ergo vi adductarum legum actus ſunt: quia accedente iudicis ſententia, ab illo die quo celebrati ſunt, non a die ſententiæ prolatæ, irriti, & inanes intelliguntur. S. Gregorius relatus *cauſ.* XIII. ſolum narrat, legem imperialem decernere actus prohibitos nullos: quam legem ipſe non approbat, neque confirmat, niſi in ſenſu iam expoſito. Et hæc eſt communis Theologorum doctrina. Quando vero leges præſcribunt aliquam conditionem ſervandam in contractu, tamquam (ut ita dicam) formam eiuſdem, ſi conditio omittatur, contractus nullus eſt. Exemplo res patebit. Eccleſia præcipit matrimonium contrahendum coram Parocho, & teſtibus. Conditio hæc ad ſubſtantiam contractus pertinet. Quamobrem, ea omiſſa, nullus eſt contractus. Prohibet ne matrimonium contrahatur abſque declamationibus, aut tali tempore. Conditiones iſtæ accidentales ſunt, quibus omiſſis, contractus validus eſt.

V. Quæſt. I. *Lex irritans obligat ne in conſcientia?* Reſp. Adfirmans ſententia communis eſt, hoc in ſenſu; videlicet, actus declaratus irritus licite exerceri nequit: quoniam leges irritantes ſimul prohibent ne actus peragantur. Heinc ſequitur, eiuſmodi actus, celebratos adverſus legem irritantem, nullam parere obſervantiæ obligationem. Quare matrimonium clandeſtinum nullo vinculo obſtringit. Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus a lege præſcriptis, nullam inducit obligationem. Idcirco heres ab inteſtato nihil tradere obſtringitur heredi inſtituto medio teſtamento, non ſolemni. Verum de his plura, dum de teſtamentis ſermo erit.

VI. Quæſt. II. *Unde colligendum ſit, conditiones præſcriptas a lege pertinere ad ipſam contractus ſubſtantiam, vel ad accidentia?* Reſp. Vix regula generalis pro omnibus contractibus aſſignari valet. Plura diſputant Theologi, quæ in examen vocari non expedit: quia conſtitui, ut dixi, regula generalis nequit. Ex verbis legis id colligendum eſt. Si lex præſcribat conditionem ſervandam, adiecta clauſula irritante actum; tum conditio ad formam ſubſtantialem pertinet. Quando conditio ſervanda poſt initum contractum præſcribitur, accidentalis reputanda eſt. Sed hæc regula fallere poteſt, niſi verbis legis conſona ſit. Idcirco ſemper legis ver-

verba præ oculis habenda ſunt, & ſincere interpretanda. Sæpe eluduntur, quod ſint fundatæ in præſumptione fraudis, doli &c. Ex quo infertur, ſublata fraude, actus prohibitos non eſſe irritos. Quæ interpretatio plerumque falſa eſt. Nam legislatores ex longa experientia compertum habent, reipſa tales, & tales contractus fraudibus, dolis, damniſque obnoxios eſſe. Quapropter legem condunt abſolute prohibentem, & irritantem ſimiles actus, qui ſemper nulli ſunt; etiamſi aliquo in caſu particulari fraus abeſſet. Leges ergo germano in ſenſu exponendæ ſunt, miſſa verborum circuitione.

C A P U T VII.

De lege dubia. Laxiores Probabiliſtarum opinationes profligantur.

I. QUæſtio propoſita, alioquin graviſſima, fuſo calamo diſcutienda eſt *Tom. II. Apparatus ad Theologiam chriſtianam. Diſſert.* 1. Quare, ne actum agam, illuc lectorem remitto. In præſentia laxas quaſdam Probabiliſtarum opinationes refellam. Dubium eſt, cum intellectus, expenſis utriuſque partis rationibus, anceps & ſuſpenſus hæret, quin aſſenſum præbeat alicui parti. Aliud vocant ſpeculativum, aliud practicum. Penes omnes certum eſt eum peccare qui practice dubitans operatur. Probabiliſtæ plures inſtituunt ſuper hoc argumento quæſtiones. Et primum definiunt, poſſe ſpeculative dubitantem deponere dubium practicum, & licite operari, quando occurrit probabilis ratio de operationis honeſtate; cui non officere contendunt dubium ſpeculativum. Dubium quod de aliqua lege oritur, ſub diverſo aſpectu conſiderant. Nam primo dubitari poteſt, extet ne lex, & promulgata ſit? Deinde, poſita exiſtentia legis, dubium oriri valet, an ſub lege comprehendatur caſus hic particularis? Tertio, certus de lege dubitare vales, iuſta ne ſit res præcepta, utilis, vel neceſſaria ad finem intentum? Quarto dubitare quis poteſt de legitima legislatoris poteſtate. Quinto occurrere dubium poteſt, utrum adimpleveris nec ne legem iuſtam, & a legitimo ſuperiore latam? Tandem dubitare vales, utrum lex inceperit obligare, vel an tranſierit obſervantiæ tempus?

II. Quæſt. I. *Qui dubitat, exiſtat ne lex, an ſecus, liber ne a lege eſt?* Reſp. Intrepide affirmant Probabiliſtæ, dubitantem de legum exiſtentia ab obſervanda lege liberum eſſe; idque probabilius eſſe definit P. Dominicus Viva *Tom. I. de leg. quæſt.* IV. *art.* 4. *num.* 2. *contra*, inquit, *Probabilioriſtas*. Quod ut evincant, loco primi principii conſtituunt regulam illam iuris: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*. „ Quoniam (inquiunt Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* 11. *punct.* 6. *num. ſeq.*)
„ poſ-

„ poſſeſſio novus titulus eſt ad rem quam non habet alia pars quæ non poſſi-„ det : &, cum cetera ſint paria, & pro utraque parte dubium detur, illius par-„ tis quæ poſſidet, proculdubio melior eſt conditio. Ob hanc enim rationem in „ materia iuſtitiæ omnes aſſerunt meliorem eſſe conditionem poſſidentis in du-„ bio : quia, cum dubium ſit circa utramque partem, illa pro qua ſtat poſſeſ-„ ſio, novum titulum habet, quo caret altera pars quæ poſſeſſione caret. " Laudant pro hac opinione plures Probabiliſtas. Ex hac doctrina inferunt communem inter Probabiliſtas opinionem, dubitantem nempe, utrum lex exiſtat nec ne, liberum a lege eſſe : quia ſubditus tum poſſidet ſuam libertatem, quam ſe habere certus eſt.

III. Exſcriptam doctrinam Salmanticenſium, penes Probabiliſtas communem, ultro admittere nunc volo, & aio, in quacumque materia, ſive iuſtitiæ, ſive aliarum virtutum, *meliorem eſſe poſſidentis conditionem*. Verum ex hoc principio ineluctabili argumentatione urgeo Probabiliſtas. Si in materia iuſtitiæ evidens non eſſet, ſed dubia agri poſſeſſio, quid tum ? An allegari dicta regula poſſet, *Melior eſt conditio poſſidentis*. Nemo id aſſeruerit. Certa ergo, & extra diſputationem ſit oportet agri poſſeſſio, ut Petrus citra dubium poſſeſſor poſſit contra Paulum, qui æquali iure ac Petrus potitur in agrum, ſuper quo lis pendet, perſeverare in agri poſſeſſione valeat. Oſtendant nobis Probabiliſtæ, ſubditos evidenter poſſidere libertatem adverſus leges naturales, divinas, humanaſque. Aqua hic hæret ; & Probabiliſtæ veluti piſces obmuteſcunt. Siquidem homines ratione præditi ſubditi naſcuntur legibus naturalibus, Chriſtiani legibus divinis, cives legibus civilibus. Certo ſciunt homines, ſe libertatem habere. At quinam iudex definivit, in dubio legis extantis homines evidenter poſſidere libertatem contra legem ? Affirmant Probabiliſtæ, negant Probabilioriſtæ. Dubia itaque poſſeſſio eſt. Perperam ergo Probabiliſtæ obtrudunt poſſeſſionem libertatis adverſus leges. Immo, cum priores hominibus leges ſint, leges poſſident adverſus hominum libertatem. *Loc. cit.* & *Tom. I. Hiſt. Probabiliſmi, & Rigoriſmi* fuſo calamo palam feci, hanc probabiliſticam doctrinam infeſtam eſſe non conſcientiæ modo, verum etiam Principibus, & ſocietatis tranquillitati. Quid quod vel ipſi Probabiliſtæ ſemetipſos propriis antilogiis conficiunt ? Quando dubitatur, lex Principis iuſta ne ſit, an iniuſta, in favorem Principis præſumendum eſſe, vel ipſi concedunt. Porro perinde eſt dubitare, exiſtat ne lex, an ſecus ; & an iuſta, vel iniuſta ſit. Lex enim iniuſta, lex non eſt. Ergo, quoties dubito, iuſta ne lex ſit, dubito, exiſtat ne, an ſecus lex. Verum, ut dixi, actum agerem, ſi fuſius hac de quæſtione ſermonem protraherem.

IV. Quæſt. II. *Qui certus de lege, dubitat vero, an hoc in particulari ſubiectus ſit legis obſervantiæ, exemptus ne a lege eſt ?* Reſp. Mutuo bellum gerunt Proba-bi-

biliſtæ ſuper hac quæſtione. Qui laxiora ſequuntur, defendunt ſententiam affirmantem. *Ex quibus ſequitur* (inquit P. Dominicus Viva) *non obligare legem, ſi dubitetur de eius ſenſu, an ſcilicet hunc caſum comprehendat*. Eamdem opinionem defendit Salas *quæſt.* xxi. *tract.* viii. *diſput. unic. ſect.* xxv. *art.* 3. quia lex impropriiſſime poſſidere dicitur: nec improbabilem reputat Tapia *Lib. IV. quæſt.* xv. *art.* 3.

V. Oppoſitam opinionem, ut probabiliorem, defendunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 112. quia, cum certus ſis de lege, & dubites, an tenearis hoc in caſu illam ſervare, lex poſſidet, & præcedit rationes dubitandi: ergo melior erit conditio poſſidentis. Quemadmodum, ſi quis certus eſt de debito, dubitatque de ſolutione, tenetur ſolvere: quia creditor poſſidet ius certum quod amittere haud debet ob debitoris dubitationes.

VI. P. Claudius *La Croix Lib. I. de leg. num.* 589. *quæſt.* lxxxvi. cenſum texit opinionum Probabiliſtarum mutuo pugnantium; & de more lectorum arbitrio eaſdem porrigit, ut favore *Probabiliſmi*, quæ ſibi magis arriſerint, illas eligant. Titulus eius *catalogi* hic eſt: *Quid dicendum ſit in variis dubiis circa leges?* Audi eiuſdem reſponſa, quæ paucis perſtringam totidem fere verbis fide ſumma: quidquid fabulentur plus iuſto probabiliſticæ doctrinæ amatores nonnulli.

VII. In dubio, an ſit nec ne lex, præſumi poteſt non eſſe: quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Hæc opinio, ut falſa, reiecta iam eſt.

VIII. In dubio, an ſit promulgata, docet *Dicaſtillo* præſumi debere, quod non: quia promulgatio eſt aliquid facti, quod non præſumitur. Hæc opinio falſa eſt. Promulgatio conſequitur legem. Ergo certus de lege, niſi habeat evidentes, aut ſaltem probabiliores rationes, oppoſitum evincentes, præſumat neceſſum eſt legis promulgationem. Advertit tamen, quod, ſi lex uſu recepta ſit, promulgationem præceſſiſſe præſumendum eſt. Neceſſaria ſane admonitio.

IX. In dubio, an lex uſu recepta nec ne ſit, *Bonacina*, *Sanchez*, & alii dicunt, præſumi debere, eam receptam eſſe. E contrario *Azor. Salas, Dicaſtillo* negant. Videtur tamen eſſe diſtinguendum: nam, ſi ſit talis lex, ad cuius obligationem legiſlator prærequirat acceptationem populi, probabilior videtur ſecunda ſententia; ſi autem lex non indigeat acceptatione populi, prima videtur præferenda. *Videri poteſt Moya tract.* vi. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 14. & 15. Opus Moyæ ab Eccleſia damnatum eſt.

X. Ut colligas, P. Moyam eidem, ac P. La-Croix, methodo inſiſtere, en quid ſcribat Moya ille, ad quem te remittit. Inquit enim *loc. cit.* „ Si vero dubium „ eſſet, an lex ſufficienter iam promulgata, congruoque tempore elapſo a maio- „ ri

Digitized by Google

„ ri parte communitatis recepta fuiſſet ; locum habere poſſet *Caramuelis opinio* „ *ante decretum Alexandri VII.* in ſententia exigente acceptationem a maiori par- „ te communitatis, ut valida ſit lex : nam in hoc dubio legem non obligare in „ conſcientia, ſi pœnalis ſit, tradunt *Azor. & Salas*, quorum opinionem proba- „ bilem eſſe *propter eorum auctoritatem, & rationem* dicit Illuſtriſſ. ac Reverend. „ *Mag. Tapia* Archiepiſ. . . . Hiſp. cui conſentiunt Dianâ, Eſcobar. . . . Præpoſi- „ tus. Nam in dubio, an lex fuerit uſu recepta, præſumendum eſt non eſſe; eo „ quod in pœnis mitior pars ſit eligenda. “

XI. Vides, qua exquiſita arte introducta ſit damnata Caramuelis doctrina ? Deinde ipſe abſolute ſententiam firmat, dum dicit, *Nam in dubio &c.* Immo ſequenti *num.* 15. citato ſic pergit. „ Et abſolute loquendo id probabile putant alii , „ quibus adhæret Magiſter Serra. “ Totum opus Moyæ conſarcinatum eſt ex laxioribus moraliſtarum opinionibus ; idcirco ab Eccleſia damnatum . Et ad talem magiſtrum paſſim te remittit *P. Claudius La Croix* . *Serra* , *La Cruz* , *Zanardi* , quorum opiniones laxas paſſim tranſcribit P. Moya , Dominicani ſunt . At ego æque Dominicanorum, ac exterorum falſas improbo opiniones, ut omnibus iuſtis rerum æſtimatoribus compertum ſit exploratumque, me, non partium , non ſimultatis, ſed proſpiciendi Chriſtianorum ſaluti ſtudio hæc ſcribere. Quid enim dementius, quam ob vanam futilemque quorumdam domeſticorum Scriptorum exiſtimationem defendendam errores fucare , moralemque chriſtianam corrumpere ? Satis conſulimus Scriptorum exiſtimationi, & pietati, ſi dicamus bona fide, pioque zelo erraſſe, dum opiniones falſas quas ipſi veras credebant , profligamus . Qui quamlibet domeſticorum opinionem ab errore immunem propugnare contendunt, ne inſtituti ſplendor tantillum obtenebreſcat , in magno , mea quidem ſententia , verſantur errore . Sed de hoc plura in loco . Regrediamur ad *P. La Croix* .

XII. Sic ergo perſequitur ſuum cenſum . In dubio , an conſuetudo ſit inducta ex devotione , an ex animo ſe obligandi, putant *Azor. & Reginaldus* præſumendum eſſe, quod inducta ſit ex animo ſe obligandi . Contra *Diana* , *Paſqualigus* , aliique multi cum *Suarez* probabilius dicunt, præſumendum eſſe , quod ſit inducta ex devotione tantum, ſicque non obliget ſub peccato.

XIII. In dubio , an legem ferens ſit legitimus ſuperior , v. g. an legitime ſit electus nec ne , *Sanchez* dicit , ſubditum teneri obedire . Contra *Mendo* , aliique docent, non teneri . *Oviedus* probabilius ſic diſtinguit . Si ſuperior habeat poſſeſſionem ſui officii, ſubditus tenetur obedire; contra, ſi nullam officii poſſeſſionem acceperit, ſubditus poterit non obedire.

XIV. In dubio, an ſuperior poteſtatem habeat hoc imperandi; aut hoc, quod imperat , poteſtatem ipſius excedat , *Diana* , *Oviedo* , aliique apud *Mendo* defen-

ſendunt, ut *probabile*, ſubditum non teneri obedire; ſed *Sanchez* late oſtendit oppoſitum.

XV. In dubio de iuſtitia legis, aliqui apud *Dianam* cum *Dicaſtillo* dicunt, probabile eſſe quod ſubditus non teneatur obedire. Sed *Oviedo* dicit, oppoſitum ſibi eſſe certum.

XVI. In dubio, an lex contineat præceptum, vel tantum conſilium, aut exhortationem, dicendum eſt poſterius, uti notant *Sanchez*, & alii. Similiter in dubio, an lex obliget ſub mortali, aut ſub veniali tantum, tenendum eſt obligare ſub veniali tantum, quia libertas eſt in poſſeſſione: probatque fuſe *Gobat*, leges omnes humanas, itemque divinas benigne interpretandas. Hinc ſententiam noſtram tenent *Navarrus*, *Sanchez*, *Diana* contra *Laymanum*, & alios apud eumdem *Dianam*. Apud Dianam legit La Croix, apud Dianam P. Viva. Opera Dianæ ſunt omnium mercium officinæ, licet damnatis propoſitionibus ſcateant. Et Auctor iſte paſſim ut magiſter laudatur. Sed pergit P. La Croix.

XVII. In dubio, an ſit, vel non ſit cauſſa ſufficiens excuſans a lege, *Salas* putat, non eſſe obligationem, *ſi lex ſit moleſta: quia favendum eſt libertati, quantum poſſimus*. Num. 598. quod *Dicaſtillus* dicit non eſſe improbabile. Vin' benigniora? At nos hæc appellamus omnium laxitatum fontem. Sed, ſubdit Auctor noſter; alii oppoſitum tenent.

XVIII. Hæc pauca delibaſſe ſufficiat, pluribus omiſſis. Hæc methodus probabiliſtica, quam pyrrhonicam vocare ſoleo, in chriſtiana exponenda Theologia mihi ſummopere ſemper diſplicuit. Nam vi *Probabiliſmi* omnes recenſitæ opiniones probabiles ſunt, licet oppoſitæ: quoniam nullam, ut falſam, aut improbabilem, Auctor explodit. Lectorum delectui omnes porrigit. Quid iuvat, quod interdum dicat, hanc eſſe probabiliorem, alteram minus probabilem; cum apud ipſum ſecura ſit opinio minus probabilis regula conſcientiæ? Si in hac methodo exagitanda fallimur, ceteri iudicent. Iudicia noſtra leges non ſunt, quæ obligationis vim imponant. Immo omnia quæ ſcribimus, ſapientum iudicio ex animi ſententia ſupponimus. Quod aliqui inclamaturi ſint, nos invidia aut ſimultate percitos adverſus vel Auctorem, vel Inſtitutum hæc ſcribere, nihili pendimus. Deus eſt qui iudicat, non homo. Auctores omnes, eorumque Inſtituta colimus; & ea refellimus quæ Chriſtianorum æternæ ſaluti officere exiſtimamus. Si quis ſuſpicetur, nos minus ſincere repræſentaſſe cenſum opinionum, contextum a *P. La Croix*, eius opus omnibus patens legat. Utinam, quemadmodum ab invidentia, & ſimultate, ita ab errore immunes inveniremur. Erroribus, deceptionibus, illuſionibus nos obnoxios eſſe ultro fatemur. Verum, ne aliis errandi occaſionem præbeamus, illos admonemus, ne noſtra abſque examine amplectantur: illoſque rogamus, & obteſtamur; ut, ſi quid minus rectum, minus pietati conſonum, aut plus iuſto rigidum offenderint, velint

Digitized by Google

velint illud non modo reſpuere, ſed refellere, & profligare; & univerſam chriſtianam Rempublicam admonere, me deceptum fuiſſe. At inquient: Quid opus erat reſcribere centonem opinionum quas congeſſit *P. La Croix*? Vt compertum lectoribus facerem, qualis ſit methodus probabiliſtica, quæ ſuper eadem omnino actione duas, & quidem directe oppoſitas, vias eundi ad cælum patefacit. Idcirco admonendos neceſſario exiſtimo, ut hac methodo, & doctrina abſtineant, cautique ſint in legendis ſimilibus libris.

C A P U T VIII.

An ſubeundæ mortis, aut gravis damni periculum ab obſervanda lege eximat?

I. SUper expoſita quæſtione varia ſunt Auctorum placita. Plures defendunt; omnem legem iuſtam, ſive divinam, ſive humanam, ſemper obligare; etiamſi aliquod grave damnum, immo mors ipſa ſubeunda eſſet. Quam ſententiam acriter defendunt *Caietanus*, *Durandus*, & alii. Altera ſententia ſuſtinet, nec humanam, nec divinam legem obſtringere, quando foret gravis damni famæ, amiſſionis bonorum, aut mortis oppetendæ periculum. Utraque ſententia per extrema graditur.

II. Vt quæ veritati propinquiora exiſtimo, in medium promam, nonnulla certa præmittam opus eſt. Quæ ſua natura intrinſecus mala ſunt, lege naturali, & divina prohibita, ut mentiri, fornicari, peierare, blaſphemare, & id genus ſimilia, obligant ſemper, & in omni circumſtantia, etiam cum vitæ periculo: malum enim numquam perpetrandum eſt. Quando res præcepta natura ſua mala non eſt, ſed ideo mala evadit, quia prohibita; abſolute cum vitæ iactura, aut gravis detrimenti periculo non obligat. Ideo præcepta non comedendi carnes die veneris, ieiuniorum, feſtorumque obſervatio, & ſimilia non urgent; ſi eorumdem obſervantia mortem, aut grave detrimentum inferret. Tum vero mandata iſta cum vitæ periculo obligant, quando eorum obſervantia bono communi neceſſaria eſt. Comeſtura carnis die veneris cedit in religionis chriſtianæ contemptionem, & ſcandalum; tum cum mortis periculo ſervandum præceptum eſt. Quando autem eiuſmodi legum obſervatio ſit nec ne bono communi neceſſaria, regula conſtitui generalis nequit; ſed ex circumſtantiarum varietate colligi id debet, prudentumque iudicio definiri. Quibus poſitis,

III. Lex humana, ſive eccleſiaſtica, ſive civilis, abſolute non obligat cum vitæ, aut infamiæ, aut bonorum amiſſionis periculo. Quoniam eiuſmodi leges præcipere ea nequeunt quæ iuri naturæ obſunt. Iure autem naturæ homines tenentur abſo-

abſolute propriam ſervare vitam, famam &c. Ergo eiuſmodi leges non obſtringunt; dum talia mala imminent. Contingere vero circumſtantiæ poſſunt in quibus, ut dictum eſt, etiam iſtæ leges cum vitæ diſcrimine urgeant; ut quando illarum tranſgreſſio graviter bonum commune læderet. Legiſlatores enim humani poteſtate præditi ſunt ea imperandi quæ neceſſaria ad bonum commune Reipublicæ iudicantur. Iubent Principes ſubditis excubias agere, dum obſidetur civitas, portam civitatis cuſtodire. Parere ſubditi debent, licet vitæ periculum immineat. Graſſante lue in civitate, Parochi ex officio inſervire ægrotis aſtringuntur. Non ſufficiunt iſti, aut iniquitate ſua implere officia propria negligunt: iubet Epiſcopus Sacerdotibus, qui vi officii non ſunt huic miniſterio ſubiecti, ut ægrotis aſſiſtant: cum vitæ periculo parere ſuperiori debent omnes, & ſinguli, quibus ſuperior præceperit. Quoniam, cum ſint omnes abſolute exempti, non eſt maior ratio cur iſte potius quam ille ſubiectus Prælati imperio ſit. Omnes ergo in hoc caſu & ſinguli obedire aſtringuntur. Alioquin, ſi ſinguli dicere poſſent, Cur ego, & non ille? iam nemini imperare Epiſcopus valeret. Ratio obvia eſt. Legiſlatores humani ea præcipere iure valent quæ bono communi aut Reipublicæ, aut religionis expedire cognoſcunt. Dictarum legum obſervatio expedit, immo neceſſaria eſt bono communi tum Reipublicæ, tum religionis. Ergo pareant in his eventibus ſubditi legibus eiuſmodi oportet. *Hæc* ſententia communis.

IV. Dictum hactenus eſt, quid vi præcepti ſuperioris præſtare teneantur illi qui liberi ab omni officio, vel dignitate ſunt. Nunc, quid agere ex caritatis lege poſſint, explicare debemus. Convenit penes omnes, quemlibet poſſe caritatis, & cuiuſcumque virtutis amore exponere propriam vitam mortis periculo. Poteſt quilibet Sacerdos, & Chriſtianus lue infectis ſervire: poteſt quiſque caſtitatis amore abſtinere a matrimonio neceſſario vitæ ſervandæ: ex amore pudicitiæ, ſeu caſtitatis negligere verendorum curationem: licite vales donare in naufragio tabulam fratri, & omittere tui defenſionem: denique cuiuſcumque virtutis ſtudio ſuccenſus potes, ut dixi, tuam vitam mortis periculo exponere; ut docet S. Thomas in *IV. diſt. XXVIII. quæſt.* 11. *art.* IV.

V. Ipſæ leges, tum divinæ, tum naturales, ſuas habent exceptiones, in quibus obſervantiæ obligationem ſuſpendunt. Lex naturalis furtum vetat; at excipit neceſſitatis extremæ caſum: vetat homicidium eadem lex, excepta neceſſaria defenſione ab iniuſto aggreſſore. Secreti cuſtodia eſt de iure naturæ: at, quoties ſilentium grave detrimentum inferret Reipublicæ, naturæ lex oppoſitum præcipit. Plura iuſſit Dominus in lege veteri quorum obſervantia non urgebat, periculo mortis imminente. David ſanctus, ut mortem vitaret, prohibitos divina lege propoſitionis panes manducavit. Fortitudo Machabæorum præliandi in ſabbato ob vitæ defenſionem laudatur; licet præliari tali die vetitum eſſet,

VI.

VI. Duo adverſus ea quæ hactenus dicta ſunt, opponunt illi qui contendunt; abſolute leges humanas cum mortis periculo obligare. Moniales, etiam ſervandæ vitæ cauſſa, nequeunt e clauſura egredi. Carthuſiani cum mortis periculo abſtinere a carnibus debent. Reſp. Neutra oppoſitio quidpiam faceſſit negotii. Non prior. Nam lex ipſa excipit tres eventus, in quibus ob mortis periculum egredi e monaſterio Sanctimoniales valent. Primus eſt incendium, inundatio, hoſtium incurſio. Alter eſt lepra, ſeu alius morbus qui ceteras moniales inficeret. Tertius eſt peſtis. Quos caſus excepit S. Pius V. in Bulla quæ incipit *Decori, & honeſtati*. Tres alios caſus invexit conſuetudo, accedente proprii Prælati approbatione. Primus, quando transferenda Monialis eſt ad aliud monaſterium, ut illud regat, vel obſervantiam regularem introducat. Alter, quando in proprio monaſterio corripi nequit de perpetrato delicto. Tertius eſt, quando alio monaſterium transferri debet. En quomodo leges iſtæ temperarunt obligationem ad evitandum mortis periculum. At quid, ſi medicorum iudicio definiretur quod Monialis graviter ægrotans ſanitatem recuperatura eſſet e clauſura translata? Primum hoc medicorum iudicium fallax eſt. Ceterum iure legislatores prohibuere, Moniales ob hanc cauſam egredi e clauſura, ut tollerent occaſionem plurium egreſſuum. Idcirco ad hæc evitanda abſurda quæ ſummopere noxia eſſent bono communi tam ſancti Inſtituti, clauſura reputata fuit huic bono communi neceſſaria, quæ prævalere debeat huius aut alterius Monialis vitæ, admiſſa etiam hypotheſi valde rara, quod egreſſus ſanitatem reſtitueret.

VII. Carthuſiani, deſtituti omni cibo, ne fame perirent, carnibus veſci tenerentur; etiamſi peculiari voto ab earumdem eſu abſtinere deberent. Dum vero alii cibi præſto ſunt, abſtinere a carnibus debent, etiamſi (quod raro accidit) mors ſubeunda foret. Quoniam lex illa de perpetua abſtinentia a carnibus tantum ſplendoris affert ſacro illi divinoque Inſtituto, ut, etiam in caſu mortis, huius aut illius Religioſi vitæ præferendum ſit bonum commune. Plura hac de re Theologi diſputant, quæ, utpote non neceſſaria, prætereo.

C A P U T IX.

De voluntate, ſeu intentione neceſſaria ad implendam legem.

I. PRæcepta legis, alia ſunt negativa, alia poſitiva. Illa per ceſſationem ab opere vetito, *non furaberis*, *non mœchaberis* &c. hæc per executionem operis, ſeu per actus poſitivos implentur. Duplex diſtinguitur voluntatis actus in lege poſitiva implenda. Alter intentionis, quo voluntas intendit præceptum implere; alter imperatus, quo res præcepta executioni demandatur. Intentio implendi

præceptum neceſſaria eſt: quia actus quo lex impletur, humanus, ſeu deliberatus ſit oportet. Ut autem actus eiuſmodi ſit; ab intentione agendi procedere debet. Quamobrem qui audiret Miſſam, qui officium perſolveret, omni intentione ſublata exequendi rem præceptam, minime debito ſuo ſatisfaceret.

II. Heinc infertur, præcepta negativa non furandi, non mœchandi, impleri poſſe abſque intentione, & libertate. Quare, ſi quis etiam coacte non furetur, non mentiatur, non fornicetur, præcepta implet. Contra, cum præcepta poſitiva exigant pro obſervantia poſitivos actus humanos, neceſſum eſt ut hi deliberati ſint: & qui coacte exequeretur actus a præcepto poſitivo iuſſos, minime præceptum impleret.

III. Advertas tamen velim, aliam eſſe intentionem, qua intenditur præcepti obſervantia; aliam, qua intenditur executio rei præceptæ. Rurſus alia eſt intentio expreſſa, alia intentio interpretativa. Quibus conſtitutis, ſequentibus quæſtiunculis, quod propoſui, reſolvitur.

IV. Quæſt. I. *Neceſſaria ne eſt aliqua intentio vel expreſſa, aut virtualis adimplendi præceptum; vel ſufficit intentio ponendi rem præceptam?* Reſp. Convenit penes omnes, non requiri intentionem expreſſam adimplendæ legis. Idque conceptis verbis docet S. Thomas 2. 2. quæſt. CIV. art. 3. ad 2. *Licet actus virtutis cadat ſub præcepto, poteſt tamen aliquis implere actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti.* Quod ad intentionem interpretativam attinet, diſputant in utramque partem Theologi. Quam intentionem interpretativam conſiderant ſub duplici aſpectu. Primam appellant negativam: puta, dum quis attente Miſſam audit præceptum ignorans; hunc ſatisfacere præcepto communiter docent Auctores: quia virtualiter adeſt voluntas illud implendi. Alteram poſitivam vocant, ut dum quis, ſciens eſſe legem, poſitivam intentionem eliceret non adimplendi legem medio actu quo alioquin lex impletur. Quæ ſententia clarius hoc pacto exponitur. Deliberate audis Miſſam die feſto, deliberate recitas officium divinum; at ſimul elicis actum quo intendis non adimplere præceptum. Theologi plures hunc non implere præceptum aſſerunt. Quoniam, inquiunt, neceſſaria eſt intentio, ſaltem virtualis, & interpretativa ſatisfaciendi præcepto. Porro ille qui expreſſe deliberaret ſe nolle ſatisfacere, hanc intentionem interpretativam non haberet. Ergo non ſatisfaceret præcepto. Idque confirmant, quod auditio Sacri in die feſto, recitatio officii divini, non modo religionis, ſed obedientiæ etiam officia ſunt. Neceſſaria ergo voluntas eſt, qua ſuperiori obediatur. Exemplum rem confirmat. Debes ex iuſtitia Petro centum; quam ſummam ex liberalitate eidem donas: aſtringeris poſtea ſolvere debitum ex iuſtitia.

V. Oppoſita ſententia ait, hunc ſatisfacere præcepto audiendi Sacri, perſolvendi divini officii, qui deliberate audiens Miſſam, recitans officium, expreſſam voluntа-

Digitized by Google

luntatem haberet non ſatisfaciendi præcepto. Fatentur tamen hunc peccare, ſi in voluntate perſeveraret non adimplendi præceptum toto tempore apto ad præceptum exequendum : non quod violet præceptum audiendi Sacrum, recitandi officium, ieiunandi &c. ſed quia præceptum naturale, quo hæc voluntas non implendi præcepti vetatur, infringit. Itaque ſi toto illo die quo præceptum urget audiendi Sacri, perſolvendi officii &c. quis velit, Miſſa audita, officio perſoluto, ieiunio peracto, his actibus implere præceptum, reipſa implet; nec tenetur aliud recitare officium, aliam illo die audire Miſſam. Si tamen tempore congruo pro obſervantia præcepti non recordaretur voluntatis contrariæ, non peccaret. Quoniam, inquiunt Theologi iſti, lex iubet rem exequendam, videlicet Sacrum audire, officium perſolvere; ſecus animum implendi præcepti. Et quoties res præcepta ponitur, habetur obedientia materialis ſufficiens ad evitandum peccatum. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* II. *punct.* 8. *num.* 145. & pro eadem laudant *Caſtropalaum*, *Suarez*, *Valentiam*, *Sanchez*, *Leſſium*, *Bonacinam*, *Aragonium*, & alios.

VI. Hanc diſputationem reiicio inter illas quas vanas & frivolas appello. Nam, excepto caſu quo vir ſcrupulis exagitatus advertens, ſeu timens cum debita attentione ſe non implere debitum ſuum in recitando officio, audiendo ſacro, deliberaret ſe nolle hoc actu ſatisfacere præcepto, ſed aliud audire Sacrum, iterumque recitare officium conſtitueret : excepto, inquam, hoc caſu, in quo quid ſit agendum, in regulis pro evitandis ſcrupulis dictum eſt, quæſtio propoſita verbis ludit, & occaſionem vitilitigandi arripit. Nam quis ratione præditus præfatos hos duos pugnantes actus eliciet? Quis tam ſtultus, ut velit peccatum committere, dum actum virtutis exercet? Nam qui conſtituit ſe nolle hac auditione Miſſæ, hac recitatione officii implere præceptum, vel deliberat aliam audire Miſſam, aliud recitare officium, vel definit ſe reapſe nolle toto illo die adimplere præceptum, licet deliberate rem præceptam ponat. Ego in primo caſu non modo permitterem, & obligatum declararem (niſi aliqua obſtaret ſcrupuli alicuius circumſtantia) ad audiendum aliud Sacrum, recitandum aliud officium; ſed in pœnam ſui otioſi actus tertiam Miſſam audiendam, tertium officium recitandum (ut ita dicam) imponerem. In ſecundo caſu hominem reiicerem ut dementem, tamquam qui vellet peccare, ut peccaret : nam rem præceptam attente & diligenter exequitur, urgente præcepto; & præceptum implere recuſat? Delirium hoc mihi apparet. Sed inquis : Si reipſa ſimilis reperiretur ſtultus, quid ſententiæ ferres in ipſum? Ad aliam audiendam Miſſam, ad aliud recitandum officium obligarem, ut peccati pœnam lueret.

VII. Quæſt. II. *Ut quis ſatisfaciat legi, debet ne finem legis intendere?* Reſp. Finis legis alius intrinſecus, & eſt ipſa res præcepta; alius extrinſecus, & eſt id in

Digitized by Google

quod legislator rem præſcriptam dirigit. Sine primo conſiſtere res præcepta nequit. Abſque poſteriori ſubſtantia rei præceptæ reperiri valet. Igitur, ut quis ſatisfaciat præcepto, intendat neceſſum eſt finem intrinſecum præcepti; ut ex dictis patet. Finis autem extrinſecus legis abſolute non cadit ſub lege: idcirco qui ponit rem præceptam, ſatisfacit præcepto, tametſi non intendat finem illum in quem legislator rem præſcriptam dirigit. Excipe caſum in quo legislator finem ſuum expreſſe præſcriberet intendendum a ſubdito. Sed tum finis extrinſecus indueret conditionem rei præceptæ; ut quando Prælati præſcribunt ieiunia, preces, ſacrificia ad avertendam calamitatem; tum obſtringuntur ſubditi ſe ſe conformare ad voluntatem ſuperioris.

VIII. Quæſt. III. *Impleri ne præceptum valet actu vitioſo?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* II. *punct.* 8. *num.* 147. ſententiam adfirmantem defendunt, nulla adiecta diſtinctione: inquiunt enim: *Qui audit Miſſam animo videndi mulierem, vere apponit actum ſecundum ſubſtantiam: ergo implet præceptum. Ita communiter moderni contra nonnullos antiquos.*

IX. Videamus, utrum nonnulli iſti antiqui melius ſentiant quam multi moderni. Non modo nonnulli, ſed tota veneranda antiquitatis corona deteſtatur præfatam opinionem. Quod ut perſpicue declarem, diſtinguenda eſt circumſtantia quæ ſubſtantiam actus præcepti inficit, a circumſtantia quæ actum præceptum comitatur, & perſonam operantem, non officium executionis, polluit. Audit quis devote, & attente Sacrum: circumſtat inanis gloriæ fumus: diſtrahitur ad videnda obiecta vana. Hæc venialia peccata non inficiunt ſubſtantiam actus ex motivo, ſeu fine religionis præſtiti. At ſi quis ad Eccleſiam auditurus Sacrum animo aſpiciendi mulierem accedat, finis iſte corrumpit ſubſtantiam actus, quo implendum præceptum eſt. Finis quippe intrinſecus audiendi ſacri eſt religioſum obſequium Deo præſtandum. Qui animo videndæ amaſiæ ad Sacrum audiendum pergit, non religionis officium, ſed libidinis flagitium exercet. Hæc eſt antiquorum doctrina, oppoſita modernorum opinationi, quæ nulla gaudet probabilitate. Conſule quæ dixi in explicatione præcepti audiendi Sacri.

C A-

Digitized by Google

CAPUT X.

De pluribus præceptis eodem actu implendis; & de impedimentis quæ aut apponuntur, aut non removentur, ne lex impleatur.

I. QUæſt. I. *Impleri ne uno actu plura præcepta valent?* Reſp. Primum omnium excipienda ſunt iuſtitiæ mandata. Nam certum eſt te non poſſe uno actu implere præceptum ſolvendi centum aureos ex contractu, & reſtituendi centum aureos debitos ex furto. Certum quoque eſt plura præcepta eodem die occurrentia, quæque ſuper eamdem materiam cadunt, unico poſſe impleri actu. Sic eadem Miſſæ auditione ſatisfacis præcepto diei dominicæ, & præcepto alterius Sancti eodem die recurrentis. Eodem ieiunio ſatisfacis præcepto quatuor temporum, & præcepto quadrageſimali. Sacerdos Beneficiarius una officii divini recitatione ſatisfacit & ordinis, & beneficii mandatis; & ſic de aliis ſimilibus. Hæc omnia communia ſunt, & certa.

II. Quando autem præceptum ſuperveniens cadit ſuper eumdem actum, tum legislatoris intentio examinanda eſt. Nam ſuperior poteſt abſque dubio aliquod præceptum imponere peculiari, & diſtincto actu implendum. Et reipſa quando ſuperiores aliquod præceptum imponunt ex novo, & ſingulari aliquo rationis momento, tunc diſtincto & ſingulari actu implendum eſt. Edidiſti votum ieiunandi. Confeſſarius tibi in culparum pœnitentiam ieiunium imponit. Advenit præceptum eccleſiaſticum ieiunandi. Tria ieiunia neceſſaria ſunt. Si Confeſſarius iubet ut Miſſam ter in hebdomada audias, non potes inter hos actus numerare auditionem Sacri diei feſti, niſi Confeſſarius id exprimat. Contra, ſi Confeſſarius iubeat ut per menſem audias Miſſam ſingulis diebus, tum comprehenduntur etiam dies feſti.

III. Quæſt. II. *Satisfieri ne poteſt eodem tempore diverſis præceptis?* Reſp. Quando præcepta eodem recidunt, communis Theologorum ſententia affirmat. Vales igitur eodem tempore audire Miſſam, & perſolvere horas canonicas, vel pœnitentiam a Confeſſario impoſitam agere: quoniam hæc duo præcepta eumdem finem habent; nec attentio ad divinum officium impedit attentionem ad Miſſam. Quid, ſi Confeſſarius pro pœnitentia præſcriberet tres Miſſas audiendas? Poſſes ne eodem tempore omnes audire? Adfirmat P. Sanchez *Lib. I. cap.* XIV. *num.* 11. cui non repugnant Ledeſma, & Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* 11. *punct.* 9. *num.* 153. Sed hæc o-

pinio mihi improbabilis omnino eſt, quia legem circumvenit, immo eam deludit Confeſſarius qui tres audiendas Miſſas præſcribit, maiorem ſe imponere pœnitentiam intendit quam ſi unam, aut duas iuberet. Porro tres Miſſas eodem tempore audire non eſt maior pœnitentia quam unicam audire. Nemini Chriſtianorum, lumine naturali iudicanti, hæc caſuiſtica opinio in mentem veniret. Vix ego conſulerem abſque peculiari neceſſitate ut quis eodem tempore & Miſſam die ſeſto audiret, & horas canonicas perſolveret. Contrariam ſententiam, utpote communem, non improbo. At qui tam ſevera œconomia tributa Deo debita ſolvunt, neſcio quo animo divitias miſericordiæ divinæ copioſas ſperare valeant. Die ſeſto non ſatisfacit quis præcepto audiendæ Miſſæ, dum ſua confitetur peccata.

IV. Alteram caſuiſticam opinionem, quam docent *Baunius*, *Eſcobar*, *Bonacina*, *& Leander a SS. Sacramento*, te videlicet poſſe plures Miſſæ partes ſimul audire a diverſis Sacerdotibus, ab uno uſque ad conſecrationem, ab altero uſque ad finem, & præcepto ſatisfacere, damnavit Alexander VII. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas eius partes, immò quatuor ſimul, a diverſis celebrantibus audit.* Hinc collige eo plures recentiores Theologiam caſuiſticam dirigere, ut vim legum extenuent zelo minuendi peccata. At numquam abundantius peccatorum torrens inundavit Chriſtianiſmum quam poſt invectam Theologiam probabiliſticam.

V. Quæſt. III. *Peccat ne qui impedimentum apponit, ut a lege implenda liber ſit?* Ex. g. voluntarie infirmitatem contrahis eo animo, ut a ieiunio liber ſis, aut ab alio præcepto. Reſpondent Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* II. *punct.* 9. *num.* 164. his verbis. „ Satis tamen eſt probabilis, & ab intrinſeco forte probabilior ſententia „ negans in tali caſu peccare: quia eo ipſo quod aliquis extrahatur ab obliga„ tione legis, ſeu lex illum non obliget (ſive hoc bona fide, ſive mala intentio„ ne, ſive licite, ſive illicite factum ſit) eſt incapax delinquendi in effectu con„ tra talem legem: ergo, ex quocumque motivo ponat impedimentum, quod „ ipſum extrahit ab obligatione ieiunii, non peccat contra ieiunii præceptum; „ ſed utitur iure ſuo, quo poteſt exonerari a lege, & extrahi ab obligatione il„ lius." Pro hac ſententia laudant utroſque *Sanchez*, *Filliucium*, *Azorium*, *Fagundez*, *Villalobos*, *Salmanticenſes Scholaſticos tract.* XIII. *de peccatis dub.* 6. *num.* 103.

VI. Hæc opinio non modo intrinſecus nec probabilior, nec probabilis eſt; ſed lædit ſenſum communem. Qui impedimentum apponit, ne legem ſervet, eodem tempore ſimul animum habet non ſervandi legem: idcirco enim, ut fatetur contraria ſententia, impedimentum adiicit, eoque animo, ne legem ſervet. At qui animum habet non ſervandi legem, contra legem peccat. Reſpondent arguti adver-

verſarii, hunc non habere animum non ſervandi legem, ſed animum liberandi, & ſubducendi ſe legis obſervationi. Callida ſane & verſuta cavillatio. Eccur ſtudet ſe a legis obligatione extrahere, niſi eo animo ne legem ſervet? Si Chriſtiani, bono præditi ſenſu, ſimiles audirent argutationes, ſcandalum perferrent. Et tamen eiuſmodi ratiocinia per totam recurrunt Theologiam caſuiſticam. Peccant ergo dubio procul omnes contra præcepta quorum obſervationem declinare impedimentorum appoſitione ſtudent. Quoniam lex quæ officium imperat, ſimul vetat id omne quod cum eodem pugnat, atque adeo impedimenti appoſitionem. Alioquin ludicra lex eſſet.

VII. Quæſt. IV. *Peccant ne contra præceptum qui impedimenta non removent, dum ſine gravi damno poſſunt?* Reſp. Sententia adfirmans vera eſt; & oppoſita falſa, nulla fruens probabilitate. Quandoquidem legislator, qui finem imperat, ſimul media ad finem neceſſaria præſcribit. At non adiicere impedimenta, aut eadem removere, cum facultas adſit, media ſunt neceſſaria ad finem. Ergo præſtanda ſunt ab eo qui ſincere vult legis obſervationem. Peccant ergo ii omnes, & quidem fraudulenter, qui pila ludunt, qui fornicantur, ne defatigati ieiunent: qui inebriantur, ne Miſſam audiant, aut horas canonicas perſolvant: peccant, inquam, contra præcepta ieiunandi, audiendi Sacri, recitandi officium.

VIII. Quæſt. V. *Qui non poteſt totum implere opus præceptum, aſtringitur ne partem quam poteſt exequi?* Reſp. Sententiam adfirmantem fuſo calamo demonſtravimus in opere inſcripto *La Quareſima Appellante*. Quare paucis nunc rem expediemus. Quando dividuum eſt præceptum, ſemper qui non valet totum, implere quam poteſt partem debet. Tum autem dividuum præceptum dicitur, cum ſingulæ partes ſigillatim acceptæ fini a legislatore præſtituto conducunt. Sic, quia in qualibet horarum canonicarum recitatione, in unica comeſtura, aut in ſola abſtinentia a carnibus relucet finis præceptorum ieiunii, & horarum canonicarum; ideo qui nequit totum officium, partem perſolvere, qui nequit & unicam comeſturam, & abſtinentiam a carnibus ſervare, alterutram quam valet partem exequi debet. Quapropter iure ſequentem propoſitionem damnavit Innocentius XI. *Qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia maior pars trahit ad ſe minorem*. Futile eſt quod obiiciunt, acceſſorium ſequi principale, quando ambo ſunt dividua. Tum valet dicta regula, quando ambo individua ſunt, fine a lege intento ſpectato.

IX. Quæſt. VI. *Quando duo occurrunt præcepta quæ ſimul ſervari nequeunt, quid agendum?* Reſp. Conferenda invicem præcepta ſunt, & quod gravius eſt, atque præſtantius, præferri inferiori debet. Præceptum naturale voluntario, voluntarium divinum humano, humanum canonicum civili, & mandatum ſupremi

Digitized by Google

Principis, inferioris legislatoris præcepto, & tandem affirmativum negativo præire debet. Res perſpicua ex ſe eſt. Naturale eſt de rebus abſolute neceſſariis. Deus ſuperior homine eſt, & Princeps ſupremus Principe inferiore. Præceptum excellentioris virtutis anteponendum eſt præcepto virtutis inferioris. Hinc præceptum caritatis, quæ eſt omnium virtutum forma, antecedere debet alias virtutes. Negligenda ieiunia, preces, auditio Sacri, & cetera eiuſmodi, ut caritatis officia erga proximum graviter, non leviter tua ope indigentem exerceas, quando omnia ſimul præſtare nequeas.

DISSERTATIO VI.

DE LEGIS CESSATIONE, INTERPRETATIONE, DISPENSATIONE, ET CONSUETUDINE.

PRAELOQUIUM.

DIſſertatio hæc plura comprehendit gravioris momenti, & difficilioris reſolutionis ob caſuiſticas ſubtilitates, & laxitates: idcirco ſeveriore indiget examine. Omnia de more expendam, utriſque extremis & *Rigoriſmi*, & *Laxiſmi* declinatis. Nil frequentius in ore, & in calamo Probabiliſtæ habent quam ceſſare legem ceſſante fine. Hanc propterea quæſtionem loco primo expendam. Opiniones quæ mihi videntur laxæ, ſevero ſtilo de more perſtringam, ſalvo obſequio erga Auctores. Fucus Probabiliſmi aqua dulci ablui nequit, ſed acri, ſalſoque liquore abſtergi dumtaxat poteſt. Fucus iſte plus lectoribus, qui delinire legis rigorem cupiunt, quam ceruſſa ſemellis, quæ occultare deformitatem ſtudent, placere ſolet. Et hæc eſt unica & ſola cauſſa cur frequenter acetum oleo infundimus, quo efficacius inveteratas laxitates expungere valeamus. Eodem ſtilo errata noſtra confundant alii.

CAPUT I.

Improbabilis, & laxa eſt plurium Probabiliſtarum opinio qua defenditur, non obligare legem, ſublato eiuſdem fine in particulari.

I. FInis legis duplex: intimus unus, extimus alter. Primus eſt ipſa rei præceptæ honeſtas. Secundus eſt quem legislator intendit. Hic conſiderari duplici ratione poteſt: quandoque enim iunctus eſt fini intrinſeco, & quandoque ſeiunctus ab illo eſt. Ex. g. ieiunii, cuius res præcepta ſuapte natura honeſta eſt, finis primus & intrinſecus eſt temperantia, quam conſequitur carnis mortificatio; orationis intimus finis religio eſt: quare legislator præcipiens ieiunium, non poteſt non intendere temperantiam, mortificationem, carniſque compreſſionem; & in

in oratione præſcribenda non poteſt non intendere religionis honeſtatem. Quoties igitur actus præcepti natura ſua honeſti ſunt, finis intrinſecus legis eſt ipſa res præcepta. Et tunc finis extrinſecus legiſlatoris coniungitur cum fine intrinſeco, hoc in ſenſu, quod legislator nequeat non intendere ea quæ rem præceptam neceſſario conſequuntur, ut in exemplis allatis patet. Datur vero finis extrinſecus, qui omnino a voluntate legiſlatoris pendet; ut quando is præcipit ieiunium, preces ob aliquem finem peculiarem, puta ad placandam divinam vindictam, ad impetrandam pluviam, auxilium contra hoſtes &c. Finis omnino extrinſecus legis eſt, quando res præcepta natura ſua indifferens eſt, ut delatio armorum, extractio aut introductio mercium, & cetera eiuſmodi, quæ legislator ob aliquem, vel plures fines præcipit, aut vetat.

II. Quoties lex præcipit actus natura ſua bonos, ut ſunt ii quos primo loco indicavi, ſemper lex conſiſtit, etiamſi ceſſaret finis extrinſecus legiſlatoris. Quoniam ipſa actuum præceptorum bonitas & honeſtas ſunt finis præcipuus, & intrinſecus legis, quem in lege roganda non poteſt non intendere legislator. Et hoc verum eſt penes omnes, qui dicunt legem tum ceſſare, quando cauſſa tota, ſeu adæquata legis definit & evaneſcit. Porro, dum conſiſtit rei præceptæ bonitas & honeſtas, non ceſſat cauſſa adæquata legis, etiamſi ceſſaret finis extrinſecus eiuſdem. Similiter quando res præcepta eſt indifferens, pluresque ſunt fines extrinſeci a legiſlatore intenti, ex quibus omnibus coaleſcit totus finis adæquatus; ceſſante uno, aut altero fine, non definit, nec ceſſat lex. Tum enim dumtaxat bono communi inutilis lex evadit, dum omnes omnino fines deficiunt. Duo in veteri fœdere erant legis circumciſionis fines, peccati originalis abolitio, & diſtinctio Iudaici populi a ceteris gentibus. Deficiente uno fine, conſiſtebat alter: ideo lex urgebat, etiamſi peccatum originale deletum ſpeciali gratia fuiſſet.

III. Cum finis adæquatus legis omnino ceſſat, communiter reſpectu omnium lex ipſa ceſſat. Prohibita eſt communicatio unius civitatis cum altera ad peſtem vel contagionem vitandam; ſublata omnino peſte vel contagione, lex evaneſcit. Prohibitus eſt ingreſſus in talem domum ob vitandum ſcandalum mulieris ſuſpectæ famæ: alio mulier abiit, lex ceſſat, quod cauſſa adæquata legis ſublata ſit.

IV. Quæſt. I. *Expectanda ne eſt Principis declaratio, qua definiatur legem ceſſaſſe?* Reſp. P. Dominicus Soto *Lib. I. quæſt.* VI. *art.* 8. docet, legem vim non amittere, niſi vel Princeps, vel conſuetudo legem abrogaverit. Communis ſententia oppoſitum docet, nempe legem ceſſare, eo ipſo quod finis adæquatus eiuſdem ceſſet. Quoniam hoc ipſo redditur inutilis lex iſta communi bono. Aliqui tamen nimium habenas laxant. Salmanticenſes *tractat.* XI. *cap.* IV. *punct.* I. *num.* 4. propu-

pugnant haud requiri quod innoteſcat toti communitati, ſed ſat eſſe quod mihi in particulari notum ſit finem legis adæquatum ceſſaſſe. Quæ opinio laxa eſt, & reiicienda. Nam, ſi iudicium hoc ferre cuique licitum eſſet, actum de pluribus legibus eſſet, & publica perturbatio facile contingeret. Doctrina Dominici Soti recte explicata veritati accedit. Non requiri determinate Principis declarationem concedit & ille; ſed conſuetudinem poſtulat, nempe communem civitatis, ſeu populi conſenſum. Quam doctrinam ſic explicatam defendit Doctor eximius P. Suarez *Lib.VI. cap.* IX. *num.* 12. ubi inquit: *Solum ergo eſt neceſſarium ut de tali ceſſatione publice, & manifeſte conſtet per evidentiam facti generaliter noti in tali Republica, vel communitate*. Fatemur ergo & nos, non requiri Principis declarationem. Sed negamus, iudicium cuiuſcumque particularis ſat eſſe ut dicatur finem adæquatum legis ceſſaſſe. Neceſſe igitur eſt ut id communiter compertum ſit univerſæ Reipublicæ, vel communitati. Et hæc eſt vera ſententia.

V. Laxior eſt opinio quam ibidem propugnant laudati Salmanticenſes, inquientes, ſat eſſe opinionem probabilem, quà iudicetur finem legis adæquatum ceſſaſſe, ut lex ipſa amplius non obliget. Quæ doctrina vix admittitur ab ipſis melioris notæ Probabiliſtis. Nam lex in poſſeſſione eſt. Poſſeſſio autem probabilitate ſola non aufertur. Reponunt hæc verba: *Et licet lex ſit in poſſeſſione probabile eſt non eſſe; cum ſit probabile eſſe inutilem*: citantque *Caſtropalaum*, & *Granadum*. Hæc ſunt Probabiliſmi axiomata, quæ univerſam morum Theologiam peſſumdant. Ut opinio ſit probabilis, ſat eſt a quatuor vel ſex Auctoribus (ut abundanter loquar) illam defendi. Sat ergo erit quatuor vel ſex Caſuiſtas dicere, ceſſaſſe finem legis, & continuo evaneſcet lex: quod quam ſit abſurdum, nemo non videt. Sed alibi data opera hæc principia labefactavi. Quamobrem non eſt recoquenda crambes. Sat fuit admonuiſſe lectorem, ut cautus in librorum lectione ſit.

VI. Animadvertendum eſt ex Caietano, finem legis ceſſare duobus modis poſſe. Primo *negative*, quando lex inutilis eſt bono communi: tamen, ſi illam impleas, malum non eſt. Secundo *contrarie*, quando obſervantia legis in hoc caſu vitioſa eſt: quem caſum exceptum a lege eſſe docet S.Thomas. Quod ergo in diſputationem nunc vocatur, eſt ſequens quæſtiuncula.

VII. Quæſt. II. *Ceſſante negative fine adæquato legis in particulari, ceſſat ne legis obligatio?* Reſp. Affirmat prior ſententia, quam propugnant Granadus, Henriquez, Navarrus, Ledeſma, Sylveſter, Diana. P. Viva *quæſt.* VI. *art.* 5. pro hac ſententia citat Caietanum, qui 2.2.*quæſt.* CXX. *art.* 1. conceptis verbis oppoſitum docet. Sed excuſandus P. Viva, quia Auctores legit penes ſuum Dianam, ex cuius relatione paſſim Auctores citat. Rationes iſtius opinionis hæ ſunt. Finis legis

eſt

eſt tota ratio, & veluti anima eiuſdem; qua ſublata, deficere lex debet. Nec lex in communi tantum obligat, ſed etiam in particulari. Ergo quemadmodum, ceſſante fine legis in communi, deficit lex pro omnibus; ſic, ceſſante fine legis in particulari caſu, ceſſabit pro tali caſu lex. Et hoc patet in correctione fraterna: ceſſante enim profectus fine, lex corrigendi non urget Hanc ſententiam *ſatis probabilem* vocant Salmanticenſes *loc. cit. num.* 5. Si ſatis probabilis; ergo iuxta Probabiliſmi principia licite eam amplecti quiſque valet.

VIII. Oppoſita ſententia vera, ſolaque probabilis eſt. Illam communiter defendunt vel ipſi Probabiliſtæ. Primum omnium tranſcribenda eſt doctrina S. Thomæ, qua ſola reſolvuntur omnes caſus quos diſputant moderni Moraliſtæ. Docet Angelicus 1. 2. quæſt. XCVI. art. 6. *Omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem; & intantum obtinet vim, & rationem legis; ſecundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet . . . . Contingit autem multoties quod aliquid obſervari communi ſaluti eſt utile ut in pluribus, quod tamen in aliquibus caſibus eſt maxime nocivum. Quia igitur legislator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundum ea quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem utilitatem . . . Sed tamen hoc eſt conſiderandum, quod, ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oportet ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet ut interpretetur quid ſit utile civitati, & quid inutile civitati; ſed hoc ſolum pertinet ad Principes, qui propter huiuſmodi caſus habent auctoritatem in legibus diſpenſandi. Si vero ſit ſubitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad ſuperiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam: quia neceſſitas non ſubditur legi.*

IX. Lex ergo communitatem iuxta Angelicum reſpicit, & id quod communiter, & in pluribus accidit. Caſus omnes comprehendere nequit. Quod repetit 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 4. *Statuta communia proponuntur, ſecundum quod multitudini conveniunt. Et ideo legislator in eis ſtatuendis attendit id quod communiter habetur, & in pluribus accidit.* Si in aliquo caſu lex fiat noxia, ideſt ceſſet finis *contrarie*; tum aut eſt periculum in mora, & neceſſitas legem non habet; aut periculum ſubitaneum non eſt, & adeundus ſuperior eſt. Ad quemlibet non pertinet de legis fine iudicium ferre, utrum ſcilicet lex iſta utilis nec ne ſit civitati. *Sed hoc ſolum pertinet ad Principes*, inquit Angelicus. Duo alia verba contra Probabiliſtas tranſcribo ex eodem Angelico 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 4. *Nam ſi cauſa ſit EVIDENS, per ſe ipſum licite poteſt homo ſtatuti obſervantiam præterire, præſertim conſuetudine interveniente; vel, ſi non poſſet de facili recurſus ad ſuperiorem haberi.* Salmanticenſes cum Probabiliſtis contendunt, ſat eſſe cauſſam probabilem ad legis obſervantiam prætereundam. S. Thomas requirit cauſſam *evidendn-*

dentem ; immo adiicit , *præſertim interveniente conſuetudine*, vel *cum facilis ad ſuperiorem recurſus non pateat*.

X. Ex quibus omnibus hæc pro communi ſententia ratio formatur . Lex fertur propter bonum commune , & propter id quod communiter accidit . Hoc ſine adæquato legis in communi vigente , numquam lex ceſſat in particulari , ſeu nullus particularis ſubditus a lege exemptus eſt. Cur ? Quia lex non fertur propter particularem caſum, ſed propter id quod communiter accidere ſolet . Quare licet reſpectu huius , vel illius reipſa non accidat , hoc non tollit quin lex obliget : quia lex id ſpectat quod plerumque accidere communiter ſolet . Vetat lex armorum delationem ob periculum rixarum , diſſenſionum , & perturbationum . Periculum iſtud ſemper imminet; quamquam reſpectu huius, aut illius reipſa nec rixæ, nec perturbationes eveniant. Qua de cauſſa fornicatio ſemper eſt peccatum mortale : quia licet aliquis ſatis providere educationi generandæ prolis valeat , communiter tamen hæc providentia natura ſua deeſſet : ideo numquam occurrere caſus poteſt in quo fornicatio licita evadat.

XI. Contraria ſententia falſo, ut dicitur, ſuppoſito perpetuo laborat . Negatur enim ceſſare finem legis vel in particulari , dum finis adæquatus legis in communi conſiſtit . Quod aliquis in particulari non experiatur malum quod lex prohibet, hoc non tollit quin finis legis etiam reſpectu huius conſiſtat : quia finis legis etiam reſpectu huius eſt quod ob bonum commune teneatur ſervare & ipſe legem, quæ vetat mala paſſim contingentia ; quamquam caſus occurrat in quo reipſa non eveniant . Falſum itaque eſt principium cui oppoſita nititur opinio . Utique anima legis eſt eiuſdem finis. Sed hic etiam in particulari conſiſtit, quando reſpectu multitudinis viget in communi. Securus ego ſum, inquis, nullum reſpectu mei armorum delationem, acceſſum ad monaſterium Monialium periculum parere. Eſto. At finis propter quem inſtituta lex eſt, non eſt hic caſus tuus particularis; ſed caſus qui communiter occurrunt. Communiter autem occurrunt mala, hominum multitudine ſpectata , quæ lex prohibet . Et hoc ſat eſt ut & tu , reſpectu cuius non occurrit caſus legis , ſubiectus ſis legis obſervationi . Quod de correctione fraterna obtruditur , vanum eſt. Præceptum quippe illud, cum ſit affirmans, non obligat, cum ſpes fructus non adſit.

XII. Tandem abſurda quæ neceſſario contrariam conſequuntur opinionem, illam improbabilem prorſus reddunt . Ea quippe admiſſa , omnes fere humanæ leges in nihilum occiderent . Quiſque pro ſuo affectus commodo, & ingenio contenderet , legis finem locum non habere . Quin hac regula leges ipſas naturales quiſque metiri auderet . Divites omnes contenderent , finem vetitæ fornicationis eorum reſpectu non conſiſtere ; cum habeant unde & mulieri , & futuræ proli providere abunde poſſint . Librorum hæreticorum lectionem , acceſſum ad monaſte-

ſterium, armorum delationem, pomparum uſum, & plurima alia quiſque ſibi licita fore iudicaret.

XIII. P. Dominicus Viva defendit hanc noſtram communem ſententiam *quæſt.* VI. *artic.* 5. Verum, ut ſuæ benignæ propenſioni obſecundet, poſt confirmatam communem ſententiam reſponſa adverſariorum refert, nec ea reiicit; ſed de more lectori facultatem facit ut quid ſibi magis expedire viderit, ſeligat; quin ita ſub finem diſputationis exaltat adverſariorum reſponſa, ut vel ipſi ſtupidi intelligant, quo Auctoris iſtius animus pendeat. En quam verum in praxi ſit, vi *Probabiliſmi* quaslibet opiniones regulas eſſe conſcientiarum. Quid enim adverſantes opiniones oppugnant, dum illas probabiles, licet minus, agnoſcunt? Verum & de hoc fuſe alibi. Reſponſa adverſariorum, quæ *intrepida* P. Viva appellat, vana ſunt. Nam præcipuum reſponſum quod refert P. Viva, apertum continet errorem. Falſum eſt, inquiunt, legislatorem habere finem illum univerſaliorem, quod pars conformetur toti, quando ceſſat finis immediatus legis in particulari. Nam hoc non eſt utile, ſed damnoſum communitati, eo quod ſingulos obliget, & aggravet in caſu quo ceſſet finis legis abſque ulla utilitate. Hinc dicunt, ceſſante fine directo, & immediato legis, ceſſare animam legis; atque adeo non obligare, ut pars conformetur toti, quando in parte ceſſat ratio cur conformetur toti, & nullum adeſt ſcandalum.

XIV. Reſponſum iſtud, quod totidem fere verbis refertur a P. Viva, ab imis legum fundamenta ſuffodit; leges omnes adoritur, & pervertit; ſubditos ad rebellionem irritat, & accendit; antilogiis, & falſis ſuppoſitionibus fulcitur. Quæ abſurda irrito conatu declinare, ſeu fucare adverſarii ſtudent. Et, quod ad primum attinet, error manifeſtus eſt, quod pars non debeat conformari communitati in noſtro caſu. Ut enim ad incitas cum ſuis adverſariis redigam P. Viva: cedo: conſiſtit ne in quæſtionis noſtræ caſu finis in communi? (Hic enim eſt quæſtionis ſtatus num vigente fine in communi, & ceſſante in particulari, modo explicato, & explicando, ceſſet lex.) Minime. Ergo ſubditus particularis tenetur conformare ſe communitati, quæ patitur detrimentum, quando pars ſe toti ſubtrahit. Siquidem inde bonum commune eiuſdem aſſurgit, & viget, quod partes conſpirent in bonum totius. Iam dictum eſt, quod, licet caſus legis, puta rixæ in delatione armorum, ſeductio in lectione librorum, ſcandala in ingreſſu in monaſteria, re non contingant; non propterea ceſſat legis finis, ut declaravi. Quoniam finis legis etiam in hoc particulari eſt, ut pars conformetur toti. Obtinuit communis loquendi uſus, ut dicatur ceſſare finem legis in particulari, quando malum quod prohibere lex intendit, in illo particulari non evenit: quo tantum in ſenſu dicitur, finem legis in particulari ceſſare. Ceterum non ceſſat legis finis quantum ad obligationem legis ſervandæ etiam ab illo parti-

cu-

culari. Immo quia legiſlator humanus prævidere omnes caſus particulares nequit, omnes ſubditos obligat ad obſervandum, aut vitandum id quod communiter contingit; ut ſapienter de more definit S. Thomas 1. 2. quæſt. xcvi. art. 6. ad 3. *Nullius hominis ſapientia tanta eſt, ut poſſit omnes ſingulares caſus excogitare: & ideo non poteſt ſufficienter per verba ſua exprimere ea quæ conveniunt ad finem intentum: & ſi poſſet legiſlator omnes caſus conſiderare, non oporteret ut omnes exprimeret propter confuſionem vitandam; ſed legem ferre debet ſecundum ea quæ in pluribus accidunt.* Si ipſe legiſlator exprimere caſus omnes vellet; quæ, amabo te, confuſio non eveniret? Si ſinguli ſubditi metiri legis obligationem vellent ex reſpectuum erga ſemetipſos diverſitate; quæ abſurda non conſequerentur? At, inquit P. Viva, *ad abſurda quæ adducuntur, reſpondent intrepide.* Intrepide ſane, immo audacter & temere: quoniam ratio deeſt, & communis ſenſus. Nec vacat diutius immorari in opinione aperte falſa refellenda. Nec eſt quod regeras, illam magnos habere patronos. Magni ſane, quod plura digna laude docuere. Sed, ad hoc quod attinet, errarunt, quemadmodum & in aliis. Hæc pauca adiicere libuit contra dexteritatem illam qua P. Viva, ſin aperte, ſaltem per cuniculos, laxiores inſinuare opiniones ſolet, quas ille credidit probabiles.

C A P U T II.

De legis abrogatione.

I. Abrogatio, ſeu revocatio legis ea eſt quæ legem promulgatam, & obligantem de medio tollit. Duplex eſt: alia *negativa*, qua lex deſuetudine aboletur, nulla alia lege contraria ſubſtituta; alia *poſitiva*, qua lex lata revocatur, nova loco eiuſdem, & quidem contraria invecta. Et hæc aut eſt formalis & expreſſa, quæ, clauſula expreſſa, priorem legem abolet, aliam ſubſtituendo; aut virtualis, dum, omiſſa clauſula abrogante antiquam legem, nova lex conditur, quæ cum priore pugnat. Differt abrogatio a derogatione, quod illa totam, hæc partem legis abolet.

II. Leges, etiam iuſtæ, abſolute revocari queunt. Ceterum, dum nova lex conditur, veteri antiquata, rationabilis cauſſa occurrat neceſſum eſt: quia lex iuſta non eſt, niſi ſit bono communi conſentanea. Ergo abrogatio poſitiva non a ſola voluntate; ſed potiſſimum a recta ratione legiſlatoris proficiſci debet. S. Thomas optime exponit qua ratione mutari leges valeant 1. 2. quæſt. xcvii. art. 1. *Lex humana eſt quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus. Et ſecundum hoc duplex cauſa eſſe poteſt, quod lex humana iuſte mutetur: una quidem ex*

par-

parte rationis; alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur. Ex parte quidem rationis, quia humanæ rationi naturale eſſe videtur ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus in ſcientiis ſpeculativis, quod qui primo philoſophati ſunt, quædam imperfecta tradiderunt, quæ poſtmodum per poſteriores ſunt tradita magis perfecte. Ita etiam in operabilibus: nam primi qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex ſeipſis conſiderare, inſtituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ poſteriores mutaverunt, inſtituentes aliqua quæ in paucioribus deficere poſſunt a communi utilitate. Ex parte vero hominum, quorum actus lege regulantur, lex recte mutari poteſt propter conditionem hominum, quibus ſecundum diverſas eorum conditiones diverſa expediunt: ſicut Auguſtinus ponit exemplum in I. de libero arbitrio, quod ſi populus ſit bene moratus, & gravis, communiſque utilitatis diligentiſſimus cuſtos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare ſibi Magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur. Porro, ſi paulatim idem populus depravatus habeat venale ſuffragium, & regimen flagitioſis; ſceleratiſque committat, recte adimitur populo talis poteſtas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium.

III. Duo itaque principia ſunt legis humanæ abrogandæ, & mutandæ. Alterum eſt ipſa ratio humana, unde lex manat: quæ, cum ſit imperfecta, mutationi obnoxia eſt. Alterum eſt humanæ naturæ conditio, cui uno tempore lex expedit, & alio tempore nocet ob varias rerum viciſſitudines. Illud tamen advertunt ſapientes omnes, raro mutandas leges eſſe, quæ ſemel latæ ipſa experientia inventæ ſunt bono communi conſentaneæ. Pauciſſimi ſunt legibus condendis peridonei. Quamobrem, cum ad mutandas leges multiplicentur legislatores, facilius error occurrit, & mutatio legum inducit contemptionem. Divina propemodum ſunt documenta quæ in hunc finem promit S. Thomas loc. cit. art. 2. *Lex humana intantum recte mutatur, inquantum per eius mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, detrimentum quoddam communis ſalutis: quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo; intantum quod ea quæ contra communem conſuetudinem ſiunt, etiamſi ſint leviora de ſe, graviora videntur. Unde, quando mutatur lex, diminuitur vis conſtrictiva legis, inquantum tollitur conſuetudo. Et ideo numquam debet mutari lex humana, niſi ex alia parte tantum recompenſetur communi ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc quod aliqua maxima, & evidentiſſima utilitas ex novo ſtatuto provenit; vel ex eo quod eſt maxima neceſſitas, ex eo quod lex conſueta aut manifeſtam iniquitatem continet, aut eius obſervatio eſt plurimum nociva. Unde dicitur a Iuriſperito, quod in rebus novis conſtituendis evidens debet eſſe utilitas, ut recte recedatur ab eo iure quod æquum diu viſum eſt.* Hæc adeo luculenta ſunt, ut expoſitionem reiiciant. Opponit ſibi Doctor Angelicus, artes in dies mutari, & perfici;

ci; quidni ergo & leges? Reſpondet, artes a ſola ratione ſuam perfectionem repetere. Legum vis, & robur a conſuetudine plurimum pendet: ideo diſpar ratio. Quæ doctrina ipſa experientia firmatur. Immortalis, & invicta Reſpublica Veneta, quia antiquarum ſuarum legum tenax acerrime eſt, & pro immobili regula habet, *Servetur ſolitum, nihil innovetur*, in imperii diuturnitate ceteris omnibus principatibus ad perpetuam ſuam gloriam præſtat, eminetque. Niſi itaque evidentiſſima, ut inquit Angelicus, ſit utilitas, aut niſi noxia ob temporum viciſſitudines lex antiqua fiat, exulet mutatio omnis.

IV. Quæſt. I. *Quandonam lex antiqua abrogata cenſeatur, nova ſuperveniente?* Reſp. Quando lex nova ſervari ſimul cum antiqua nequit, illa promulgata, hæc abrogata cenſetur, etiamſi deſit clauſula abrogans. Siquidem quoties legiſlator quid præcipit quod una cum altero ſervari nequit, dum illud vult, hoc reiicit. Quæ nova lex, ut antiquam abroget, promulgari debet. Quando vero abrogatio eſt tantum *negativa*, non requiritur promulgatio. Expedit tamen ut populo compertum ſit, illum a legis onere liberum eſſe. Cum in aliqua provincia viget aliqua peculiaris iuſta & legitima conſuetudo, non abrogatur per legem generalem oppoſitam; niſi in hac lege generali expreſſa clauſula, abrogans talem iuſtam conſuetudinem, inſerta habeatur.

V. Quæſt. II. *Quis abrogare legem valet?* Reſp. Qui fert legem, abrogare eam valet. Inferior legem ſuperioris abrogare nequit; contra vero ſuperior abolere inferiorum leges poteſt; ut Pontifex leges Epiſcoporum, & Rex leges Magiſtratuum. Sed requiritur ad hunc effectum ut ſuperior ſit, non dignitate tantum, ſed iuriſdictione etiam. Qua de cauſſa Archiepiſcopus licet dignitate ſuperior ſit Epiſcopo, non propterea abrogare Epiſcopi leges poteſt. Quia Epiſcopus in ferendis legibus ab Archiepiſcopo non pendet. Succeſſor poteſt anteceſſoris leges abrogare. Legiſlatores provinciarum, regnorum nequeunt leges ferre quæ abrogent ius commune univerſale, quod a ſuperiori poteſtate latum eſt: quia inferior in ſuperiorem poteſtate caret.

VI. Quæſt. III. *Poteſt ne inferior legem a ſe latam, confirmatam a ſuperiore, abrogare, & mutare, eidemque derogare?* Reſp. Duplex eſt confirmatio. Altera, quæ vim legum tribuit; & tum hæc eſt, quando leges feruntur ab inferioribus, poteſtate ad condendas leges deſtitutis. Quare, dum iſti ſtatuta, legeſque condentes, recurrunt ad ſuperiorem pro legum confirmatione, cum leges iſtæ totam vim a confirmatione recipiant, eaſdem confirmatas mutare, vel abrogare nequeunt. Altera eſt, quando inferiores facultate potiuntur condendi leges pro propria provincia, congregatione &c. & eas conditas confirmari a ſuperiore curant ad maiorem auctoritatem, & dignitatem: tum eaſdem mutare, & abolere valent, niſi ſuperior in confirmatione expreſſam clauſulam adiiciat, qua mutatio, vel alteratio prohibeatur. Leges

latas in Synodo abrogare Epiſcopi valent, quia ſoli Epiſcopi reipſa leges ferunt; Parochi, ceterique, non ut iudices, ſed ut conſulentes, Synodo interſunt.

C A P U T III.

De legis interpretatione, & epiikia. Opiniones P. Viva, *falſo pro ſe citantis* P. Suarez, *& aliorum Probabiliſtarum refelluntur.*

I. INterpretatio, quæ declaratio legis eſt, duplex. Alia *authentica* dicitur, ſeu *iuriſdictionis*, quæ a ſolo legislatore fit, habetque legis vim. Alia *doctrinalis*, quæ legis vi caret, & a Doctorum iudicio proficiſcitur. Addi ſolet tertia, quæ nuncupatur *uſualis*, quæ ab uſu, ſeu conſuetudine pendet.

II. Inferior nequit authentice interpretari ſuperioris legem, ut ex dictis capite ſuperiore patet. Heinc Theologorum nemo authentice interpretari legem naturalem, aut divinam poteſt. Interpretatione vero doctrinali quiſque non modo humanas, ſed naturales, & divinas declarare leges valet, regulis iuſtæ prudentiſque interpretationis ſervatis.

III. Quæſt. I. *Quando legislator prohibet legis interpretationem, licitum ne eſt Doctoribus ex inſtituto, nedum obiter, eamdem interpretari?* Reſp. Affirmant P. Caſtropalaus *tract.* III. *diſp.* V. *punct.* 3. §. 2. *num.* 6. & Salas *diſp.* XXI. *ſect.* 2. Ecqua ratione id evincunt? Quia, inquit P. Caſtropalaus, regulariter loquendo, quoties in aliqua lege prohibetur interpretatio, ſolum vetatur interpretatio *frivola*, quæ eſt contra mentem legis. Papæ! Lege peculiari opus eſt ad frivolas interpretationes vetandas? Mirum, quod non dixerit prohiberi interpretationes authenticas, ſecus doctrinales. His diſtinctiunculis, & effugiis leges omnes eluduntur. Si Pontifices prohibeant interpretari propoſitiones ab Eccleſia damnatas abſque peculiari facultate; en doctrinam quæ in anteceſſum deludit eiuſmodi prohibitiones. Et quamquam plures interpretationes ineptiſſimæ, nedum frivolæ ſint; Auctores tamen non frivolas, ſed graves, & legitimas illas reputant. Falſa ergo, & legislatoribus iniurioſa eſt opinio Caſtropalai, & aliorum quos ipſe citat.

IV. Quæſt. II. *Quæ regulæ in interpretatione ſervandæ?* Reſp. Primam, & potiſſimam regulam aſſignat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCVI. *art.* 6. ubi in arg. *Sed contra* adducit auctoritatem S. Hilarii. *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei debet ſermo eſſe ſubiectus. Ergo magis attendendum eſt ad cauſam quæ movit legislatorem, quam ad ipſa verba legis.* Primum ergo omnium legislatoris intentio ſpectanda, quia hæc eſt veluti legis anima; verba

autem

autem inſtrumenta ſunt quibus intentio legislatoris exprimitur. Quare verba intentioni, non intentio verbis, ſubdenda ſunt, ut habetur L. XVII. ff. de legibus: *Scire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim, & poteſtatem*. Quæ intelligenda ſunt, quando ex univerſo legis textu intentio legislatoris innoteſcit. Ceterum, ſi legislatoris voluntas ambigua fuerit, tum inhærendum verbis eſt: quia abſolute loquendo, verba ſunt quæ nobis referunt legislatoris voluntatem; nec in ambiguo caſu melior quam verba, haberi legis interpres valet.

V. *Secunda regula* præſcribitur L. XXVI. ff. de Reg. iur. *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſime accipietur quæ rei gerendæ aptior eſt*. Præcipue inſpicienda eſt ratio in lege allegata, & ſcopus quo lex pertinet. Tota legis ſubſtantia, & eiuſdem ſpiritus ſummopere colligendus eſt. Et his omnibus mature expenſis, ea præferenda ſententia eſt quæ ad legis ſpiritum magis conformatur.

VI. *Tertia regula*. Quando legis verba ambigua apparent, interpretanda ſunt iuxta communem intelligentiam loci, & patriæ in qua condita lex eſt. Quæque fere gens quibuſdam phraſibus, formuliſque loquendi utitur, quæ ex communi talis regionis intelligentia ſuum proprium ſenſum habent. Verba ergo numquam ad ſenſus metaphoricos detorquenda; ſed iuxta naturalem regionis, loci, & ſapientum intelligentiam exponenda ſunt. Legislatorem enim iuxta communem loquendi ſenſum uſurpaſſe verba, præſumendum eſt; alioquin nihil certi haberetur. Id ſolum attendendum, num ex naturali verborum intelligentia abſurdum aliquod ſequatur: tum enim illud vitandum eſt, etiamſi verba ad ſenſum metaphoricum, & improprium transferenda eſſent: quia potius præſumendum eſt, legislatorem minus doctum fuiſſe, & experrectum in verbis aptis ad ſuam mentem declarandam ſeligendis, quam voluiſſe iniquitatem, & abſurda. Quando itaque nullum ſequitur abſurdum, lex generatim, & indefinite loquens, non eſt reſtringenda; nec reſtricta, & definita, amplianda, aut diſtinctionibus implicanda, iuxta illud axioma: *Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. Lex indefinita univerſali æquivalet, niſi ex adiunctis aliud colligatur.

VII. *Quarta regula*. Quando de valore alicuius actus diſputatur, ſit nec ne validus, interpretanda lex eſt, ut valeat actus: quia nemo præſumitur quidquam inutile agere, ſervata tamen verborum proprietate.

VIII. *Quinta regula*. Lex in favorabilibus amplianda, in odioſis reſtringenda. In lege igitur favorabili non modo ſenſus naturalis, ſed etiam civilis attendi ſolet. Senſus naturalis ille eſt quem verba efferunt iuxta communem intelligentiam. Senſus civilis eſt qui ex fictione, ut dicitur, iuris, ſeu ex ipſa arte iuriſprudentiæ ſuſcipitur: quæque enim ars ſuas phraſes formulaſque habet, ut notum eſt. Filii nomen iuxta ſenſum naturalem ſolum filium legitimum, iuxta artem civilem etiam adoptivum ſignificat. Mortis vox ſolam mortem naturalem, iuxta civiles leges etiam

iam profeſſionem monaſticam ſignificat. Plures alias regulas præſcribunt tum ICti, tum Theologi; ſed, mea ſententia, parum deſervientes particulari interpretationi, quæ iuxta circumſtantiarum diverſitatem varios ſuſcipit ſenſus. Idcirco eaſdem prætereo.

IX. Quæſt. III. *Extendenda ne lex ad caſum in ea non comprehenſum ob ſimilitudinis, vel identitatis rationem?* Reſp. Lex prohibet unum caſum, &. non alterum: hic tamen ſimilis eſt illi ob rationis ſimilitudinem, vel identitatem. Similitudo in variis rationibus fundatur, quarum una ſimilis alteri eſt, non eadem. Identitas rationis eſt, quando eadem omnino ratio viget pro caſu comprehenſo in lege, & pro non comprehenſo. Communior ſententia eſt, legem non extendi ad caſus non comprehenſos ob rationum ſimilitudinem. Quandoquidem ratio legis non eſt lex: neque ratio legis neceſſitatem imponit legislatori comprehendendi omnes caſus qui iidem omnino non ſint. Sicut itaque libere legislator hunc præ alio caſum includit in ſua lege, ita alium non includit. Qua ergo ratione ad hunc non incluſum extendenda lex eſt? Idque exemplo conſtat. *In Clement. I. de electione* prohibetur ne quis eligatur in prælatum Conventus diverſi Ordinis; & tamen vetita non intelligitur electio Regularis in Epiſcopum Eccleſiæ, in qua cum Clero ſæculari intereſſe choro, & capitulo debet, ipſumque Clerum ſæcularem dirigere.

X. Quando tamen eadem eſt omnino adæquata ratio, niſi quidquam in oppoſitum urgeat, extendenda lex eſt ad caſum non comprehenſum: & ita lex quæ prohibet ſanguinis, ſeminis etiam effuſionem in Eccleſia, ne polluatur, prohibet. Quamvis tamen ſit eadem ratio, ſi non ſit adæquata omnino, non videtur extendenda lex: immo *exceptio a regula firmat regulam in contrarium*. Gloſſa *Lib. XV. ff. de legibus*. Verum vix aſſignari aliqua generalis regula poteſt. Exempla aliqua ſubiiciam, in quibus eadem adæquata ratio prorſus viget. Lex quæ eximit virum a reddendo debito uxori adulteræ, liberat quoque uxorem ab hoc onere reſpectu mariti adulteri. Similiter, ſi ſponſus ob abſentiam ſponſæ liberatur a ſponſalium vinculo, ſponſa quoque ob eamdem ſponſi abſentiam libera a ſponſalibus eſt. Et communiter in correlativis extenſio ad caſum non comprehenſum ob rationis adæquatam identitatem locum habere ſolet. Hoc idem evenit in iis quæ, ut dicunt, æquiparantur; ut ſunt electio, poſtulatio præſentatio, poſſeſſio. Lex quæ diſponit de electione, diſponit de poſtulatione in iis in quibus æquiparantur. Ad ea quoque quæ connexa ſunt, vel quorum unum continetur ſub altero, lex extenditur. Quare lex quæ condendi teſtamenti facultatem concedit, ad codicillum faciendum extenditur: & cui facultas codicilli faciendi denegatur, facultas etiam teſtamenti inſtituendi ſuſpenditur.

XI. Quæſt. IV. *Quando legislator decidit aliquem caſum, extenditur ne deciſio ad alium ſimilem caſum?* R. Quando Pontifices, Principeſque decidunt aliquem caſum, ſeu

ſeu controverſiam, ad omnes alios caſus in quibus eadem ratio viget, deciſio extenditur. Quamobrem Pontificibus damnantibus propoſitiones aliquas, ad alias omnes opiniones quæ ſunt eiuſdem omnino rationis, proſcriptio extenditur. Leges enim non ſunt de ſingularibus, nec caſus deciſus limitat illas; ſed loco exempli ſe habet. Heinc colliges, librum aliquem prohibitum una lingua, puta Latina, prohibitum quoque eſſe in quacumque alia lingua, & potiſſimum vernacula, quando nullum omnino diſcrimen eſt præter ſolam linguæ diverſitatem. Nec aliquem ratione præditum hanc veritatem inficiari poſſe iudico. Quid? Prohibita ne propoſitio aliqua hæretica, aut erronea lingua Latina erit, ſecus pronuntiata lingua Gallica, quando eadem prorſus eſt per identitatem, excepta idiomatis diverſitate? Tot libri Angli, Hebraici, alteriuſve idiomatis prohibentur latine verſi. Numquid prohibiti non ſunt in lingua vernacula, unde translati fuere? Opponunt, dialogos P. *Daniele* vetitos fuiſſe lingua Latina ann. 1693. Deinde prohibitos fuiſſe lingua Italica. Ergo ipſa ſacra Congregatio prohibitos non intellexit in aliena lingua a Latina: alioquin ſuperflua fuiſſet nova prohibitio. Vana, & nimium craſſa oppoſitio. Exploratum ne erat ſacræ Congregationi factum verſionis omnino per identitatem eiuſdem cum Latina, vel Gallica? An non potuerunt corrigi in verſione Italica errores, & cetera alia ob quæ liber latine verſus vetitus fuit? Ut iſtius facti veritas conſtaret, ſub examen eumdem librum induxit. Eumdem per identitatem cum Latina verſione invenit, & continuo illum anathemate confixit. Ne multa. Hypotheſis identitatis utriuſque verſionis comperta non erat: idcirco novo examine præmiſſo, & identitate deprehenſa, prohibitionem iteravit. Niſi hæc doctrina conſiſteret, propoſitiones latine verſæ ex Hiſpanico, Italico, Gallico, Anglico idiomate, & a ſancta Sede damnatæ, in proprio idiomate damnatæ non forent: & propoſitio latine ſcripta damnata ut hæretica, italice pronuntiata talis non eſſet: quo nihil abſurdius dici poteſt. Nihil frequentius in ipſo foro civili, potiſſimum Veneto, occurrit quam ſimilis caſus deciſio. Et, niſi verum, & patens diſcrimen aſſignetur, deciſio primi caſus extenditur ad ſecundum. Quin licet lex ipſa non extendatur ad caſum verbis non comprehenſum; iudex tamen in definiendo caſu ſimili, reſpectu cuius non ſit lex peculiaris, tenetur legem ipſam ad ſimiles caſus extendere, & ad illius legis normam eoſdem definire. Immo apud ICtos loco axiomatis habetur, quod *caſus ſimilis expreſſo, non eſt omiſſus a lege*, & quod *caſus non expreſſus poteſt decidi per legem caſus expreſſi*.

XII. Lex pœnalis iuxta communem opinionem non extenditur ad caſus non comprehenſos, ob rationis ſimilitudinem, potiſſimum quantum ad pœnam. Pœnæ enim reſtringendæ, non ampliandæ ſunt; ut habetur in l. 42. ff. de pœnis. *Interpretatione legum pœnæ molliendæ potius quam exaſperandæ*. Item reg. 49. iur. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*. Quam doctrinam confirmat S. Thomas

1. 2. quæſt. xcvi. art. 6. *Unde Iuriſperitus dicit, quod nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur ut quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem.* Non modo quoad pœnam, ſed neque quantum ad præceptum, legem pœnalem extendi ad caſum non comprehenſum, docent communiter Auctores. Quoniam, inquiunt, quemadmodum legislator noluit extendere pœnam, ita neque præceptum. Verum id ex circumſtantiis colligendum videtur. Ceterum abſolute loquendo doctrina ſibi cohæret. Nam pœna infligitur ob legis tranſgreſſionem. Ergo ubi non eſt pœna, nec tranſgreſſio legis eſt.

XIII. Quæſt. V. *Quibus in caſibus licitum eſt uti epiikia, ſeu epikeia?* Reſp. S. Thomas de epikeia duos inſtituit articulos 2. 2. *quæſt.* cxx. ubi evincit virtutem eſſe, iuſtitiæque partem. Epikeia eſt correctio, & emendatio legis, & exceptio caſus particularis ob circumſtantias, quæ ſi legislatori notæ fuiſſent, illum caſum excepiſſet. *Quia* (inquit S. Thomas loc. cit. art. 1.) *humani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui quæ in nullo caſu deficeret; ſed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum hoc legem ferentes: quam tamen in aliquibus caſibus ſervare, eſt contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit.* In iis ergo caſibus locum epikeia habet in quibus ſi lex ſervetur peccatum committitur; ut ſi redderes depoſitum gladium illi qui in patriæ proditionem illum converteret: ſeu tunc epikeia locum habet, ut perdocte more ſuo Caietanus docet 2. 2. *quæſt.* cxx. *art.* 1. quando finis legis ceſſat contrarie; ideſt, quando legis obſervatio vitioſa evadit. P. Dominicus Viva *quæſt.* vi. *art.* 6. contendit, locum habere epikeiam etiam tum cum ceſſat finis legis negative in particulari, ſi obſervantia legis incommodum afferat: quia tunc ratione incommodi finis legis ceſſat contrarie. Auctor iſte hac ipſa *quæſt.* vi. *art.* 5. præcedenti non eſt auſus, ut capite ſuperiore vidimus, defendere aperte opinionem illam quæ propugnat, ceſſante fine legis in particulari negative, ceſſare legem reſpectu particularis perſonæ. Sed nunc aperte hanc propugnat opinionem. Si incommodum a legis obſervantia abſolute excuſaret, nulla lex obſervaretur; cum quælibet incommoda ſit humanitati.

XIV. Quæſt. VI. *Requiritur ne certitudo, an ſatis eſt probabilitas, ut uſus epikeiæ licitus ſit?* Reſp. P. Dominicus Viva *quæſt.* vi. *art.* 6. *num.* 4. reſpondet, non modo ſat eſſe probabilitatem, ſed etiam minorem probabilitatem. *Unde id verum eſt* (inquit) *non ſolum ſi ſubditus habeat formidinem de oppoſito; ſed etiam ſi detur ex altera parte probabilitas, immo maior probabilitas, quod legislator potuerit, & voluerit ad talem caſum obligare, ut docet Suarez Lib. VI. de legibus cap.* viii. *num.* 3.

XV.

XV. P. Viva pro hac ſua laxa opinione citat Doctorem eximium *P.Suarezium*, quem, invitis ſuperis, in Probabiliſmum pertrahere Probabiliſtæ adnituntur. Forte P. Viva legit Suarezium apud Dianam. Nam Doctor eximius conceptis verbis oppoſitum docet *cit. Lib. VI. de legibus cap.* VIII. *num.* 3. *& ſeq.* Ubi refert ſententiam Caietani, & Soti, qui utique docent, ex iudicio probabili licitum eſſe uti epikeia, quando neceſſitas urgeat, & non pateat recurſus ad ſuperiorem conſulendum. Hæc ſunt verba Doctoris eximii *ibidem num.* 4. „ Hanc vero aſſertio„ nem limitant Caietanus, & Soto ſupra, ut locum habeat, quando occaſio eſt „ ſubita, & urgens periculum, ita ut non detur tempus conſulendi ſuperiorem : „ alioquin dicunt, in illo caſu recurrendum eſſe ad ſuperiorem; & ita exponunt „ D. Thomam, utentem illa diſtinctione, quia non poteſt in alio dubio verifica„ ri, ut ſtatim dicemus. Hæc vero doctrina *aliquibus modernis* non placet, ne„ que putant diſtinctionem illam divi Thomæ de caſu in quo poteſt, vel non „ poteſt conveniri ſuperior, poſſe applicari ad caſum formidoloſum, cum iudicio „ probabili.“ Et, relatis duobus modis adhibendi epikeiam quos moderni excogitarunt, *num. 6.* reſumit doctrinam Caietani, & Soti, inquiens. „ Nihilominus ſen„ tentiam Caietani, & Soti cenſeo eſſe practice certam quoad hanc partem, ut, „ quando non poteſt conveniri ſuperior, liceat ex probabili ſententia, aut iu„ dicio epiikia uti, ſive caſus excipi iudicetur a poteſtate legislatoris, ſive a ſola „ voluntate. Ratio eſt, quia iudicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad „ prudenter operandum, præſertim ubi regula certa applicari non poſſit; ut ex „ materia de conſcientia ſuppono. Item, quia alius modus operandi eſt ultra hu„ manam conditionem, & prudentiam; cum omnis fere cognitio humana coniec„ turalis ſit, & præſertim in rebus agendis. Item, quia imponeretur graviſſimum „ onus hominibus, ſi numquam liceret eis uti epiikia ex iudicio probabili, *quando* „ *non patet aditus ad ſuperiorem.* Quis enim auderet umquam excuſari a lege po„ ſitiva propter neceſſitatem occurrentem; *cum nemo ſit tam certus de ſufficientia* „ *cauſæ, quin dubitet, vel formidet?*“

XVI. Evidens itaque eſt Doctorem eximium de illa probabilitate ſermonem habere cuius uſum in moralibus actionibus omnes fatemur licitum. Quænam probabilitas hæc? Quæ caret certitudine evidenti, quam vix in moralibus habere communiter poſſumus. In toto hoc capite nec verbum habet P. Suarez de *minori* probabilitate in conſpectu *maioris*. Hic dumtaxat docet, non eſſe neceſſariam cognitionem evidentem, cum hæc haberi communiter nequeat; ſed ſatis eſſe probabilem, qua maior haberi communiter nequit. Quæ cum ita ſint, quo fundamento auſus eſt P. Dominicus Viva in præſidium laxæ ſuæ opinionis Doctoris eximii patrocinium allegare? Et audent nihilominus Probabiliſtæ malam fidem nobis exprobrare in exponendis caſuiſticis laxitatibus? Hinc colligere fas eſt quo obſe-

quio ſuſpiciam eximios inclitæ S. I. Theologos, quos æque ac domeſticos ab impoſturis aſſero, occaſione data, dum veritatis defenſio id poſtulat.

XVII. Verum enimvero, ut evidentius colligant lectores, non eſſe Caſuiſtis multis fidendum, dum Auctores allegant in patrocinium ſuarum opinionum, operæ pretium eſt palam facere, quam longe diſtet Doctor eximius a laxa doctrina P. Viva. Non modo P. Suarez non docet, licitum eſſe uti epiikia ex iudicio probabili in conſpectu maioris probabilitatis; verum etiam addit, non poſſe quempiam ex probabilitate abſoluta uti epiikia, quando recurſus patet ad ſuperiorem. Sic enim pergit *ibi num.* 8. „ Maior mihi difficultas eſt circa aliam partem opi„ nionis Caietani, quod, ſtante iudicio probabili, non liceat illo uti ſine inter„ pretatione, vel conſenſu ſuperioris, quando non eſt periculum in mora, ſed „ conveniri poteſt. " Et poſt expoſitas rationes dubitandi continuo *num.* 9. his verbis concludit. „ Nhilominus in hoc etiam non eſt recedendum a *communi ſen„ tentia, quæ videtur uſu omnium piorum, & prudentum confirmata*. Et ad hoc „ ſuadendum valere poſſunt rationes factæ in ſecundo membro præcedentis ſen„ tentiæ. (Quæ excludit uſum opinionis probabilis in caſu noſtro.) Et præterea, „ quia inordinatum eſt uti coniecturis, & propter illas ſolas relinquere verba le„ gis, ubi poteſt certo conſtare de mente, & voluntate legislatoris. Et ideo in „ omni epiikia ſolum probabili debet hic ordo ſervari. Et quamvis ordinarie ma„ gis neceſſarius ſit in epiikia quæ eſt de ſola voluntate legislatoris, quam in „ illa quæ circa poteſtatem verſatur; nihilominus in utraque ſervandus eſt iuxta „ materiæ neceſſitatem, vel probabilitatis gradum: quia, ut dixi, ſemper ibi „ miſcetur coniectura de voluntate legislatoris. Neque contra obſtat illa ratio, „ quod iudicium non redditur certius ex hoc quod ſit, vel non ſit recurſus ad „ ſuperiorem. Hoc enim eſt verum de certitudine ſpeculativa, non vero de cer„ titudine practica. Nam, cum poteſt conſuli ſuperior, ceſſat neceſſitas utendi „ iudicio probabili de voluntate eius: quod ſecus eſt, quando eſt periculum in „ mora. *Et ideo tunc poteſt illud iudicium probabile ad praxim applicari ex princi„ piis certis, quod in neceſſitate uti poſſumus iudicio probabili ad evitandum aliquod „ gravamen, vel ad convenientem obſervationem legum*.

XVIII. Docet Doctor eximius iudicii probabilis uſum licitum eſſe, neceſſitate urgente. Docet licitum eſſe uſum talis iudicii, quando certitudo evidens haberi non poſſit. Numquam in toto hoc capite vel remote indicat, licitum eſſe uſum minoris probabilitatis in conſpectu maioris; ut falſo, & per ſummam iniuriam eum laudat P. Viva, qui, poſtquam pro laxa ſua doctrina citavit P. Suarez, meminit poſtea doctrinæ quam modo reſcripſi, &, ut ſolent Probabiliſtæ, manifeſtis antilogiis ſemetipſum conficit. Hæc pauca, data occaſione, dixi, ut vindicarem P. Suarez, quem ob doctrinam, & pietatem magni facio, a nota *Probabi-*

bilifmi, a quo cum P. Camargo aſſero fuiſſe alienum. Ceterum, ſi adverſari *Probabiliſtam* illum velint, cum illis ob hanc controverſiam contentionis funem non ducam.

XIX. Sed, ut magis pateat benignitas doctrinæ P. Viva, audi practicum caſum quem proponit ibidem. „ Quare, ſi *aliqui Doctores*, facientes opinionem pro- „ babilem, dicant nolle legiſlatorem obligare ad Miſſam audiendam cum tali in- „ commodo, verbi gratia, quod a te conficiatur pedibus iter trium milliariorum „ ad illam reperiendam, & *plures alii Doctores ſuſtineant oppoſitum*, poteris licite „ Miſſam non audire, quamvis poſſis illam ex ſupererogatione audire." Quis, amabo te, non mirabitur, conſpiciens tam benignam Chriſtianis proponi opinionem? Ut opinio ſit probabilis, ſat eſt ut *aliqui Doctores* eam doceant. Qui ſunt hi Doctores? Aliqui *Caſuiſtæ*. Et iſti *aliqui* efficiunt opinionem probabilem; etiamſi *plures Doctores* oppoſitum doceant. Si aliqui ergo Caſuiſtæ doceant, te non teneri audire Miſſam die dominico, ſi iter trium milliariorum pedibus conficiendum ſit; liber ab audiendo Sacro es, licet *plures Doctores* oppoſitum doceant, & quamquam ex *ſupererogatione* poſſis Miſſam audire? Potes illam audire ex ſupererogatione; & non teneris, ut impleas divinum & eccleſiaſticum præceptum? Una hora conficitur iter trium milliariorum. Unius horæ labor in die feſto levis materia eſt iuxta Caſuiſtas; immo iuxta plures Probabiliſtas duabus horis poteris laborare die feſto, quin graviter violes præceptum: quia levis materia eſt. Labor vero itineris unius horæ adeo gravis eſt, adeo incommodus, ut te ab obſervatione præcepti audiendi Sacri eximat? Hæc ſunt diverſa pondera *Probabiliſmi*], quibus humanitati contra legem conſulitur. Et in tantæ laxitatis patrocinium laudatur auctoritas Doctoris eximii P. Suarez, qui contra doctrinam laxam, pro qua laudatur a P. Viva, ſcribit. *Quarto dicendum eſt de caſu in quo iudicari non poteſt probabiliter, an caſus comprehendatur ſub legis obligatione nec ne. In quo ſententia communis eſt, recurrendum eſſe ad ſuperiorem, ſi fieri poſſit; VEL SI NON POSSIT, SERVANDAM ESSE LEGEM. Ita D. Thomas quæſt.* cxx. *art.* 1. *ad* 3. *dicto art.*6. *ad* 2. *Idem Conrad. Caiet. Medin. & Soto ſupra. Medin. codic. de pœnit. tract. de ieiun. cap. de his qui tenentur ad ieiun. QUAE SENTENTIA PER SE EVIDENS EST in caſu patiente moram, ut conſulatur Princeps. Nam, ſi in caſu tantum formidoloſo & PROBABILI, multo magis in caſu dubio.* Hæc P. Suarez, quæ convellunt non modo opinionem nimium laxam P. Viva, verum etiam ipſa Probabiliſmi principia. Non vacat expendere alium locum citatum a P. Viva.

XX. Miſſis itaque caſuiſticis commentis, communis ſententia ab omnibus amplectenda eſt, quam propugnat S. Thomas pluribus in locis, & præſertim 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 4. ſic inquiens. *Si cauſa ſit evidens, per ſeipſum licite poteſt homo ſtatuti obſervantiam præterire, præſertim conſuetudine interveniente; vel ſi non poſ-*

ſe
t

ſet de facili recurſus ad ſuperiorem haberi . Si vero cauſa ſit dubia , debet aliquis ad ſuperiorem recurrere , qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi . Hanc eamdem doctrinam confirmat ibi quæſt. cxx. art. 1. ad 3. *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet abſque determinatione Principis a verbis legis recedere ; ſed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione.*

XXI. Sed Probabiliſtis noſtris ad eludendam communem doctrinam per ſe evidentem ſat eſt *aliquos Doctores* Caſuiſtas docere contra ceteros Doctores, te eſſe a lege liberum. Auctoritas hæc aliquorum auſert omnem dubitationem ; tametſi intellectus non modo ſuſpenſus dubitando hæreat, verum etiam rationum, & auctoritatum pondere plurium Doctorum in adverſam partem feratur. Quoniam aliqui tales Doctores te admonent ut excutias hoc maius rationum pondus, illiſque adhæreas, vi cuiuſdam arcanæ reflexionis quam ipſi excogitarunt. Iſtam vitilitigandi artem fuſius alibi profligavimus.

C A P U T IV.

De æquo, & bono.

I. AD maiorem S. Thomæ doctrinæ de epiikia illuſtrationem pauca adiicere lubet. Nihil frequentius in ore homines habent quam *æquum*, & *bonum* ; liteſque tranſigendas componendaſque *de æquo, & bono* aiunt. Epiikia, quam ſupra angelica doctrina interpretatus ſum, æquitatem, & bonitatem complectitur. Et quoniam non omnes, quid hæc duo *æquum*, & *bonum* ſignificent, perſpectum habent, idcirco paucis eadem exponam.

II. Non pauci æquum, & bonum in hominum arbitrio collocant : quod uno in ſenſu verum habet. Nam vir bonus, & æquus ab æquitate appellatur, eſtque probus, comis, ſuavis, humanus. Ideo iudicio boni & æqui viri dicitur componendas lites eſſe, quatenus vir bonus & æquus non ex arbitrio, ſed ad iuſtitiæ normam, quam præ ceteris compertam habere virum bonum & æquum præſumitur, quid cuique tribuendum ſit, decernit. Probitas quippe, animi candor, morumque integritas, ut Ariſtoteles ipſe docet, ad æquitatis, & iuſtitiæ notitiam aſſequendam plurimum conferunt.

III. AEquitatem pro ipſa iuſtitia, ſeu iure accipit ICTUS *ff. de iuſtit. & iur. l.* 1. ubi inquit. *Ius eſt ars boni & æqui , cuius merito quis nos Sacerdotes appellet*. Quod dictum hoc pacto exponit S. Auguſtinus *Lib. de quant. Anim. cap.* IX. inquiens. *Nihil, ut arbitror, dicimus eſſe iuſtitiam, niſi æquitatem : æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata. Cum vero lex addit,* Cuius merito quis nos Sacerdotes appellet, *nimirum oſtendit , ſacerdotali tribunali , atque iudicio non*

iuris

iuris ſeveritatem , ac ſubtilitatem , ſed æquitatem , legiſque clementiam præeſſe debere : quandoquidem Deus Opt. Max. cuius perſonam ſuſtinent Sacerdotes , ad æquitatis normam iudicia , & ſententias dirigit ſuas . Sunt enim illa in divinis voluminibus percelebrata. Virga *enim* æquitatis, virga regni eius, *ad Hebr.* 1. & *Pſal.* xliv. *ex editione* lxx. & *Pſalm.* x. AEquitatem vidit vultus eius : & *Pſalm.* xvi. Oculi tui videant æquitatem : & *Pſalm.* cxviii. AEquitas teſtimonia tua : & Omnia mandata tua æquitas : & *Prov. cap.* viii. Meum eſt conſilium, & æquitas. *Ita ipſum ius primum divinum cenſenda eſt æquitas.*

IV. Sapientiores omnes iuris interpretes hanc æquitatem animam legis appellant. Ariſtoteles *Lib. V. ad Nicomachum cap.* x. inquit : *Hæc eſt ipſius æqui, & boni natura, ut legis emendatio ſit hactenus , ubi propter generalem ſermonem deficit.* Et paullo ante. *AEquum , iuſtum quidem eſt , non quod lege conſtat , ſed tamen illius quod lege conſtitutum eſt, emendatio .* Vir bonus & æquus eſt veluti alter legislator, & moderator legis, cuius rigorem minuit, temperat, & quæ generali ſermone complecti non potuit legislator, decernit, definitque, ut bonus prudenſque arbiter . Cum enim omnis lex, ut perſcienter advertit S. Thomas *loc. cit.* cap. ſuper. generalis ſit, & univerſe loquatur, fieri nequit ut omnes caſus temporum, locorum, & perſonarum comprehendat. Ea itaque quæ legislator prudenter omiſit, vir bonus & æquus corrigit, emendat, adiicit . Quæ omnia præſtaret legislator, ſi adeſſet. Infinita prope ſunt hominum officia , quæ includi una lege nequeunt. Idcirco decreto æqui bonique viri definiri debent.

V. Acute ait Ariſtoteles *Lib. III. Polit. cap.* 1. legem eſſe mentem ſine appetitu, quo prodit, ſolam rationem in condenda lege habere locum , appetitionibus omnibus excluſis . Vir æquus & bonus ipſo legislatore præſtantior ſit oportet , cum eiuſdem legem accommodare actionibus humanis debeat, & pro circumſtantiarum varietate temperare, extendere, aut coercere . Quæ omnia exquiſitum iudicium , conſummatam prudentiam , acumen , & mentis penetrationem , animi candorem, morum integritatem, iuſtitiæ amorem poſtulant . Quot ſunt iſti æqui bonique viri, his dotibus ornati ? Pauciſſimi. Et tamen videas ipſos de trivio homines legis interpretandæ , amplificandæ , coercendæ, & minuendæ ius ſibi uſurpare. Superiores omnes hac æquitate, & bonitate eſſe præditi deberent , ut legem applicare occurrentibus eventis ſcirent . Verum plerumque , quo ſunt indoctiores , imperitioreſque , eo audacius ſe legis interpretes iactant, & ſub larva æqui, & boni legem peſſumdant . Alii legis cortici , non ſecus ac Iudæi , plus æquo hærentes , obſtinate , perfracteque pro ingenio tetroque humore legem duram, ferream, & a circumſtantiis ſeiunctam conſiderant . Et ad huius legis abſtractæ normam , contra legis ſpiritum , & legumlatorum mentem , ſubditorum conformare mores adnituntur . Exquiſita prudentia opus eſt (qua profecto retu-

ſi

ſi ingenii homines deſtituti ſunt) ut pro æquo, & bono legis obſervatio promoveri queat.

VI. Paulus Comitolus, Antiprobabiliſta egregius, *I. Part. cap.* x. præter plura alia nonnulla effata M. Tullii ex oratione pro *Aulo Cecinna* collegit ad æquitatem illuſtrandam, quæque huc tranſcribere pretium operæ exiſtimavi. Sunt autem eiuſmodi. *Ex æquo & bono, non ex callido verſutoque iure rem iudicari oportet. Scriptum ſequi calumniatoris eſt: boni iudicis, voluntatem ſcriptoris, auctoritatemque defendere.* Secunda ſententia. *Si voluntas, tacitis nobis, intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur: quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.* Tertia ſententia par ſecundæ. *Non ex verbis totum pendet ius; ſed verba ſerviunt hominum conſiliis, & auctoritatibus.* Quarta ſententia. *Imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus ut ad verba nobis obediant, non ad id quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent.* Quinta ſententia, *Non quibus verbis, quidque dicatur, quæritur; ſed quæ res agatur.* Sexta. *Cauſſæ ratione, non verbis ponderantur.* Septima. *Fieri non poteſt ut aliud iudicari de iure, aliud reſponderi oporteat.*

VII. Præfatas Ciceronianas ſententias duobus articulis S. Thomas *cit. quæſt.* cxx. 2. 2. comprehendit. In priore quippe articulo, ut advertit etiam laudatus Comitolus, docet id amplectendum eſſe quod, prætermiſſis legis verbis, iuſtitiæ ratio poſcit, & communis utilitas. Conſentaneum quippe eſt ut legis verba negligantur, quoties æquitatis, & boni communis iactura imminet; cum legis ſpiritus bonum commune ſpectet. Heinc in altero articulo ſubdit, iuſtitiæ nomen primum æquitati, poſt iuſtitiæ legali convenire. *Nam iuſtitia legalis dirigitur ſecundum epiiciam: unde eſt quaſi ſuperior regula humanorum actuum.* Similia ſcribit in IV. diſt. xv. quæſt. III. art. I. quæſtiunc. 4. *Ad tertium dicendum, quod præcepta iuris poſitivi magis obligant ex intentione legislatoris quam ex ipſis verbis: & ideo tranſgreſſor talis præcepti magis eſt reputandus qui obviat intentioni legislatoris, quam qui deviat in aliquo a legis ordinatione. Intentioni autem legislatoris obviat qui vel ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat. In quo autem probabiliter credi poteſt, ſi legislator adeſſet, eum obligare non velle; talis non eſt reputandus præcepti tranſgreſſor.*

VIII. Sed, ut altius menti infixa ſit Aquinatis doctrina, lubet eiuſdem pauca effata auro cedroque digna ob oculos ponere. Primum habetur 2. 2. quæſt. cxx. art. I. *Non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui quæ in nullo caſu deficeret.* Secundum ibi ad I. *Sequi verba legis, in quibus non oportet, vitioſum eſt.* Primum confirmat I. 2. *quæſt.* xcvI. *art.* 6. ubi allegat auctoritatem Hilarii ex Lib. IV. de Trinit. *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei debet eſſe ſermo ſubiectus.* Quæ verba ſic illuſtrat. *Magis eſt* at-

attendendum ad cauſam quæ movit legislatorem, quam ad ipſa verba legis. Secundum effatum : *Omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem , & in tantum obtinet vim, & rationem legis ; ſecundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet . Unde Iuriſperitus dicit, quod nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur ut quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem*. Tertium effatum in reſp. ad 3. argum. eiuſdem articuli . *Nullius hominis ſapientia tanta eſt , ut poſſit omnes ſingulares caſus excipere : & ideo non poteſt ſufficienter per verba ſua exprimere quæ conveniunt ad finem intentum*. Quartum effatum in ead. reſp. *Si poſſet legislator omnes caſus conſiderare , non oporteret ut omnes exprimeret propter confuſionem vitandam; ſed legem ferre deberet ſecundum ea quæ in pluribus accidunt*.

IX. Quæ hactenus tranſcripſi, hac brevi ſententia comprehendit idem S. Doctor 1. 2. *quæſt.* xcv. *art.* 2. ubi inquit. *Unde omnis lex humanitus poſita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturali derivatur. Si vero a lege naturali diſcordet, iam non erit lex, ſed legis corruptio*. Heinc collige , iuris naturalis ſcientia præditum eſſe debere illum qui interpretandarum legum munus graviſſimum aſſumit. S. Antoninus *IV. Part. tit.* v. *cap.* xix. fuſe de æquitate ſcribit . Pauca hic delibo . *Septima regula eſt pro ſcrupulorum depoſitione , præceptorum diſcreta epiicizatio , ideſt interpretatio , vel declaratio : æquitas enim quam Philoſophus nominat epiiciam , præponderat iuris rigori , ſecundum Iuriſperitos . Eſt autem æquitas iuſtitia , penſatis omnibus circumſtantiis particularibus , dulcore miſericordiæ temperata . . . . Unde Philoſophus V. Ethic. dicit , quod epiicia interpretativa legum eſt melius quam iuſtitia legalis . Et ſecundum hanc virtutem epiiciæ poſſumus præcepta Dei , Eccleſiæ , Prælatorum, ſeu iudicum benigne interpretari ; & in foro quidem contentioſo eius eſt interpretari cuius eſt condere , vel ſententiare ; ſed in foro conſcientiæ circa præcepta & humana, & divina dico, quod pertinet ad quemlibet pro facto ſuo, ſi tamen rationabiliter interpretetur*.

X. Paulus Comitolus plures æquitatis regulas tum ex iure pontificio, tum ex iure civili, atque ex ipſo M. Tullio collegit . Lectorum utilitati conſulens ex eodem huc illas tranſcribo.

ſ. I.

§. I.

AEquitatis regulæ e iure canonico hauſtæ.

SEquentium regularum princeps, unde omnes proficiſcuntur, hæc eſt, quam Chriſtus Dominus *Luc. cap.* VI. ſtatuit: *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*. Quæ ſequuntur, ex iure pontificio collectæ ſunt.

1. Quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debet uti eo. *cap.* Cognoſcentes *de conſtitutionib.*

2. Patere legem quam tu ipſe tuleris. *ex eod. cap. & tit.*

3. Conſtitutio apoſtolicæ Sedis omnes adſtringit; & nihil debet vel ambiguum, vel obſcurum continere. *cap.* Quoniam *de conſtit.*

4. Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. *cap.* Cognoſcentes *eod. tit.*

5. Laicis ſuper Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis nulla eſt attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi. *cap.* Eccleſia S. Mariæ *de conſtitut.*

6. In reſcripto apoſtolico, ut valeat, intelligitur hæc clauſula, Si preces veritate nitantur; quamvis non apponatur. *cap.* Ex parte *de reſcriptis.*

7. Papa patienter ſuſtinet, ſi non fiat quod prava fuerit ei inſinuatione ſuggeſtum. *cap.* Si quando *eod. tit.*

8. Exprimens falſum, vel tacens veritatem per fraudem, ex reſcripto pontificio nullum conſequitur emolumentum. *cap.* Super litteris *de reſcr.*

9. Conſuetudo quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti. *cap.* Ad noſtrum *de conſuetudine.*

10. Iuri naturali quacumque conſuetudine aliquatenus derogari non poteſt. *cap.* Cum tanto *eod. tit.*

11. Romanus Pontifex iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere. *cap.* 1. *de conſtitutionib. Lib. VI.*

12. Propter officium eccleſiaſticum beneficium datur. *cap. ultimo de reſcriptis Lib. VI.*

13. Quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. *de regulis iuris cap.* II.

14. Utilius ſcandalum naſci permittitur quam ut veritas relinquatur. *cap.* III. *eod. tit.*

15. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. *cap.* IV. *eod. tit.*

16.

16. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere. *cap.* v. *de regul. iuris.*

17. Cum ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori. *de regulis iuris in* VI. *regula* 10. *ſumpta ex ff. eod. tit. l.* Favorabiliores.

18. Cum quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſſam cenſetur habere. *ex reg. iur. Lib. VI. reg.* 14.

19. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. *reg.* 15. *eod. Lib.*

20. Non debet aliquis alterius odio prægravari. *regul.* 22.

21. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum. *reg.* 33. *ex lege,* Nemo poteſt mutare, *ff. de regul. iur.*

22. Utile non debet per inutile vitiari. *reg.* 37.

23. Ex eo non debet quis fructum conſequi quod niſus extitit impugnare. *regul.* 38.

24. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo. *reg.* 39.

25. Imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non facit quod per eum fuerat faciendum. *reg.* 44.

26. Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit. *reg.* 45.

27. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura. *reg.* 48. *ſumpta ex ff. eod. tit. l. Iure naturæ.* Verum in lege civili legitur coniuncte, *Detrimento & iactura*: niſi dicamus, *&* uſurpatum eſſe pro *vel.*

28. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. *reg.* 49.

29. Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. *regul.* 51.

30. Cui licet quod eſt plus, licet utique quod minus. *reg.* 53. *ex lege ead. tit.* Non debet.

31. Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. *reg.* 54. *ex l.* Quoties utriuſque, *ff. eod. tit.*

32. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra. *reg.* 55. *ex lege* Secundum naturam *ff. eod. tit.*

33. Non eſt obligatorium quod contra bonos mores eſt præſtitum iuramentum, *reg.* 58.

34. Non eſt in mora qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. *reg.* 60. *ex lege* Nulla intelligitur *ff. eod. tit.*

35. Nullus ex conſilio, niſi fraudulentum non ſit, obligatur. *reg.* 62. *ex l.* Conſilii *ff. eod. tit.*

36. Quæ contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi. *reg.* 64. *ex l.* Non dubium *c. de legibus.*

37.

37. In pari delicto, vel cauſſa potior eſt conditio poſſidentis. *reg. 65. ex l.* Cum par delictum, *ff. de reg. iur.*

38. Poteſt quis per alium quod poteſt facere per ſeipſum. *reg. 72. ex l.* Quod iuſſu alterius *ff. eod. tit.*

39. Factum legitime retractari non debet. *reg. 73. ex lege*, In ambiguis, *§. 1. ff. eod. tit.*

40. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *reg. 74.*

41. Fruſtra ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat. *reg. 75.*

42. In malis promiſſis fidem non expedit obſervari. *reg. 75.*

43. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. *reg. 76.*

44. Rationi congruit ut ſuccedat in onere qui ſubſtituitur in honore. *reg. 77.*

45. In argumentum trahi nequeunt quæ propter neceſſitatem aliquando conceſſa ſunt. *reg. 78.*

46. Nemo poteſt plus iuris transferre in alium quam ſibi competere dignoſcatur. *reg. 79.*

47. Qui contra iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. *reg. 82.*

48. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *regul. 84.*

49. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur. *reg. 85. ex l.* Contractus, *ff. eod. tit.*

50. Damnum quod quis ſuæ culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. *reg. 86. ex l.* Quod quis *ff. eod. tit.*

51. Certum eſt quod is committit in legem qui legis verba complectens, contra legis ſua culpa nititur voluntatem. *reg. 88. ex lege* Non dubium *cod. de legibus.*

52. Fruſtra legis auxilium invocat qui committit in legem. *cap.* Quia fruſtra *de uſuris, & c. ult. de immunit. Eccleſ.*

53. Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum revocari. *ex cap.* Abbas *de iis quæ vi metuſve, & ex l. 1. ff. eod. tit.* in qua lege eſt his verbis: *Quod metu factum eſt, ratum non habebo, dicit Prætor.*

§. II.

§. II.

Regulæ e iure civili ſelectæ.

1. IN omnibus quidem, maxime tamen in iure, æquitas ſpectanda eſt. *ff. de reg. iur. reg. 91.*

2. Qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet: *ff. de legibus l.* 11. 12. *&* 26.

3. In iis quæ contra rationem iuris conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam iuris. *l.* 14. *eod. tit.*

4. Scire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim, ac poteſtatem habere. *l.* 16. *eod. tit.*

5. Benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur. *l.* 17. *eod. tit.*

6. In ambigua voce legis ea potius accipienda eſt ſignificatio quæ vitio caret; præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit. *l.* 18. *eod. tit.*

7. Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat. *l.* 21.

8. Incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua eius particula propoſita, iudicare, vel reſpondere. *l.* 23. *eod. tit.*

9. Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra commodum ipſorum perducamus ad ſeveritatem. *l.* 24. *eod. tit.*

10. Contra legem facit qui id facit quod lex prohibet; in fraudem vero legis facit, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam eius circumvenit. *l.* 24. *eod. tit.* eſt Pauli Iuriſconſultiſſimi.

11. Fraus legi fit, ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem non vetuit: & quod diſtat verbum ab intellectu, hoc diſtat fraus ab eo quod contra legem fit. *l.* 29. *eod. tit.*

12. Rectiſſime illud receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium abrogentur. *l.* 31. *eod. tit.*

13. Optima legum interpres conſuetudo. *l.* 36. *eod. tit.*

14. In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudo, aut rerum perpetuo ſimiliter iudicatarum auctoritas vim legis obtinere debet. *l.* 37. *eod. tit.*

15. Beneficium Imperatoris, quod ab eius indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſime interpretari debemus. *l. ult. ff. de conſt. principum.*

16. Actionem ex improbitate ſua nemo conſequitur. *ff. de furtis, l.* Itaque fullo.

17. Si, ut maleficium fiat, promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex hac conventione. *ff. de pactis. l.* iurisgentium *§.* Si ut maleficium.

18. Quoties pactum a iure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet. *in ead. l. §.* Si paciſcar.

19. Si ſtipulatio ſit interpoſita de his pro quibus paciſci non licet, ſervanda non eſt, ſed omnino reſcindenda. *in ead. l. & eod. §.*

20. Pacta quæ turpem cauſſam continent, non ſunt obſervanda. *l.* Si unus, *§.* Pacta, *ff. de pactis.*

21. Illud nulla pactione effici poteſt, ne dolus præſtetur. *ff. de pactis. l.* Si unus. *§.* Illud. *& l.* 1. *§.* Illud *ff.* Depoſiti.

22. Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt. *De iuriſdictione omnium iudicum l.* 2.

23. Quid enim tam contrarium eſt conſenſui, quam error qui imperitiam detegit? *ff. eod. tit. l.* Si per errorem: & *in l.* Ad probationem *c. de loc. & cond.* dicitur, inſcientiam errantis non habere conſenſum. & in *l.* Cum teſtamentum *c. de iuris & facti ignorantia*, dicitur, errantis nullam eſſe voluntatem: & *in l.* Non idcirco *eod. tit.* habetur, errantis nullam eſſe voluntatem.

24. Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit. *ff. de adimendis legatis & fideicom. l.* Rem legatam.

25. Non donat qui neceſſariis oneribus ſuccurrit. *ff. de donationibus inter virum & uxorem l.* Si quis pro uxore.

26. Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. *cap. de legibus & conſtitutionibus Principum. l.* 4.

27. De auctoritate iuris noſtra pendet auctoritas. *in ead. l.* & revera maior imperio eſt, ſubmittere legibus principatum. *in ead. l.*

28. Non quidquid iudicis poteſtati permittitur, id ſubiicitur iuris neceſſitati. *l.* Omnem *ff. de iudiciis.*

29. Si delictum non ex animo, ſed extra venit, noxia non committitur, *cap.* Si adverſus delictum, *l.* 1.

30. Id demum quod maior pars omnium iudicavit, ratum eſt, cum & omnes iudicaſſe palam eſt.

31. Si ex tribus arbitris unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnet, quinque præſtari debent: quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt. *ex l.* Diem proferre *§.* Si plures arbitrii *ff. de arbitris.* Eadem ſententia repetitur in *l.* Inter pares *ff. de re iudicata:* ubi ſic: *Si diverſis ſummis condemnent iudices, minimam ſummam ſpectandam eſſe Iulianus ſcribit.*

32. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius eſt quam tutius. *ff. de regulis iuris*, *l.* Ea quæ, *reg.* 153.

33. Om-

Digitized by Google

33. Omnia quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera & certa ſcientia perfici poſſunt. *ff. eod. reg.* 77.

34. Non debeo melioris conditionis eſſe quam auctor meus, a quo in me ius tranſit. *ff. eod. l.* In omnibus officiis.

35. Is natura debet quem iure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus. *ff. eod. l.* Cum amplius.

36. Nemo ex ſuo delicto conditionem meliorem facere poteſt. *ff. eod. reg.* 177.

37. Nemo damnum facit, niſi qui id facit quod facere ius non habet. *ff. eod. l.* Nemo damnum, *reg.* 195.

38. Non videtur vim facere qui iure ſuo utitur. *ff. eod. reg.* 198.

39. In pari cauſſa poſſeſſor potior haberi debet. *ff. eod. reg.* 171.

40. Bona fides tantum poſſidendi præſtat, quantum veritas; quoties lex impedimento non eſt. *ff. eod. l.* Bona fides *reg.* 177.

41. Minus eſt actionem habere quam rem. *ff. eod.* Minus, *reg.* 204.

42. Cum de lucro quæritur, melior eſt conditio poſſidentis. *ff. de regul. iur. reg.* 169.

43. AEquiſſimum viſum eſt, creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam ageret. *ff. de ſolutionibus. l.* 1.

44. Libertas omnibus rebus favorabilior eſt. *ff. de regulis iuris. l.* Libertas, *reg.* 165.

45. Infinita eſt æſtimatio libertatis, & neceſſitudinis. *reg.* 137. *ff. eod.*

46. Servitutem mortalitati comparamus. *ff. eod.* Servitutem, *reg.* 209.

47. Etſi nihil facile mutandum eſt ex ſolemnibus, tamen ubi æquitas expoſcit, ſubveniendum eſt. *ff. eod.* Et ſi nihil.

48. Omnis definitio in iure civili periculoſa eſt: parum eſt enim, ut ſubverti poſſit. *ff. eod.* Omnis definitio, *reg.* 202.

§. III.

Sententiæ ex diverſis Marci Tullii libris collectæ.

1. LEX eſt ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. *I. de legibus,*

2. Lex eſt recta ratio imperandi, & prohibendi. *in eod. Lib.*

3. Legem bonam a mala nulla alia re, niſi naturali norma, dividere poſſumus. *in eod. Lib. I. de legib.*

4. Honeſta, & turpia, natura, non opinione iudicanda ſunt. *in eod. Lib.*

5. Ipſum bonum non eſt in opinione, ſed in natura. *ibid.*

6. Omnes viri boni ipſam æquitatem & ius amant: nec eſt viri boni errare, & diligere quod per ſe non ſit diligendum. *I. de leg.*

7. Nihil eſt profecto præſtabilius quam plane intelligere, nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. *in eod. Lib.*

8. Iniuſtam legem non eſſe legem, probat *in II. de legib.*

9. Natura norma legis eſt. *in eod. Lib. II.*

10. Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. *in eod.*

11. Periurii pœna divina exitium, humana dedecus. *in eod.*

12. Ad divos adeunto caſte: pietatem adhibento: opes amovento, ſi qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. *in eod. II. de leg.* Sancte vota reddunto. *Ambæ hæ ſententiæ in legibus erant Romanorum.*

13. Magiſtratus hæc eſt vis, ut præſit, præſcribatque recta, & utilia, & coniuncta cum legibus. *in III. de leg.*

14. Ut enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: vereque dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum.

15. Qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt. *in eod.*

16. Non ſolum ut obediant magiſtratibus, ſed etiam ut eos colant, & diligant, præſcribimus. *ex eod.*

17. Iuſta imperia ſunto: iiſque cives modeſte, & ſine recuſatione parento. *Lex erat hæc Romanorum, in III. de leg.*

18. Salus populi ſuprema lex eſto. *Lex eorumdem, ex eod. III. Lib.*

19. Interceſſor rei malæ ſalutaris, civis eſt. *ex eod. Lib. lex Romana.*

20. Eſt iniqua in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio. *Lib. III. de leg.*

21. Ut enim cupiditatibus Principum infici ſolet tota civitas, ſic emendari, & corrigi continentia. *in eod. Lib.*

22. Nobilium vita, victuque mutato, mores mutari civitatum puto. *in eod.*

23 Principes vitioſi plus exemplo quam peccato nocent. *Lib. III. de leg.*

24. Vi opprimi in bona cauſſa eſt melius quam male cedere. *in eod.*

25. Impediri bonam rem melius quam concedi male. *in eod.*

26. Nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Republica quidquam agi per vim. *in eod. III.*

27. Noxiæ pœna par eſto, ut in ſuo vitio quiſque plectatur: vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia ſanciatur. *in eod. III. Lib. de legib.*

28. Fundamenta iuſtitiæ ſunt, ut ne cui noceatur, ut communi utilitati ſerviatur, &, cum tempora commutantur, commutare officium, ut non ſemper ſit idem. *in I. de officiis.*

29. Fun-

29. Fundamentum iuſtitiæ eſt fides, id eſt dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas. *in eod. Lib.*

30. Fides appellata eſt, quia fiat quod dictum eſt. *in eod.*

31. Promiſſa ſervanda non ſunt, quæ ſunt iis quibus promiſeris, inutilia. *in I. & III. officiorum:* nec ſi tibi plus noceant quam illi proſint cui promiſeris. *in I. offic.*

32. Illis promiſſis ſtandum non eſt quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit. *I. offic.*

33. Quod verum eſt, ſimplex, ſincerumque, id eſt naturæ hominis aptiſſimum. *in eod.*

34. Duobus modis fit iniuria, vi, & fraude. Fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur. Utrumque alieniſſimum ab homine; ſed fraus odio digna maiore. *in eod.*

35. Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur. *in I. de offic.*

36. Nullum officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. *in eod. Lib.*

37. Dare beneficium in noſtra poteſtate eſt: non reddere viro bono non licet. *in eodem.*

38. Quidquid ſine detrimento poteſt commodari, id cuique tribuendum eſt, vel ignoto. *in eod. Lib.*

39. Vinculum humanæ ſocietatis eſt ratio, atque oratio. *in eod. I. offic.*

40. Offerre ſe periculis ſine cauſſa nihil ſtultius. *in eod. Lib.*

41. Quæ parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum. *in I. offic.*

42. Non attinet quidquam ſequi quod aſſequi nequeas. *in eod. Lib.*

43. Studia noſtra naturæ regula metiamur. *in I. offic.*

44. Victus, cultuſque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. *in eod. Lib.*

45. Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam cuius non poſſis cauſſam probabilem reddere: hæc eſt enim fere deſcriptio officii. *in I. de officiis.*

46. Cavendum ne maior pœna quam culpa ſit. *in eod. Lib. & in III. de legib.*

47. Nobis a natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſunt. *in I. offic.*

48. Sine verecundia nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. *I. offic.*

49. Opifices omnes in ſordida arte verſantur; nec vero quidquam ingenuum poteſt habere officina. *in eod. Lib.*

50. Nihil eſt agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nihil libero homine dignius. *in eod. Lib.*

51. Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. *in eod. Lib.*

52. Ut enim tutela, ſic procuratio Reip. ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa, gerenda eſt. *in I. offic.*

53. Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. *ex I. de offic.*

54. Contemnuntur ii qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. *in II. offic.*

55. Ius non eſſet, niſi eſſet æquabile. *in eod. Lib.*

56. Fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ eſt iuſtitia. *in eod.*

57. Rem familiarem dilabi ſinere flagitioſum eſt. *in II. offic.*

58. Habere quæſtui Remp. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. *in eod.*

59. Omnes immemores beneficii oderunt. *in II. offic.*

60. Multa quæ natura videntur honeſta, temporibus fiunt non honeſta. *in III. offic.*

61. Vir bonus nihil cuiquam quod in ſe transferat, detrahet. *III. offic.*

62. Hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam quam mors. *in eod. Lib.* ubi id præclaris conficit argumentis.

63. Homo naturæ obediens homini nocere non poteſt. *in eod. Lib.* Suæ cuique utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſerviendum eſt. *in eod. Lib.*

64. Hoc ipſum utile putare quod turpe ſit, calamitoſum eſt. *in III. offic.*

65. Eadem quæ utilitatis, honeſtatis eſt regula. *in eod.*

66. Dolus malus eſt, cum aliud eſt ſimulatum, aliud actum. *ex definitione Aquilii in eod. III. de offic.*

67. Vir bonus eſt is qui prodeſt quibus poteſt, nocet nemini. *in eod. Lib.* ſed poſt aliquanto addit: Niſi laceſſitus iniuria.

68. Nihil quod crudele, utile: eſt enim hominum naturæ quam ſequi debemus, maxime inimica crudelitas. *in eod. Lib. III. de offic.*

69. Qui non propulſat iniuriam a ſuis, iniuſte facit. *in eod. Lib.*

70. Vir bonus ne cogitare quidem quidquam audebit quod non audeat prædicare. *in eod. III. offic.*

71. Cato ad fidem bonam ſtatuit pertinere notum eſſe emptori vitium quod noſſet venditor. *in III. offic.*

72. Ratio poſtulat ne quid inſidioſe, ne quid ſimulate, ne quid fallaciter. *in III. offic.*

73. Quoniam iuris natura fons eſt; hoc intelligitur ſecundum naturam eſſe, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inſcitia: nec ulla pernicies vitæ maior inveniri poteſt quam in malitia ſimulatio intelligentiæ. *in III. offic.*

74. Ni-

74. Nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe, non reddere. *in eo paradoxo*, quod ſapientes liberi, & ſtulti ſervi.

75. Id quod imperatur, neceſſarium; illud quod permittitur, voluntarium eſt. *in II. de invent.*

76. Leges in conſilio Scriptoris, & utilitate communi conſiſtunt. *in eod. Lib.*

77. Indignum eſt æquitatem litteris legis urgeri, quæ voluntate eius qui ſcripſit, defenditur. *in eod. Lib.*

78. Velle quod non deceat, idipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt non adipiſci quod velis, quam adipiſci velle quod non oporteat. *ex Lib. de Philoſophia, ſive Hortenſio, apud Auguſtinum Lib. XIII. de Trinit. cap.* III.

79. Quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt ac ſi effici non poſſint. *in partitionib. orat. ubi de genere deliberandi.*

80. Quod permagni intereſt, pro neceſſitate ſæpe habetur. *ibid.*

81. Infelices qui omnia ſibi licere exiſtimant. *ex incerto ad Varronem.*

CAPUT V.

De diſpenſatione a lege.

DOctrina de diſpenſatione per omnes humanas leges divagatur. Ex diſpenſationum frequentia, & nimia facilitate univerſa diſciplina tum eccleſiaſtica, tum monaſtica extremas patitur clades. Quamobrem diligenti examine exponenda eſt controverſia: quod ut præſtem, caput iſtud in ſequentes tribuo paragraphos.

§. I.

Diſpenſationis notio, eiuſdemque partitio.

I. DIſpenſationis notionem perhibet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* XCVII. *art.* 4. inquiens: *Diſpenſatio proprie importat commenſurationem alicuius communis ad ſingula*; ſeu, eſt veluti aptare communis legis obſervantiam ſubditorum viribus, pro quarum diverſitate temperanda eſt, & relaxanda. Quare communis diſpenſationis finitio eſt: *Iuris relaxatio ab habente legitimam poteſtatem ex iuſta cauſſa facta.* Differt ab interpretatione, & epiikia: quia interpretatio non eſt actus iuriſdictionis, ſicut neque epiikia; ſed eſt doctrinalis legis declaratio, quæ fieri a quolibet ſapiente poteſt. Diſpenſatio actus iuriſdictionis eſt, ſoli ſuperiori competens. Aliquando tamen diſpenſatio pro ipſa interpretatione a S. Thoma accipitur *loc. cit. ad* 3. ubi ſtatuit, diſpenſationem locum non habere in præceptis iuris naturæ.

Subdit tamen: *In aliis vero præceptis quæ ſunt quaſi concluſiones præceptorum communium, quandoque per hominem diſpenſatur, puta quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid huiuſmodi.* Diſpenſatio hæc mera eſt interpretatio, qua declaratur a quolibet ratione recta prædito in hac circumſtantia legem naturalem non obligare. Diſpenſatio autem preſſe accepta actus eſt iuriſdictionis, quo a legis onere ſubditus eximitur. Verum tamen eſt in qualibet diſpenſatione interpretationem legis præcedere. Tenetur enim, ut infra dicetur, diſpenſator expendere legis rigorem, ſubditi indigentiam, & boni communis utilitatem: quibus interpretatis, & expenſis ad actum iuriſdictionis exercendum accedit, ſubditum a legis onere ſubducendo. Differt ab irritatione: quia legem irritare eſt eam abolere, impediendo ne obligationis vim obtineat: item ab abrogatione, & derogatione, quæ omnes comprehendit; diſpenſatio contra tantum determinatas perſonas eximit, manente lege quantum ad alios. A commutatione diſtinguitur, quia hæc obligationem omnino non tollit, ſed in alteram mutat.

II. Dividi diſpenſatio ſolet primo in partialem, & integram, ſeu totam. Tota eſt, quando aufert legis obligationem & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; partialis eſt quæ partem tollit obligationis. Iterum tribuitur in tacitam, & expreſſam. Tacita ſignis, expreſſa verbis exhibetur. Quando tamen ſigna ſunt manifeſta, & evidentia, expreſſa eſt diſpenſatio. Nulla ſunt determinata verba quibus impertienda diſpenſatio ſit; ſed quibuslibet uti diſpenſator valet.

III. Quæſt. I. *Ut ſubditus liber ſit a lege, ſat ne eſt ut præſumat ſuperiorem fore diſpenſaturum?* Reſp. Certum eſt, diſpenſationem, cum ſit quædam iuris vulneratio, odioſam eſſe, atque adeo reſtringendam, limitandamque, neque extendi poſſe ultra verborum rigorem. Certum quoque eſt, præter diſpenſationem expreſſam, dari diſpenſationem tacitam, ſeu virtualem, & interpretativam, ut vocant. Quæ diſpenſatio tacita tum eſt, quando ex ſignis, & coniecturis præſumitur voluntas ſuperioris, quod hic & nunc velit diſpenſare.

IV. Ad propoſitum igitur quæſitum reſpondetur, ſatis minime eſſe ad diſpenſationem, te præſumere Prælatum diſpenſaturum fore, ſi ſciret indigentiam tuam; ſed neceſſariam eſſe præſumptionem voluntatis præſentis, qua ſuperior antecedenter ad actum, ſeu uſum, diſpenſationem velit reipſa tibi impertire. Ratio evidens eſt: voluntas futura nequit effectum exemptionis præſentis a lege parere. Porro diſpenſatio a lege debet præcedere actum quem tu, ut ſolutus a lege, exercere debes. Vis contrahere cum conſanguinea. Hunc actum præcedat diſpenſatio neceſſe eſt. Non ergo ſufficit te præſumere Papam diſpenſaturum, ſi ſciret neceſſitatem qua premeris; ſed requiritur ut diſpenſationem impertiat, qua ſolutus a legis obligatione contractum peragere queas. Quemadmodum ad te obligandum non ſufficit lex futura, ſed lex præſens; ita ad te ſolvendum a legis vinculo

non

non ſufficit futura ſolutio, ſed neceſſaria eſt præſens. Hæc doctrina communis eſt.

V. Obiicies. Sufficit licentia futura præſumpta. Ergo & diſpenſatio futura. Antecedens patet. Ut ſubditus, puta Religioſus, expendat, aut recipiat pecuniam, cuius uſus voto paupertatis vetatur, ſat eſt ut præſumat prudenter Prælatum conceſſurum fore licentiam, ſi ſciret convenientiam talis actus. Ergo ſimiliter ſat eſt ut præſumat conceſſurum fore diſpenſationem, ſi peteretur ab eodem. Reſp. Negatur conſequentia. Differunt enim hæc duo, licentia, & diſpenſatio. Illa non lædit legem; ſed eſt veluti legis impletio. Nam ſi lex prohibet ne quis loquatur, ne comedat, ne expendat pecunias, ne egrediatur a conventu abſque licentia, non agit contra, ſed ſecundum legem, obtenta licentia: & Prælatus licentiam impertiens non lædit legem, ſed legi conformatur; dum tamen iuxta præſcriptum legis illam impertit licentiam. Diſpenſatio autem preſſe accepta vulneratio legis eſt: ideo reſtringenda, non dilatanda, ut licentia, quæ favorabilis eſt. Ratihabitio ergo de futuro nullo modo ſufficit ad diſpenſationem; licet ſufficere interdum poſſit ad honeſtandam licentiam.

VI. Quæſt. II. *Unde colligi poſſit, velle reipſa Prælatum diſpenſare?* Reſp. Signum certum unde colligi id poteſt, eſt, quando ſuperior præcipit actum qui exerceri abſque diſpenſatione nequit: ut ſi Epiſcopus, ſciens te eſſe irregularem, ſuper qua irregularitate diſpenſare queat, te ad ordines ſacros promoveat; ſi Papa, ſciens Sempronium Sacerdotem eſſe irregularem, promoveat ad Beneficium. Quoniam non præſumitur Principem pugnantia velle præcipere. Doctrina communis penes omnes.

VII. Quæſt. III. *Sola taciturnitas Prælati eſt ne ſufficiens ſignum colligendi eumdem velle diſpenſare?* Reſp. Affirmant communiter Probabiliſtæ, quos refert, & ſequitur P. Viva *quæſt.* VIII. *art.* 5. *num.* 5. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* V. *punct.* 2. *num.* 1. Quoniam, inquiunt, qui tacet, dum contradicere commode valet, & tenetur ex officio, & non contradicit, conſentire præſumitur, iuxta iuris regulam 43. *in* 6. Nec præſumendum delictum in ſuperiore eſt, quaſi velit ſubditi ruinam.

VIII. Doctor eximius P. Suarez *Lib. VI. de legibus cap.* XIII. relata præfata opinione, ſubdit, Canoniſtas communiter contrariam propugnare ſententiam. Diſtinguitque triplicem ratihabitionem: de futuro, quam iam excluſimus; de præterito, quæ ſimiliter improbatur; & de præſenti, de qua ſola diſputatio eſt. Et hanc opinionem Canoniſtarum in foro exteriori prævalere potiſſimum ait *num.* 21. ob graviorum Scriptorum auctoritatem; immo *num.* 22. addit, neque in foro conſcientiæ ſolam taciturnitatem ſufficere ad poſitivam diſpenſationem, niſi aliæ conditiones occurrant.

IX.

IX. Hæc mihi veriſimilior ſententia eſt. Et primum, cum, teſte *P. Suarez*, communiter propugnetur a Canoniſtis, & Ictis, quorum auctoritas in hac potiſſimum materia magni facienda eſt, præferri hoc ſolo capite debet alteri quæ a quibuſdam Probabiliſtis defenditur. Porro, ſi in foro præſertim exteriori prævalet hæc opinio, ut inquit *P. Suarez*; quid ni & in foro conſcientiæ? Ut alibi ex ſapiente *P. Elizalde* animadverti, communiter iſtius diſtinctionis fori interni, & externi abuſus committitur. Nam, quando iiſdem principiis iudicia utriuſque fori formantur, & diriguntur, eadem ſint utriuſque iudicia oportet. Porro quænam principia ſunt quibus Canoniſtæ, & Icti improbant diſpenſationem, ſolo conſenſu tacito ſuperioris nixam pro foro exteriore? Non ſane alia, niſi quæ Theologi ipſi adhibent, aut adhibere debent pro foro conſcientiæ. Ergo idem utriuſque fori, ad hoc quod attinet, iudicium. Antecedens patet. Nam principia quibus præfati Auctores nituntur, ſunt hæc. Iura ipſa oppoſitum conſtituunt. Nam in cap. *Cum iam dudum* de præben. hæc habentur. *Cum multa per patientiam tolerentur, quæ, ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debent tolerari.* Ex quo Gloſſa colligit, patientiam Prælati non eſſe ſufficiens ſignum conſenſus neceſſarii ad diſpenſationem. Huc quoque pertinent quæ habentur cap. *Super eo* de cognat. ſpirit. *Id in Eccleſia tua diſſimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præſtitiſſe conſenſum.* Neque favet laudata iuris regula, *Qui tacet, conſentire videtur,* contrariæ opinioni. Quoniam licet id verum ſit in pluribus caſibus, numquam tamen locum habet hæc regula, quando neceſſarium eſt exercitium iuriſdictionis, & in materia odioſa, ut eſt illa de diſpenſatione a lege. Nam patientia, ſeu taciturnitas nihil operatur; ſolumque infertur, Prælatum non repugnare directe: at nullo modo inferri ex ſola taciturnitate poſitivus conſenſus neceſſarius ad diſpenſationem valet. Quare merito Canoniſtæ loco principii hoc habent: *Illa quæ tantum in patiendo conſiſtunt, non eſſe ſufficiens ſignum diſpenſationis, quæ actum poſitivum requirit.*

X. Rationum quoque momenta mihi gravia videntur. Nam taciturnitas Prælati natura ſua quid aliud prodit, niſi permiſſionem? Hic eſt unicus taciturnitatis effectus: vel ad ſummum eſt indicium dubium, & valde incertum poſitivi conſenſus. Sed ex dubio, & valde incerto conſenſu colligi nullo modo poteſt certus diſpenſationis effectus. Quod illa taciturnitas Prælati præſentis, & videntis, & potentis impedire ſit incertiſſimum, nedum incertum, indicium, evinco evidenter. Ex diverſis, oppoſitiſque oriri principiis hæc taciturnitas poteſt. Ergo ex ea certus diſpenſationis concedendæ colligi conſenſus nequit. Conſequentia certa eſt; & antecedens evincitur. Hæc proficiſci taciturnitas poteſt 1. ex Prælati negligentia. 2. ex nimia conniventia. 3. ex puſillanimitate. 4. ex ignorantia. 5. ex malitia. 6. ex ſtudio ſcandali vitandi, maioriſque mali declinandi. 7. ex prævi-

ſione

ſione repugnantiæ ſubditi ad malum propenſi. Quis inficias iverit, ex his, aliiſque principiis oriri hanc Prælati taciturnitatem poſſe? Inepte ergo colligunt Probabiliſtæ ex hac taciturnitate conſenſum conceſſæ diſpenſationis. S. Bernardus, & Trithemius docent, relaxationes tum in eccleſiaſtica, tum in monaſtica diſciplina ex Prælatorum aut negligentia, aut conniventia, aut puſillanimitate, aut malitia manare. Omne malum a capite. Omnes Patres teſtantur, cuiuſque diſciplinæ ruinam præcipue a Prælatorum culpa proficiſci. Poſſunt quandoque etiam ſine culpa vitandi maioris mali cauſſa abuſus tolerare ad tempus. At cavendum ne ſint canes muti, qui latrare negligunt, ut oſſa, & carnem comedant: cavendum ne ſint muti, ut perſeverare in Prælatura, ut ad maiora conſcendere, ut ſuis conſulere & commodis, & rationibus valeant: cavendum ne ſint muti, ut appareant prudentes, benigni, miſericordes: cavendum ne mundanæ prudentiæ præſtigiis faſcinati extendant legem, ſicut pellem, & corruptelas graſſari ſinant. Aliqui obmuteſcunt ex quadam placidi, & torpidi temperamenti ſeu naturæ indole. Quæ cum ita ſint, quis ex ſola Prælati taciturnitate colligere diſpenſationis conceſſionem poterit? Niſi ergo aliæ conditiones manifeſtæ, & evidentes concurrant, numquam ego ex ſola taciturnitate inferri legitime poſſe concludo poſitivum ſuperioris conſenſum in diſpenſationem. Hæc ſunt principia, vi quorum cum ICti, tum Canoniſtæ in foro exteriore improbant omnes diſpenſationes ſola taciturnitate nixas: & hæc ſunt principia quæ in foro conſcientiæ, niſi me mea fallat opinio, eaſdem diſpenſationes damnare potiore iure debent.

XI. Nullius apud me ponderis ſunt adverſæ ſententiæ rationes, quæ omnes huc recidunt: nempe, præſumendum eſſe Prælatum, cum videt, & non impedit, cum facile poſſit, velle diſpenſare, ne ipſe peccet non impediendo peccata. Ex iis quæ diximus, vanam, arbitrariam, & commentitiam eſſe hanc præſumptionem conſtat. Quoniam ex ſeptem & amplius capitibus oriri hæc taciturnitas poteſt. Auctoritates quæ ex iure civili, & canonico allegantur, diſparatæ omnino ſunt, nihilque concludunt.

§. II.

§. II.

De iis qui diſpenſare in lege divina, & humana, & reſpectu quorum valeant.

I. DE diſpenſatione iuris naturalis fuſe diſputavi ſupra *diſſert.* II. *cap.* XIV. Quare, ne actum agam, illuc te remitto. Circa diſpenſationem ab iis quæ divino iure præſcripta ſunt, primum indicabo ea de quibus nulla eſt apud Theologos diſputatio. In lege divina evangelica, de qua ſola nunc ſermo eſt, vix alia præcepta poſitiva occurrunt, præter ſacramentorum inſtitutionem, eorumque adminiſtrationem, uſum, & ſacrificii oblationem. Cetera ad ius naturæ pertinent. Porro certum eſt legislatorem divinum poſſe in ſuis præceptis pro voluntate ſua & valide, & licite diſpenſare. Nullus autem hominum abſolute in iis quæ iuris divini ſunt, diſpenſare poteſt, niſi id Deus ſpecialiter conceſſerit. Quoniam nullus inferior in ſuperioris legem poteſtatem habet. Convenit penes omnes, hanc poteſtatem Deum nulli Principum, Regum, Imperatorum, aut laicarum poteſtatum, immo nec ullis Eccleſiæ Prælatis, Pontifice ſummo inferioribus, conceſſiſſe. Diſputatur dumtaxat ſuper facto divinæ conceſſionis factæ Pontificibus.

II. Quæſt. I. *Conceſſit ne Deus Romanis Pontificibus privilegium diſpenſandi in iis quæ ſunt divini iuris?* Reſp. Prima ſententia adfirmat, quæ factis nonnullis potius quam rationibus, regitur. Dicunt, Pontificem diſpenſaſſe in matrimonio rato, non conſummato, cuius indiſſolubilitas eſt a iure naturali: item in votis ſolemnibus, in reſidentia Epiſcoporum, & eiuſmodi, quæ iuris divini ſunt. Ergo in aliquibus, non in omnibus, præceptis quæ iuris divini ſunt, diſpenſare Pontifices licite, & valide poſſunt. Hanc ſententiam defendit P. Thomas Sanchez *Lib. VIII. de matrim. diſp.* VI. *num.* 6. Bonacina *diſt.* I. *quæſt.* I. *punct.* 2. *num.* 13. aliique.

III. Contraria ſententia vera eſt, & communiter ab antiquis, & a recentioribus Auctoribus propugnatur. Eam conceptis verbis docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* II. ubi legere poteris Franciſcum Sylvium, qui fuſo calamo hanc controverſiam verſat. Tanti mihi nunc otii non eſt, ut diſcutere pro dignitate hanc quæſtionem valeam. Quare eam paucis expedio. Certum eſt penes omnes, Pontificem hac diſpenſandi in iis quæ iuris divini ſunt, poteſtate carere. In hoc difficultas vertitur tota, conceſſerit ne eidem Deus hanc poteſtatem? Porro nullus adduci textus poteſt, ex quo id clare colligatur. Qui enim efferri textus ſolet, *Quodcumque ligaveris ſuper terram* &c. nihil peculiare pro hac diſpenſandi facul-

cultate continet. Alioquin, ſi quid evinceret, probaret, Pontifices poſſe in omnibus iuris divini mandatis diſpenſare: quod & adverſarii concedere recuſant. Nihil ergo ex textu laudato colligitur pro diſpenſandi in præceptis iuris divini poteſtate. Porro, cum diſpenſatio ſit, ut omnes fatentur, odioſa, legiſque vulneratio; arctanda, & non amplificanda eſt, etiam reſpectu illarum legum quæ diſpenſationibus ſunt ſubiectæ. Quid ergo dicendum de legibus divinis quæ nullo modo ſubſunt diſpenſationi humanæ? Profecto, ut facultas, & iuriſdictio diſpenſandi ab his legibus ſeu mandatis evincatur, adduci textus debet adeo perſpicuus, & luculentus, ut nullam admittat exceptionem, nullique ſolidæ interpretationi ſubiaceat. Hic textus hactenus inventus non eſt. Ergo vera ſententia noſtra. Accedit quod, ut dixi, ſi quæque diſpenſatio eſt odioſa, hæc odioſiſſima apparet, quod divina humanis ſubiiciat. Præterea expedit Eccleſiæ, & in eiuſdem cedit maieſtatem firmitas, & immutabilitas hæc divinorum præceptorum. Quid vero bono communi Eccleſiæ conducit, quod in aliquo particulari eventu hic uxoratus poſſit dimittere uxorem a ſe non cognitam? Nihil ſane. Contra vero ſummopere confert dignitati Eccleſiæ, quod nullo in caſu eiuſmodi divina vincula infringantur. Facta plura congeruntur conceſſarum diſpenſationum, quæ ſigillatim enucleare in præſens non vacat. Nam partim falſa ſunt, partim non pertinent ad ius divinum. Et, ſi quæ vera ſunt, ſententiæ, quam probabiliorem reputarunt, Pontifices adhæſerunt. In pluribus quæ adducuntur, Pontifices ſummi non diſpenſatorum, ſed interpretum officio defuncti ſunt. Illis enim, ut cuſtodibus divini depoſiti, & ut ſupremis magiſtris, & capitibus univerſæ Eccleſiæ, commiſſa eſt facultas interpretandi, & declarandi in controverſiis, & ambiguis caſibus iuris tum naturalis, tum divini, quid oneris nec ne imponant hæc divina iura, ad univerſale Eccleſiæ bonum reſpectu ſemper habito.

IV. Quæſt. II. *Quibus competit diſpenſatio a legibus humanis?* Reſp. Poteſtas diſpenſandi duplex. Altera ordinaria, quæ dignitati, aut officio annexa eſt: altera delegata, quæ a ſuperiore, illam iure habente, impertitur. Docent omnes, quemlibet ſuperiorem qui legem aliquam fert, poſſe ab eadem eximere ſubditos aliquos. Sic Pontifices valent diſpenſare in omnibus legibus eccleſiaſticis univerſæ Eccleſiæ. Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi diſpenſare valent in legibus aut a ſe, aut in Synodis ſuis latis. Vicarius generalis Epiſcopi nequit diſpenſare in legibus Epiſcopi, abſque expreſſa licentia. Epiſcopus, Archiepiſcopus Metropolitanus valet diſpenſare in legibus latis in concilio provinciali, in propria diœceſi; ſecus extra illam. Quoniam in Concilio provinciali omnes Epiſcopi iudices ſunt. Metropolitanus caput eſt Concilii ratione dignitatis; ſed inferior Concilio eſt. Igitur quilibet Epiſcopus poteſt a legibus in præfato Concilio conſtitutis diſpenſare; nemo vero quidquam iuriſdictionis habet in præfatis legibus extra propriam

diœ-

diœceſim. Si tamen Concilium, quod ſingulis ſuperius eſt, ſibi facultatem diſpenſandi reſervaſſet, nemo, nec Epiſcopus, nec Archiepiſcopus, poſſet ab eiſdem legibus reſervatis diſpenſare : quia ſinguli inferiores Concilio ſunt. In legibus quæ contractum annexum habent, in quo commodum, aut damnum tertii includitur, ſuperior diſpenſare nequit.

V. Quæſt. III. *Inferior in legibus ſuperioris diſpenſare ne valet ?* Reſp. Certum primo eſt, quando legislator ſupremus ſibi facultatem diſpenſandi reſervavit, nullum inferiorem diſpenſare a tali lege valere. Certum ſimiliter eſt inferiorem ex conceſſione ſuperioris poſſe in eiuſdem ſuperioris legibus diſpenſare. Diſputant Theologi, quandonam, & in quibus legibus Pontifex conceſſerit Epiſcopis diſpenſandi poteſtatem. Communiter docent, in ſequentibus caſibus Pontificem facultatem diſpenſandi Epiſcopis conceſſiſſe.

VI. Primo in iis legibus in quibus hæc verba continentur, *ſtatuimus*, *præcipimus &c. donec in eo diſpenſetur :* ut habetur in *cap.* Poſtulaſti *de Cleric. excom.* ubi dicitur clericum excommunicatum, non poſſe retinere beneficia, *niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum*. In Concilio Tridentino maioris claritatis gratia *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. expreſſe Epiſcopis conceditur quod valeant in occultis caſibus, irregularitatis, aliiſque diſpenſare. II. In materia quoque levioris momenti. III. In iis quæ communiter contingunt, ut in ieiuniis, horis canonicis, feſtis, aliiſque ſimilibus diſpenſare Epiſcopi queunt. Eſſet enim onus importabile, ſi in his quæ in dies occurrunt, neceſſarius ad ſupremum legislatorem recurſus eſſet. IV. Leges pontificiæ, latæ pro una provincia, vel diœceſi, ſubiiciuntur Archiepiſcopo provinciali, aut Epiſcopo : quia, cum latæ ſint pro bono publico talis determinati loci, conſentaneum eſt ut loci Epiſcopus, aut Archiepiſcopus valeat harum legum uſum temperare, & pro temporum, perſonarumque diverſitate ab eiſdem diſpenſare. V. In legibus pontificiis univerſalibus, ut in impedimentis matrimonii, in votis, in irregularitatibus, diſpenſare Epiſcopi valent, quando difficilis eſt ad Pontificem recurſus, & ſit periculum in mora. Quoniam & iurium æquitas, & bonum publicum id exigunt. VI. Ratione conſuetudinis inferiores poſſunt diſpenſare in legibus ſuperiorum. Sic Parochi diſpenſare cum ſuis parochianis valent in ieiuniis, feſtorumque obſervatione : quoniam conſuetudine, & quidem rationabili, id invectum eſt.

VII. Quibus conſtitutis, diſputant Theologi, num inferiores queant in cunctis legibus ſuperioris, quarum diſpenſatio expreſſe reſervata eidem ſuperiori non ſit, diſpenſare? Adfirmat prima opinio. Nam ab excommunicatione lata in corpore iuris, & non reſervata, quilibet inferior abſolvere poteſt, ut conſtat ex *cap.* Nuper *de ſentent. excom.* quia, ut in hoc textu dicitur, hoc ipſo quod ſuperior illam non reſervaverit, præſumitur facultatem dediſſe inferioribus abſolvendi.

VIII.

VIII. Communis, & vera ſententia negat, inferiorem poſſe in lege ſuperioris diſpenſare hoc ipſo quod diſpenſatio reſervata ſuperiori non ſit, niſi ex aliis capitibus id conſtet; quemadmodum in caſibus enumeratis patet. Ratio evidens eſt. Inferior non habet poteſtatem in ſuperiorem, atque adeo nec in leges ab eodem conditas. Ergo iuriſdictionem ſuper eiſdem exercere legibus nequit abſque eiuſdem facultate. Fundamentum contrariæ ſententiæ illam deſtruit. Ideo quilibet inferior Sacerdos facultatem abſolvendi habet ab excommunicatione non reſervata, quia reipſa Pontifex illam conceſſit ob bonum commune ſpirituale, cum neceſſaria ſit eiuſmodi abſolutio ad ſacramenta frequentanda: & alioquin caſus frequenter contingere poſſit. At facultas diſpenſandi non eſt conceſſa a Pontifice. Ergo auctoritas allata non confirmat, ſed deſtruit eamdem opinionem.

IX. Si dubium occurrat, valeat ne inferior in aliquo caſu diſpenſare a lege ſuperioris; quid agendum ſit, dictum ſupra eſt. Excluſa enim neceſſitate, aut ſervanda lex eſt, aut recurrendum ad ſuperiorem; etiamſi dubium ſit poſitivum, & cum probabilitate coniunctum, ut dicunt Probabiliſtæ, quorum opinionem iam ſæpius labefactavimus.

X. Quæſt. IV. *Legislator ſupremus valet ne cum diſpenſatione commutationem coniungere?* Reſp. Adfirmans ſententia vera eſt; immo ſæpe expedit ut diſpenſationi aliquid commutationis adiiciatur. In diſpenſatione a ieiunio, ſi qui diſpenſatur, dives ſit, eleemoſyna congrua adiicienda eſt. Pro diſpenſatione ab obſervantia audiendi Sacri, aut diei feſti, preces imponendæ ſunt. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *cap.* XXVIII. *de reform.* iure ſancteque præcipit ut omnis diſpenſatio gratis concedatur; ut excludat omnem ſimoniæ umbram, vetat ne diſpenſator quidquam ex diſpenſationis conceſſione emolumenti percipiat.

XI. Illud ſolum animadvertendum, quod opus adiectum per modum cuiuſdam commutationis, ſeu compenſationis, ſit proportionatum & perſonæ, & fini legis a qua diſpenſatur; ut diximus in diſpenſationibus ieiuniorum, feſtorumque, in quibus eleemoſynæ, & preces congruunt legis fini. Cavendum ergo in diſpenſationibus vel ab ipſa ſimoniæ ſuſpicione.

XII. Quæſt. V. *An poteſtas delegata diſpenſandi ſit ample interpretanda?* Reſp. Poteſtas delegata alia eſt annexa iuri, dignitati, vel officio, quæ ordinariæ æquivalet. Alia eſt collata ab homine, quæ duplici conferri modo poteſt: nempe aut per modum puræ commiſſionis, & in favorem alicuius determinatæ cauſſæ, quæ morte concedentis expirat, ſi cauſſa ſeu iudicium inceptum non ſit: nam ſi fuerit inceptum, durat, donec abſoluta cauſſa fuerit. Alia eſt in favorem delegati, quæ ſi abſolute concedatur, ſemper durat; ut eſt facultas conceſſa Regularibus ad abſolvendum, & poteſtas conceſſa ab Epiſcopis Sacerdotibus audiendi confeſſiones. Qui habet poteſtatem ordinariam, poteſt eam delegare. At qui habet

Digitized by Google

bet tantum poteſtatem delegatam, non poteſt eam ſubdelegare, excepto delegato Papæ, vel alterius ſupremi Principis, qui poteſt reipſa acceptam facultatem ſubdelegare, quoties id expreſſe eidem non prohibeatur. Quando vero delegatus inferioris habet expreſſam facultatem ſubdelegandi, eam quoque ſubdelegare valet iuxta facultatem ſibi conceſſam. Porro ſuper propoſito quæſito diſputant Theologi, qui diſtinguunt poteſtatem ab ipſa diſpenſatione. Primam ample interpretandam contendunt, quando poteſtas conceſſa eſt in favorem delegatorum reſpectu boni communis, ſeu ad abſolvendas indiſcriminatim omnes perſonas, ut eſt poteſtas conceſſa Regularibus ad abſolvendum. Si vero ſit facultas conceſſa reſpectu determinatæ perſonæ, tum ſtricte interpretandam aſſerunt. Verum, ut ego quidem arbitror, cum hæc poteſtas iuriſdictionis ſit, ſive in primo, ſive in ſecundo caſu, nullo modo ampliandam exiſtimo, ſed rigido in ſenſu interpretandam.

XIII. Quæſt. VI. *Reſpectu quorum dari legum diſpenſatio poſſit?* Reſp. Reſpectu propriorum ſubditorum tantum extenditur diſpenſandi facultas. Quare Epiſcopi poſſunt diſpenſare ſubditos propriæ diœceſis, Generales Religionum univerſæ propriæ Religionis ſubditos, Provinciales ſubditos ſuæ provinciæ &c. Quare eiuſmodi Prælati diſpenſare cum ſubditis ſuis valent, quemadmodum Epiſcopi etiam in legibus pontificiis reſpectu illorum caſuum quos ſupra enumeravi, videlicet in ieiuniis, horis canonicis, feſtorum obſervatione &c. Reſpectu vero conſtitutionum Ordinis res de ſe clara eſt. De ſæcularibus inſervientibus in Cœnobiis diſputant Caluiſtæ, num Prælati Cœnobiorum valeant cum iſtis diſpenſare? Affirmant *Bordonius*, *Antonius a Spiritu ſancto*, & *Paſqualigus*. Sed Auctores iſti ex illis non ſunt qui in re morali magno in pretio haberi debeant. Nam Prælati regulares iure ordinario cum præfatis diſpenſare certe non valent in ieiuniis, in abſtinentiis, feſtis, ceteriſque legibus eccleſiaſticis, neque vi privilegiorum, quæ tantum ſacramentorum adminiſtrationem, & ſepulturam in propriis Eccleſiis impertiunt.

XIV. Quæſt. VII. *Poteſt ne legislator ſecum, quemadmodum cum aliis, diſpenſare?* Reſp. Affirmant omnes, quemcumque qui facultate potitur diſpenſandi cum aliis, poſſe quoque ſecum diſpenſare indirecte, quatenus concedere alteri facultatem poteſt ut ſecum diſpenſet; vel quando cum communitate cuius ipſe pars ſit, diſpenſat, effectu diſpenſationis frui valet. Difficultas eſt, utrum ſuperiores immediate poſſint ſe diſpenſare a legis obſervantia eo modo quo ſubditos diſpenſant. Affirmans ſententia vera eſt. Siquidem, quamvis nemo in ſemetipſum exercere queat iuriſdictionem coactivam, aut contentioſam, aut quæ petit iudicium in ferenda ſententia; tamen nihil impedit quominus valeat ſuperior exercere in ſeipſum iuriſdictionem voluntariam, qualis eſt iuriſdictio diſpenſationis.

Iu-

Digitized by Google

Iuriſdictio contentioſa partium diſtinctionem expoſcit. Iuriſdictio qua ſententia per modum iudicii pronuntiari debet, petit diſtinctionem rei, & iudicis. Quamobrem nec Pontifex valet ſemetipſum a peccatis abſolvere, quia abſolutio hæc per modum iudicii impertitur. Hac eadem ratione nemo ſemetipſum a cenſuris abſolvere valet. In diſpenſatione autem legum, votorum, iuramentorum nulla contentio eſt, nullum in alteram perſonam iudicium exercendum: idcirco quilibet ſuperior qui alios, etiam ſeipſum diſpenſare valet. Hanc ſententiam docet S. Thomas 2. 2. quæſt. clxxxv. art. 8. *In aliis tamen* (Epiſcopus regularis) *poteſt diſpenſatione uti, ſecundum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, & conditio hominum cum quibus vivit, per modum quo etiam Prælati Religionum in talibus ſecum diſpenſant.* Sancto Thomæ communiter ſubſcribunt Theologi.

§. III.

Utrum licita ſit diſpenſatio abſque iuſta cauſſa data: Peccant interdum ſuperiores, quia non diſpenſant. Peccant frequentius, quia diſpenſant. Laxæ Probabiliſtarum opiniones reiiciuntur.

I. Diſpenſationum uſum ſemper obtinuiſſe in Eccleſia certum eſt. Neceſſitas diſpenſationum ipſam naturam legis conſequitur. Nam lex quæ communiter accidunt ſpectat; neque comprehendere, aut declarare caſus omnes valet. Idcirco legum cuſtodes iuxta eventuum varietatem, & diverſas perſonarum qualitates temperare legum obſervantiam debent, legeſque modo relaxare, modo ad unguem obſervandas curare. Diſpenſatio communiter appellatur *legis vulneratio*: quod uno in ſenſu verum eſt. Eam ego non minus vere appello *legis remedium*. Eo quippe tendere ambæ debent, lex, & diſpenſatio, nempe in bonum commune. Et quia aliquando non expedit communi bono legis obſervatio, idcirco adeſt diſpenſationis remedium, quo bono communi provideatur.

II. Quare vix lex humana fuit ſine diſpenſatione. Antiquiſſimum illius uſum nobis perhibet Scriptura ipſa divina. S. Paulus Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium ſeveriſſimæ addixit pœnitentiæ. *I. Cor. cap.* v. legitur tradidiſſe *huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit*. In altera vero Epiſtola ſubdit cap. 11. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*. Sanctiores Eccleſiæ Patres Apoſtoli Pauli exemplum imitati ſunt. *Detrahendum* (inquit Auguſtinus epiſt. l.) *eſt aliquid ſeveritati, ut maioribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniat.* Innumera afferri exem-

pla ex Hiſtoria eccleſiaſtica poſſent, niſi præſtituta, & neceſſaria in longo curſu brevitas impediret, quæ diſpenſationum uſum vel ipſis primis chriſtianæ religionis ſæculis evincunt. Nemini ergo in mentem veniet, mihi nimium in hac graviſſima, & impeditiſſima quæſtione rigorem ſuadere in votis ac animo eſſe; quin benignum, prudentem, ſuavem cupio ſuperiorem, qui legum iugum delinire pro temporum, perſonarumque diverſitate mature ſciat. Cum S. Bernardo *Lib. II. cap.* IV. *de conſid. ad Eug.* dicere poſſum: *Non ſum ita rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem.*

III. Utrumque igitur extremum devitare ſuperiores debent: quod adeo difficile eſt, ut Chriſtus Dominus apud Lucam *cap.* XII. exclamaverit: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam?* Peccant ſuperiores, ſi nimia ſeveritate legis cortici inhærentes, legiſque ſpiritum aut ignorantes, aut ſequi refugientes, diſpenſare, quoties bono communi expedit, omittunt. Periculum graviſſimum imminet ſuperioribus omnibus ab hoſtibus domeſticis, nempe ab affectuum internorum præſtigiis. Amor erga illum facilem & iuſtam, averſatio contra iſtum difficilem & iniuſtam diſpenſationem depingit. Frequentius in laxitatis quam in rigoris extremum incidunt ob rationes alibi fuſius explicatas. Severitas avertit ſubditos, concitat odium, & invidiam ſubditorum. Homines autem amari, appeti, extolli cupiunt. Idcirco frequentiſſime illicitæ, & invalidæ diſpenſationes. Quibus delibatis, quod propoſui explicandum eſt.

IV. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* V. *punct. 6. num. 66.* defendunt, ſuperiorem non peccare mortaliter ex genere ſuo diſpenſantem pro ingenio abſque iuſta cauſſa in lege a ſe condita, præciſis ſcandalo, & damno tertii. Quoniam, inquiunt, legislator dominus eſt ſuarum legum. Pro hac opinione, quam etiam probabiliorem reputant, citant *Caſtropalaum*, *Villaloboſium*, *Dianam*, *Sanchezium*, *Laymannum*. P. Dominicus Viva *quæſt.* VIII. *art. 4. num. 3.* communiorem appellat hanc opinionem, quia benigniorem. Peccare tantum venialiter Auctores iſti præfatum ſuperiorem contendunt. Continenter ad manus habent *libram ſuam*, qua alii ex aliis ponderant malitiæ gradus; & paſſim ad levia pro libito non pauci declinant. Præfatam opinionem, ut nimium laxam, reiicimus: quoniam viam aperit latiſſimam negligendis, contemnendiſque legibus.

V. Porro, ut præfatæ opinionis laxitas clarius appareat, advertendum, ſermonem eſſe de legibus quæ natura ſua graviter obligant; & quod in gravi materia *pro libito*, ut citati Auctores docent, diſpenſationes concedantur. Dicimus ergo, ſuperiores, ſive ſupremos, ſive inferiores, peccare mortaliter abſolute, & ex genere ſuo, quoties a legibus, etiam a ſe conditis, & graviter obligantibus, abſque cauſſa diſpenſant. Ita docent Patres omnes, qui diſpenſationes iuſta cauſſa deſtitutas, vocant prævaricationes, & legum diſſipationes. Diſpenſatores iſtos infide-

de-

deles, deſtructores, perditores diſciplinæ compellant. Adeo ne acri ſale eoſdem perfricarent, ſi culpas dumtaxat veniales iniuſte diſpenſando committerent? Nemo Patrum, nullum Concilium dixit umquam, venialiter ſolum ſuperiorem in gravi lege ſine cauſſa diſpenſantem peccare. Unde ergo hanc diſtinctionem eruerunt Probabiliſtæ? Salmanticenſes primo loco laudant P. Sanchez, & ex eo alios. En novæ doctrinæ fontem primum. Navarrus videtur anſam dediſſe, qui falſo pro tali opinione citat Caietanum, oppoſitum docentem.

VI. P. Suarez *Lib. VI. cap.* XVIII. noſtram propugnat ſententiam, laudatque *Caietanum*, *Armillam*, *Valentiam*, *Covarruviam*, *Sotum*, alioſque; & laudare potuiſſet antiquos gravioreſque Auctores omnes. Ratio clara eſt. Omnis legislator ex iuſtitia legis ſuæ obſervantiam curare aſtringitur: quia ex iuſtitia promovere commune bonum debet. Huc omnes illius curæ & ſtudia pertinent; cum in hunc finem electus princeps ſit, & ſuperior. Ergo a lege diſpenſando abſque cauſſa peccat contra iuſtitiam. Porro peccatum contra iuſtitiam genere ſuo mortale eſt, ut communis Theologorum doctrina fert. Et quidem, ut *P. Suarez* advertit, triplicem iuſtitiam Princeps violat ſine cauſſa diſpenſans: commutativam, quia ex officio ſuo tenetur Princeps eiuſmodi diſpenſationem non imperriri: quælibet enim obligatio quæ officium conſequitur, ad iuſtitiam commutativam pertinet: iuſtitiam legalem, quia agit contra commune bonum: iuſtitiam diſtributivam, quia acceptionem perſonarum committit. Hæc autem perſonarum acceptio directe lædit iuſtitiam diſtribuentem, eſtque genere ſuo peccatum mortale, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXIII. *art.* I. Nam illud eſt peccatum genere, & natura ſua mortale, quod intra propriam ſpeciem reipſa fieri mortale poteſt, ut patet in vitiis capitalibus, ſuperbia, avaritia &c. At iuxta omnes Theologos acceptio perſonarum in re gravi eſt peccatum mortale. Ergo genere ſuo peccatum mortale eſt. Quis Catholicorum ſenſu communi ornatus, gravis culpæ non damnabit *pro libito* abſolvere quempiam ab integra Quadrageſima omni ſublata cauſſa, Sacerdotem liberare ab horarum canonicarum penſo ſolvendo? Quis itaque adverſæ ſententiæ laxitatem non perhorreſcit? Nec eſt quod ſcandalum obtrudas. Nam id ſcilicet eſt quod aſſerimus, ſcandali nempe plenam eſſe opinionem hanc: nam natura ſua ſcandalum parit, etiamſi ſcandalum reipſa per accidens non ſequatur. Fac ſecretiſſimam eſſe ab obſervatione integræ Quadrageſimæ, & a recitandis canonicis horis diſpenſationem. Nemo reipſa ſcandalum patitur. Propterea ne ſcandalum diſpenſatio hæc omnino arbitraria non parit? Si legislator legem pro communitate iuſtiſſimam conderet, exciperetque quoſdam pro arbitrio, nulla occurrente cauſſa; an non peccaret, & quidem graviter, ob perſonarum acceptionem? Quid autem aliud eſt diſpenſatio, niſi a legis obſervatione exceptio? Accedit quod ſuperior, ſive Prælatus, ſive Epiſcopus, ſive Pon-

tifex, hac diſpenſandi facilitate ſuapte natura leges ſuas contemptioni, & tranſgreſſionibus exponit. Neque excuſare ſe Probabiliſtæ valent, reſpondendo, opinionem ſuam excipere circumſtantiam ſcandali. Quoniam opinio ipſa ſcandalum, ut dixi, natura ſua parit, dum propugnat, peccare dumtaxat venialiter ſuperiorem in materia gravi diſpenſantem pro libito abſque cauſſa. Et lectores ipſi qui ſacrarum legum, canonumque vim callent, & immania conſectaria, atque monſtroſa abſurda quæ talem opinionem neceſſario conſequuntur, præſentiunt, ſcandalum perferunt.

VII. Heinc colliges, Principem, & quemlibet ſupremum legislatorem graviter itidem peccare, dum pro libito, & abſque cauſſa ſecum diſpenſat in lege a ſe impoſita. Subiectos legibus ſuis Principes diximus ſupra, conſentiente Theologorum natione. Ridicularia autem ſubiectio eſſet, ſi pro libito auferre a ſe legislatores, atque excutere obſervationis iugum poſſent. Quis enim eſt, inquit P. Suarez *loc. cit. num.* 11. qui nolens ſervare aliquam legem, non auferat prius eiuſdem obligationem gravem, ſi poſſit, etiamſi in hac ablatione peccatum committeretur veniale, ut mortalem culpam evitet?

VIII. Reſponſa quæ *num.* 67. exhibent Salmanticenſes ex aliis Probabiliſtis, pace illorum dixerim, inepta ſunt, & pura putaque effugia. Ad auctoritatem Concilii Tridentini *ſeſſ.* XXV. *cap.* XVIII. cuius graviſſima verba *ſeq.* §. referam, ubi nullas eſſe eiuſmodi ſine cauſſa diſpenſationes decernitur, reſpondent, Concilium loqui vel de diſpenſatoribus delegatis, vel de diſpenſatoribus ordinariis inferioribus, vel de diſpenſationibus quæ ſcandalum, aut damnum inferunt. Quis non videt, hæc mera eſſe effugia? Ubi vel leve veſtigium apparet, Concilium ibi loqui de diſpenſatoribus delegatis? Quin, ut infra videbimus, omnes prorſus diſpenſatores alloquitur. Non arridet hoc effugium? ſubdunt citati Auctores. Accipe alterum. Concilium loquitur de diſpenſatoribus inferioribus. At unde hoc eruunt? Non ſane aliunde quam ex arbitrio proprio, ut afflictæ cauſſæ ſuccurrant. Reſponſum hoc vitioſum eſt, laboratque falſo ſuppoſito, quod ſuperiores maiores non peccent diſpenſando in legibus ſuis; quam falſitatem hactenus profligavimus. Inventum arbitrarium eſt, quod ſuperiores minores nequeant, poſſint vero maiores abſque cauſſa diſpenſare, quin graviter peccent. Eadem quippe ratio, ad peccatum quod attinet, omnium eſt, ut mox dicemus. Neque hoc, reponunt tertio docti viri, tibi reſponſum placet? Accipe ultimum. Concilium loquitur in caſu ſcandali, & damni contra tertium. At Concilium abſolute pronuntiat, *ſubreptitias*, ideſt nullas eſſe eiuſmodi diſpenſationes quæ reipſa ſcandalum pariunt, & bono communi grave detrimentum inferunt. Ex his tribus reſponſis, quibus graviſſima Concilii Tridentini doctrina eludi tentatur, iterum collige quam infirma ſit, & laxa contraria opinio.

IX.

IX. Eiuſdem generis ſunt reſponſa quæ ad argumenta a ratione petita obtrudunt. Negant peccata contra iuſtitiam legalem, aut diſtribuentem eſſe genere ſuo mortalia. Sed oppoſitum Theologi docent cum S.Thoma. Nam in violatione iuſtitiæ diſtribuentis acceptio perſonarum ſemper occurrit, quæ natura ſua peccatum grave eſt. Perperam cavillantur, id verum habere, quando fit iniuria alteri. Nam, ſive hoc accidat, ſive ſecus, Theologi abſolute docent, vitioſam graviter eſſe hanc perſonarum acceptionem. Præterea inferre gravem iniuriam communi bono, cui promovendo iuſtitia legalis inſiſtit, non eſt genere ſuo gravis culpa? Legalem autem iuſtitiam violat iniuſtus diſpenſator. Tandem iuſtitiæ commutantis tranſgreſſor eſt vel ipſe ſupremus ſuperior, qui ex officio promovere legum obſervantiam verbo, & exemplo aſtringitur. Huic rationi nec verbum reponunt adverſarii.

§. IV.

Utrum diſpenſatio ſine iuſta cauſſa conceſſa, invalida, & nulla ſit.

I. QUO maioris momenti eſt quæſtio propoſita, eo eſt difficilior, atque implicatior. Iniuſtam eſſe diſpenſationem ſine cauſſa iuſta datam, hactenus palam feci. Diſcutiendum nunc, an invalida. Diſtinguunt communiter Theologi diſpenſationem quam concedit ſuperior a legum quas ipſe tulit obſervatione, & diſpenſationem quam impertit ab iis legibus quas ſupremus condidit. Fatentur omnes, diſpenſationem conceſſam ab inferiori in legibus ſuperioris nullam eſſe. Nulla eſt, inquiunt, diſpenſatio Epiſcopi in legibus pontificiis; nulla eſt conceſſa a Pontifice in legibus quæ iuris divini ſunt. Diſputatio ergo limitatur reſpectu legum quas diſpenſator ipſe condidit, vel eius anteceſſor.

II. Validam eſſe communiter recentiores Theologi defendunt talem diſpenſationem, tametſi iniuſtam. Eorum unica ratio hæc eſt, quam omnes ad unum afferunt. Tota vis qua lex potitur obligandi, pendet a ſola voluntate legiſlatoris. Ergo ſicut poſſet legem non condere, & eam abſque cauſſa abrogare; ita poterit valide, nulla exiſtente cauſſa, quocum illi placuerit, diſpenſare. Hæc eſt tota & unica ratio quam producunt Suarez *Lib. VI. cap.* XIX. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* V. *punct.* 6. *§.* 1. *num.* 63. & ceteri omnes.

III. Olim Iuriſperiti eo uſque narratam rationem amplificarunt, ut voluntatem pontificiam regulam eſſe diſpenſationum, & quarumcumque actionum docuerint. Et has Iuriſperitorum imprudentes, ineptaſque poteſtatis pontificiæ ultra iuſtos limites amplificationes omnes collegit *Martinus Lutherus*, eaſque Catholicis ex-

probravit. Sed de more per ſummam calumniam: quoniam ante ipſum prudentiores, ſapientioreſque catholici Theologi vana hæc Iſtorum commenta profligarunt. Quid quod celebris Congregatio *Novemviralis*, ſic nuncupata, quod quatuor Cardinalibus, & quinque Prælatis conſtaret, ab ipſo ſummo Pontifice Paulo III. inſtituta, exaggeratam plus iuſto facultatem pontificiam in diſpenſationum conceſſione propulſavit? His quippe verbis Cardinalis Contarenus, ſapientia, morum probitate, rerum gerendarum dexteritate, tuendæ religionis ſtudio celeberrimus, quique præfatæ Congregationi interfuit, præfuitque, allocutus Pontificem eſt. „ Et quoniam Sanctitas tua, Spiritu Dei erudita . . . probe noverat principium horum malorum inde fuiſſe quod nonnulli Pontifices prædeceſſores tui, pruriéntes auribus (ut inquit Apoſtolus Paulus) coacervarunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent quid facere deberent, ſed ut eorum *ſtudio, & calliditate inveniretur ratio qua liceret id quod liberet*: inde effectum eſt (præterquamquod principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimuſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum) quod confeſtim prodirent Doctores qui docerent, Pontificem eſſe dominum Beneficiorum omnium: ac ideo, cum dominus iure vendat id quod ſuum eſt, neceſſario ſequi in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam. Ita quod *voluntas Pontificis, qualiſcumque ea fuerit, ſit REGULA qua eius operationes, & actiones dirigantur. Ex quo proculdubio efficitur ut quidquid libeat, id etiam liceat*. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tamquam Equo Troiano, irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem fere ſalutis laboraſſe, & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque (credat Sanctitas veſtra ſcientibus) qui ob hanc præcipue cauſſam chriſtianam Religionem derident, adeo ut per nos (inquimus) Chriſti nomen blaſphemetur inter gentes. “

IV. Clarius poſt pauca improbat diſpenſationum facilitatem, inquiens. *Illud vero ante omnia, Beatiſſime Pater, putamus ſtatuendum eſſe . . . . ut, quantum fieri poteſt, LEGES ſerventur. Nec putemus licere diſpenſare in legibus, niſi urgenti de cauſa, & neceſſaria. Nulla namque perniciosior conſuetudo in quavis Republica induci poteſt quam hæc legum inobſervantia, quas ſanctas maiores noſtri eſſe voluerunt, earumque poteſtatem venerandam, & divinam appellarunt*.

V. Plura alia habentur in iſtius *Novemviralis* Congregationis ſcripto, quod, licet editum ab hæreticis in Germania, notiſque deturpatum, proſcriptum fuerit a Paulo IV. regnante, qui præfatæ Congregationi interfuit, probavitque omnia in ea conſtituta; non inde tamen quidquam auctoritatis deperdidit. Infra nonnulla alia reſcribam.

VI.

VI. Concilium Tridentinum, poſt præfatam Congregationem celebratum, *ſeſſ.* xxv. *cap.* xviii. hæc pro diſpenſationum uſu ſtatuit. *Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, &, quoad eius fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens iuſtaque ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate præſtandum erit. Aliterque facta diſpenſatio* SUBREPTITIA ERIT.

VII. Concilii decretum non divinam, aut naturalem legem ſpectat, ſed de ſacris canonibus ſermonem habet: de ſacris canonibus, inquam, quos ſummi Pontifices ipſi, aut Concilia condidere. Hos exacte ſervandos Concilium altius inculcat. Quoniam frequens ab iis diſpenſatio aditum unicuique ad illos tranſgrediendos viam aperit. Tandem quæ pro iuſta, validaque diſpenſatione ſervanda ſunt, Concilium præſcribit. Non eſſe diſpenſationes concedendas decernit, niſi *urgens iuſtaque ratio, & maior quandoque utilitas* cum aliquibus interdum diſpenſandum eſſe poſtulaverit. Et quoniam quiſque rationem iuſtam, urgentemque, & maiorem utilitatem facile ſibi effingit, cum diſpenſatio commoda ſibi eſt; idcirco ſubdit Concilium, ſumma maturitate hanc cauſſam iuſtam, & utilitatem expendendam, recognoſcendamque eſſe, antequam diſpenſatio impertiatur. Quod ſi ſecus factum fuerit, *ſubreptitiam*, ideſt *nullam*, declarat eſſe diſpenſationem.

VIII. Nullam eſſe diſpenſationem abſque iuſta cauſſa conceſſam, teſtantur communi conſenſione Patres omnes. S. Bernardus Lib. II. de Conſid. cap. iv. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

IX. Ne quis autem putet hanc eſſe peculiarem S. Bernardi opinionem, audiat eumdem S. Doctorem Lib. de diſpenſat. & præcept. cap. 11. *Numquid autem hoc dico, vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſummet & Papa Gelaſius ſentit? Ait ſiquidem: Ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia manent ſanctorum Patrum decreta. LEO quoque Papa, Ubi, inquit, neceſſitas non eſt, nullo modo ſanctorum Patrum conſtituta violentur.*

X. Miſſis ceteris Patribus, & Conciliis, in medium adduco doctrinam S. Thomæ, qui, licet conceptis verbis non exprimat, nullam eſſe diſpenſationem illicitam; ea tamen conſtituit principia unde evidenter id infertur. Inquit enim 1. 2. quæſt. xcvii. art. 4. *Ille qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ auctoritati innititur; ut ſcilicet in perſonis, vel in ca-*

ſibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non ſervetur. Si autem abſque hac ratione, pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Luc. XII. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam?*

XI. Ut iſtius doctrinæ vis plenius percipiatur, in mentem revocanda doctrina eſt quæ legem decernit a ſuprema ratione ferri propter bonum commune, quæ ſuprema ratio regula eſt voluntatis Principis condentis legem. Et quoties boni communis aut cuſtodia, aut incrementum poſtulat legem, eam ferre Princeps aſtringitur. Latæ legi Princeps qui illam condidit, ſubiectus eſt, ut communiter Theologi fatentur, quantum ad vim dirigentem, ſeu quantum ad debitum obſervantiæ. Qua doctrina ut certa conſtituta, ſequitur, legislatorem ſubiectum legi eſſe ut verum diſpenſatorem, & conſervatorem eiuſdem. Ergo quemadmodum cuiuſque diſpenſatoris infidelis, & iniuſti nullæ ſunt, & invalidæ actiones; ſic nullæ ſunt diſpenſationes illicitæ, & iniuſtæ. Quandoquidem licet ſupremus legislator non recognoſcat poteſtatem ſuperiorem coactivam, ſubiicitur tamen poteſtati ſuperiori dirigenti, nempe ſupremæ rationi. Porro reſpectu iſtius ſupremæ poteſtatis inferior eſt, meruſque diſpenſator; infidelis quidem, ſi cum boni communis detrimento diſpenſet; imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret.

XII. Concilia, & Patres diſpenſationes ſine legitima cauſſa conceſſas, ſubreptitias, nullas, prævaricationes, & legum diſſipationes paſſim appellant. Videamus nunc quid argumenta a ratione petita concludant. Et primum diſpenſatio ſine cauſſa data, eſt iniuſta, ut omnes fatentur. Ergo nulla. Conſequentia videtur evidens, non minus ac neceſſaria. Nam lex iniuſta eſt nulla, omnibus fatentibus. Ergo diſpenſatio iniuſta a lege nulla erit. Iiſdem quippe principiis boni communis, & utilitatis ſubditorum dirigitur diſpenſatio quibus lex regitur. Ergo, ad hoc quod attinet, eadem utriuſque ratio. Accedit quod, licet legislator poſſit, aut non poſſit legem condere, & conditam etiam abrogare; qua abrogata, etiam iniuſte, vis obligandi ceſſat; tamen, quamdiu lex conſiſtit, tamdiu legislator ſubiectus legi eidem eſt, & ut ſubditus parere adſtringitur. Ergo quemadmodum omnis inferioris Prælati in lege ſuperioris diſpenſatio, ſine cauſſa data, nulla eſt, & invalida; ita quoque diſpenſationem iniuſtam legis, conceſſam a ſupremo legislatore, invalidam, & nullam dicere cogimur. Si iuxta Evangelium, Concilia, Patres, & Theologos ipſos iuniores, legislatores etiam ſupremi ſunt legum diſpenſatores, & adminiſtratores; ergo non domini abſoluti: ergo pro arbitrio diſpenſare nequeunt. Si dominio carent, pro arbitrio diſpenſandi facultatem non habent. Ergo, dum pro libito reipſa diſpenſant, nullæ ſunt eorum diſpenſationes. Tandem ſubditus in diſpenſationis iniuſtæ

inſtæ uſu peccat, ſi iniuſtitiam cognoſcat. Ergo Invalida diſpenſatio. Nam ſi valida diſpenſatio legis eſſet, obligatio legis ceſſaret. Legis obligatio non ceſſat, quia ſubditus diſpenſatus peccat. Ergo diſpenſatio a lege ſine cauſſa facta, iniuſta, unaque invalida eſt. Et ut evidentior hæc fiat doctrina, Principis exemplo eam confirmare lubet. Communiter Theologi fatentur, Principes ſupremos ſubiectos eſſe legibus a ſemetipſis latis. Atqui ridicularia & futilis hæc ſubiectio foret, ſi iniuſta diſpenſatio valida eſſet, excuſaretque a culpa. Poſſent quippe Principes ſecum diſpenſare abſque ulla cauſſa: qua diſpenſatione, licet iniuſta, poſita, ſi valida eſſet, ceſſaret legis vinculum, liberique ſola eorum voluntate Principes a legum obſervantia evaderent. Quod abſurdum adeo immane, & monſtroſum eſt, ut nemo illud propugnare iure valeat. Porro ſi peccant Principes legem violantes, quia iiſdem non ſuffragatur diſpenſatio iniuſta; eadem ratione peccant & ſubditi. Si peccant; ergo legis vinculum ablatum non eſt: ergo diſpenſatio nulla. Quoniam ea diſpenſatio invalida, & nulla eſt quæ a legis vinculo non ſolvit ſubditum. Et tum non ſolvit, quando reipſa ſubditus ea iniuſta diſpenſatione utens peccat, & quidem contra legem. Nam, ſoluto legis poſitivæ ligamine, non peccat contra ius naturale, quod, ut ſuppono, non vetat talem actionem. Nec ius naturale urget ut pars conformetur communitati; ſi a lege quæ præcipit ſubiectionem ad totam communitatem, pars liberata, media valida diſpenſatione, ſit.

XIII. Oppoſita ſententia communis eſt inter iuniores. P. Suarez *Lib. VI. cap. XIX. num. 6.* fatetur, S. Thomam non favere huic opinioni. Fundamentum cui recentiorum opinio nititur, ſupra expoſui. Illud mihi nullum faceſſit negotium. Nam condere, & abrogare Princeps ſupremus legem ſuam valet. Peccabit utique, ſi legem iuſtam abroget: peccabit, uſque dum illam non reſtituerit, ſi neceſſaria bono communi ſit. At abrogata, vel non condita, nulla eſt obligatio. Verum habet. Ergo, vigente lege, diſpenſare pro arbitrio ab illa valet? Conſequentia toto oberrat oſtio ab antecedenti. Nam, uſquedum lex conſiſtit, ſubditus eidem Princeps eſt, eiuſque obſervantiam procurare tenetur tamquam fidelis cuſtos, depoſitarius, & diſpenſator. Poteſt Princeps legem non condere; poteſt quilibet a voluntaria promiſſione, & donatione abſtinere: at, lege poſita, Princeps, uſque dum lex conſiſtit, eidem parere debet; facta promiſſione, donatione libera, & a parte acceptata, eiſdem ſtare promiſſor, vel donator debet.

XIV. Reſpondent Theologi Iuniores, adverſæ ſententiæ propugnatores, legem non eſſe indiviſibilem regulam, qua poſita omnes obligentur, quaſi eximi aliqui ab eadem nequeant. Sicut condendo legem poteſt ſub initium pro libito aliquos eximere; ita, lege promulgata, poteſt pro libito aliquos diſpenſare. Quoniam legis vis tota pendet a voluntate legiſlatoris. Huc recidunt omnia iſtius opinionis argumenta, quæ ex iis quæ diximus, contrita, nedum ſoluta remanent. Quis unquam

quam individuam commentus legem eſt? Dividuam illam fatemur; cum reipſa dividatur, iuſta occurrente cauſſa. Sed negamus dividi abſque iuſta cauſſa valide poſſe ob rationes ſatis iam explicatas. Negamus, legislatorem initio legis condendæ abſque cauſſa eximere a lege quemquam poſſe.

XV. Non minus imbecilla videntur ad alia argumenta facta reſponſa. Ad Principis exemplum negant paritatem: quia, inquiunt, obligatio Principis non eſt immediate a lege ab eodem lata, ſed a lege naturali; ſubditorum vero ligamen a lege poſitiva, ſeu a Principis voluntate dimanat. Effugium arbitrarium eſt ad vim argumenti declinandam. Lege naturali univerſali tam ſubditi, quam Principes ſupremi, abſque cauſſa legem humanam non ſervantes, contra eam legem humanam peccant, ſeu contra virtutem præſcriptam a lege: neque peccatum iſtud ſpeciem capit ab aliquo præcepto violato naturalis iuris, ſed ab ipſa tranſgreſſione poſitivæ legis.

XVI. Ad Concilii Tridentini decretum nec verbum reponunt. Tria reſponſa quæ ex Probabiliſtis referunt Salmanticenſes, ſupra, ut evidenter vana, reiecimus. De Patrum auctoritate altum apud eos ſilentium.

XVII. Conferas nunc velim utriuſque opinionis momenta, & eam eligas ſententiam quæ firmioribus nititur fundamentis. Mihi pro ſententia aſſerente diſpenſationes iniuſtas eſſe invalidas, ſtare Concilia, Patres, & luculentiora argumenta videntur. Auctoritas iuniorum tanti mihi non eſt ac antiquorum. Nec tamen ex iunioribus deſunt qui huic ſententiæ adhæreant. Nam P. Gabriel Vaſquez 1. 2. *diſp.* CLXXVIII. *cap.* IV. in hanc propendet ſententiam. Expertus enim eſt homo acutus argumentorum vim, & auctoritatum pondus. Plures quoque ICti eam aperte propugnant, quos inter Rebuffus in *practicis tit. de diſpenſat. ad plur. benef. num.* 85. & celebris Covarruvias in IV. II. *Part. cap.* VI. *§.* 9. *n.* 15. ubi hæc habet: *Diſpenſatione a Romano Pontifice conceſſa contra ius, ſine cauſſa, etſi ſit contra poſitivum, animam tutam non eſſe: talis enim diſpenſatio diſſipatio potius dicenda eſt.* Excipit tamen diſpenſationes quæ auferunt impedimenta irritantia, & inhabilitates legales. Has diſpenſationes validas eſſe quantum ad effectum impedimenta tollendi, concedit Covarruvias; ita ut actus facti vi talium diſpenſationum validi ſint. At non propterea ſubditi tuti ſunt in conſcientia quantum ad legis obligationem, ſi vi talium diſpenſationum legem non ſervent.

XVIII. Diſputatio hæc, alioquin graviſſima, ſi penitius diſpiciatur, & praxi applicetur, facilior fortaſſe evadet. Sermo nunc eſt de lege pure humana, ab ipſo legislatore condita: in qua nihil iuris vel naturalis, aut divini includatur, quæ pauciſſimæ ſunt. Nam ſi quid præfatorum iurium occurrat, iam & ipſi adverſarii fatentur diſpenſationem iniuſtam eſſe, & invalidam. Reſtringitur ergo diſputatio ad aliquam legem peculiarem mere humanam, cuiuſque iuris divini, aut naturalis exper-

expertem. Non multum diſputarem, an diſpenſatio ab aliqua peculiari levioris momenti lege ſine cauſſa valida ne, an invalida ſit. Ceterum in lege, tametſi humana, univerſali, & conſenſu communi a populis acceptata, & conſuetudine roborata, quæ licet abſolute abrogari a Pontifice poſſit, tamen in praxi vix poteſt; quis dixerit, ſine cauſſa validam diſpenſationem eſſe? Papa diſpenſat ab integra Quadrageſima aliquos Chriſtianos, ab horis canonicis aliquos Præbendatos, a reditibus eccleſiaſticis divites, omni iuſta cauſſa ſublata; quis propugnaverit, diſpenſatos iſtos tutos in conſcientia eſſe? Quod ſi tuti non ſunt, nulla eſt diſpenſatio. Ipſe Franciſcus Silvius, tametſi benignæ doctrinæ propugnator, ſententiam Caietani, Covarruviæ, & aliorum amplectitur 1. 2. *quæſt.* XCVII. *art.* 4. *concl.* 5. peccare nempe illos qui diſpenſatione ſine iuſta cauſſa conceſſa utuntur. Quod autem peccent vel contra legem naturalem, non ſe conformando ad communitatem, vel contra legem poſitivam, parum refert pro praxi. Paucis rem concludo. Diſpenſationes in legibus levioris momenti, ex quibus bonum commune leviter læditur, validæ ſunt ob materiæ parvitatem. Verum diſpenſationes a legibus maioris momenti, & quæ diu a ſæculis vigent, in materia gravi, abſque iuſta cauſſa conceſſæ, iniuſtæ, invalidæ, & nullæ mihi ſunt ob rationum momenta quæ allegavi; quidquid in oppoſitum diſputent iuniores.

§. V.

Diſpenſationes a ſacris canonibus in quibus aliquid iuris divini, aut naturalis includitur, ut diſpenſationes recipiendi plures præbendas, non reſidendi, ſimileſque, omnium Theologorum, etiam iuniorum, conſenſu nullæ ſunt.

I. QUæſtio propoſita preſſius praxim ſpectat; & ideo hæc gravior, & deciſione utilior eſt ea quam §. præcedenti explicui. In hac quippe ad theologicam criticen revocatur uſus diſpenſationum quæ reipſa obtinent. Et quoniam confunduntur eiuſmodi diſpenſationes cum iis de quibus ſupra diſputatum eſt; ideo gravia abſurda conſequuntur. Plures enim ob hanc confuſionem exiſtimant, omnes diſpenſationes pontificias in iis quæ ſacri canones prohibent, validas eſſe, eo quod leges humanæ ſint: minime diſtinguentes inter leges mere humanas levioris momenti, quibus nihil ſuperioris iuris ineſt; & leges humanas pro univerſali Eccleſia, & in quibus aliquid iuris naturalis, aut divini viget. Porro, ut huic deceptioni occurram, in hoc §. palam faciam, nullas omnino eſſe diſpenſationes ſine cauſſa datas ab iis legibus in quibus iura aut divina, aut naturalia includuntur; quem-

quemadmodum ſunt iuxta graviſſimos Theologos & Canoniſtas illæ quæ vetant pluralitatem præbendarum, & abſentiam a reſidentia.

II. Præmitto doctrinam S. Thomæ, ceu fundamentum univerſæ concluſionis. Inquit ille quodlib. IX. art. 15. *Sunt quædam actiones quæ abſolute conſideratæ, deformitatem, vel inordinationem quamdam important; quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonæ efficiuntur. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas; cum hoc quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat; utpote quod non eſt poſſibile aliquem deſervire in pluribus Eccleſiis, in quibus eſt præbendatus; cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiæ contulerunt, ut certus numerus Deo ſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt: & multa alia huiuſmodi, quæ de facili patent. Unde non poteſt contineri inter indifferentes actiones, multo minus inter eas quæ ſunt ſecundum ſe bonæ, ut dare eleemoſynam, & huiuſmodi. Quamvis vero has inordinationes pluralitas præbendarum contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut, puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis eius obſequii, ut poſſet plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quod alius præſens, & ſi quæ alia ſunt huiuſmodi; & tunc, iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum ſecundum ius naturale: quia diſpenſatio ad ius naturale non pertinet, ſed ſolum ad ius poſitivum.*

III. Ex hac S. Thomæ doctrina evidenter infertur, nullas omnino eſſe diſpenſationes habendi plures præbendas, percipiendi penſiones, commorandi extra reſidentiam, iuſta cauſſa ſublata: quoniam eiuſmodi actiones abſolute, & ſecundum ſe conſideratæ deformitatem produnt; advenientibus circumſtantiis, illam exuunt deformitatem. Porro ſi reipſa circumſtantiæ non interveniant, nulla humana diſpenſatio ſuffragatur. Nam recta intentio, vel poteſtas humana nequit tollere deformitatem quæ cum lege naturali, aut divina pugnat; ſed neceſſe eſt ut reipſa circumſtantia interſit, vi cuius actus iuxta legem naturalem, aut divinam rectus evadat. Siquidem leges ipſæ naturales, & divinæ excipiunt caſus particulares ab abſolutis; ſeu, ut dicit Angelicus, actio quæ abſolute repugnat legi naturali, adveniente circumſtantia, eidem legi conformis eſt. Quam doctrinam ſi perſpectam habuiſſent (digreſſio opportuna eſt) Auctores mamillares, tot cavillationes vaniſſimas non agglomeraſſent; neque ignoraſſent verum ſenſum illarum particularum, *per ſe*, *de ſe*, *ſecundum ſe*, *abſolute*. Hæc per tranſennam.

IV. Pluralitas itaque præbendarum, perceptio penſionum, abſentia a reſidentia, repugnant naturali, divinæque legi. Ut itaque eidem conſona evadant, vera, &

rea-

realis circumſtantia ſuperveniat neceſſum eſt : & tum diſpenſatio pontificia ligamen ſacrorum canonum, qui præfata prohibent', auferre poteſt. Hæc doctrina inconcuſſa eſt, cui contradicere nemo iure valet. Proſper Fagnanus cap. *Quia de Præbend.* num. 13. refert hanc S. Thomæ doctrinam; & deinde hæc adiicit. *Ceſſantibus eiuſmodi circumſtantiis quæ deformitatem, ſeu inordinationem tollunt, licitum non eſt plures præbendas obtinere, etiam cum diſpenſatione : eo quod diſpenſatio non auferat ligamen iuris naturalis, ſed ſolum ligamen iuris poſitivi.* 1

V. Sed quid S. Thomam, Patres, Fagnanum, & Concilia laudo ? Probabiliſtæ ipſi ea docent quæ hanc ſententiam firmant. Concedunt ipſi omnes, inferiorem nihil poteſtatis habere in lege ſuperioris. Atqui Pontifices ſummi, & ceteri mortales, inferiores ſunt Deo, lege naturali, & divina. Ergo, ceſſante legitima cauſſa, nihil poteſtatis habent in legibus iuris naturæ, & divini. Audiamus ipſos Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* V. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 70. „ Modo acturi ſumus de inferiore diſpenſante in lege ſuperioris ; ut quando Pontifex diſpenſat in votis, „ iuramentis, matrimonio, *reſidentia Epiſcoporum, quæ ſunt de iure divino* .... „ Dicendum eſt ergo ſecundo, diſpenſationem datam ab inferioribus in legibus „ ſuperioris ſine iuſta cauſſa eſſe nullam ... quia inferior non recipit poteſtatem diſpenſandi in lege ſuperioris ad beneplacitum eius ; ſed ſolum cenſetur „ eam concedere ſuperior in ordine ad rationabilem & prudentem diſpenſatio- „ nem. "

VI. Iuſta ergo ſublata cauſſa, nihil ſuffragantur diſpenſationes percipiendi penſiones, retinendi plures præbendas, abſentiæ a reſidentia. Pii fideles ingentibus reditibus Eccleſias donarunt, ut earumdem Paſtoribus, & pauperibus, viduis, & orphanis providerent. Deo victimas bonorum litarunt, ut Dei miniſtri & ſeipſos, & pauperes alerent. Quoties ergo Dei honor, bonum Eccleſiæ univerſalis poſtulant ut ex bonis unius Eccleſiæ aliquid accipiatur, ut aliarum Eccleſiarum miniſtri alantur, in id conſentire pii, & prudentes donatores præſumuntur. Quoniam una eſt Chriſti Eccleſia, & vinculo caritatis omnes miniſtri unum ſunt. Supremus ergo diſpenſator Romanus Pontifex poteſt dubio procul ex reditibus omnium Eccleſiarum miniſtris de Eccleſia optime meritis, iuſta exigente cauſſa, providere, quando nempe id bonum commune Eccleſiæ poſtulaverit.

VII. Verum enimvero, ſi ex Eccleſiarum reditibus penſiones darentur Clericis cincinnatis, barbatulis, qui mulieribus, non Deo inſerviunt, qui pro Chriſti Eccleſia nihil umquam operati ſunt, non ſacris litteris eam illuſtrarunt, non apoſtolica miniſteria peregerunt, non morum ſanctitate, non verbo, non exemplo Chriſti cauſſam, & Eccleſiæ incrementum promoverunt: ſi iſtis, inquam, penſiones darentur, quis aſſereret validas eaſdem eſſe? Quid, ſi hominum, & femellarum officiis, & meritorum larvis confictis extorquerentur? Si Patres omnes fures, latro-

trones, uſurpatores ſacrilegos compellant vel ipſos Eccleſiarum legitimos Paſtores, qui omnes curas, & ſtudia excolendæ vineæ impendunt, ſi quidquam præter congruum victum, & veſtitum, ſibi ad faſtum, ad ditandos conſanguineos, ad vanas pompas de propriarum Eccleſiarum reditibus applicant; quid de illis dicendum qui nec Eccleſiis addicti, nec Eccleſiarum miniſterio operam navant, nec in Eccleſiæ utilitatem quidquam operantur? Hi ne pauperum panem, Chriſti patrimonium devorare tuta poterunt conſcientia, quacumque interveniente pontificia diſpenſatione?

VIII. Neque obtrudas. Pontifices ergo infideles diſpenſatores? Tu ne iudex pontificiarum diſpenſationum? Papa diſpenſavit. Quid ultra quærendum? Alioquin univerſa turbaretur chriſtiana Reſpublica: conſcientiæ quæſtionibus torquerentur. Delicatæ ſane conſcientiæ, quæ pauperum ſanguine ſatures diſpenſationis medicamine abſtergere tanta crimina ſibi blandiuntur. Quid conſcientiarum ſcrupulos opponunt iſti; cum nil minus quam de iuſtitia penſionum cogitent, dummodo eaſdem aſſequantur? Invalidas & ſubreptitias diſpenſationes extorqueri in omni principatu, impedire humana nequit induſtria. Principes, Pontifices, etſi vigilantiſſimi, & ſanctiſſimi, & miniſtrorum lenociniis decipi valent, & poſtulantium interceſſionibus quandoque indulgere, vitandi maioris mali cauſſa, prudentia iubet. Ex pluribus ergo oriri principiis diſpenſationis iniuſtitia poteſt: & quocumque ex capite iniuſta, & invalida diſpenſatio ſit, nihil eadem utentibus ſuffragatur. Damnabis ergo adeo frequentiſſimum penſionum uſum? Abſit. Non uſum, ſed abuſum, & iniuſtitiam damno. Non dico, abuſum ſerpere, aut corruptelam graſſari. Quid? An inſanum me reputas, ut in ea quæ ſupremi legiſlatores, ſummique Pontifices peragunt, cenſuras intorquere velim? Tanta dementia profecto non laboro. Quid ſit iuſtum, validum, vel iniuſtum, aut nullum, definio. Quæ vero fiunt, penitus ignoro.

IX. Verum, ne quis ſuſpicetur, quidquam a me per exaggerationem dictum, audiat quid adverſus eiuſmodi diſpenſationes iniuſtas viri ſancti pronuntient. S. Bernardus epiſt. VII. ad Adam Monach. num. 9. *Mira cautela, & ſtupenda providentia! Malum, quod iam corde conceperunt, opera tamen cauti fuere non implere, niſi cum licentia. Conceperunt dolorem, ſed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo conceptui PAPA præberet aſſenſum. Quo lucro? Quove ſaltem compendio mali? Numquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut vel minoratum eſt, quia PAPA conceſſit? Quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, niſi aut CIRCUMVENTUM MENDACIO aut IMPORTUNITATE VICTUM.*

X. Doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, Romanæ Eccleſiæ ſtrenuus propugnator, & vindex *epiſt. ad Nepot.* hæc contra iniuſtas diſpenſationes ſcribit. *Hic cavil-*

villus ſecuros reddit multos, tutum vero neminem. Quoniam Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator : ideoque qui iniquam diſpenſationem petit, iniquitatis cauſſa eſt; & qui ea utitur, eadem ſemper irretitur iniquitate.

XI. Ioannes Trithemius in ſuo *libro Penticho cap.* VI. prolixo ſermone invehitur contra diſpenſationes falſis nixas rationibus. Pauca tranſcribo. *Nec diſpenſatio faciet licitum, quæ falſis narrationibus fuerit impetrata. Si adſit in ſupplicatione neceſſitas, in intentione ſupplicantis integritas, in uſu diſpenſationis honeſtas, audacter dico, quod Papa cum Monacho poſſit diſpenſare . . . Certus ſum etenim quod ſummus Pontifex neminem ſine evidenti utilitate communi, & neceſſitate manifeſta ab aliqua approbata Religione intendit abſolvere . . . . Quando autem cauſſa narrationis falſa eſt, diſpenſatio non liberat, ſed damnat impetrantem. Summus Pontifex, auditis narrationibus ſupplicantium, caute reſpondere conſuevit, Si ita eſt, inquiens, ut narratur, fiat quod petitur eo modo, & forma qua ſequitur. Reſpondet caute, indulget ſecrete, & ſub certis limitibus diſpenſat . . . . Omnes cauſſæ & rationes quas in ſupplicatione narraſtis, confictæ, & falſæ ſunt. Quomodo diſpenſatio legitima erit? Quomodo excuſabit vos ſummi Pontificis auctoritas, quam mendacio, fraude, dolo, & importunis precibus circumvenire non timuiſtis?*

XII. Cardinalis Toletus, doctrina & probitate clarus, in Inſtruct. Sacerd. Lib. V. cap. LXXXIII. *PAPAE diſpenſatio ſine cauſſa non habet locum in foro interiori, & coram Deo, ſed tantum in foro exteriori. Unde qui penſiones retinent, etiam cum diſpenſatione, ſi non adeſt cauſſa legitima, ſecuri non ſunt. Nec excuſantur, quia PAPA dedit; & ipſius eſt conſiderare quomodo dederit: hæc, inquam, non excuſant. Si enim quis pecunias accipiat ab œconomo, quem ſcit male diſpenſare rem domini, & contra iuſtitiam, non poteſt tunc retinere. PAPA autem non eſt dominus bonorum, & redituum Eccleſiæ, ſed tantum univerſalis DISPENSATOR. Unde ſicut, cum diſpenſat hominem in voto, non facit hominem ſecurum in conſcientia, niſi cauſſa adſit; ita in penſionum, & beneficiorum diſtributione. Cauſſa autem hæc debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ cuius ſunt bona. Si enim nulla via in Eccleſiæ huius, vel univerſalis utilitatem tendat, non eſt cauſſa legitima.*

XIII. Eodem ſermone loquuntur Patres omnes, quibus adiicere lubet luculentiſſimum teſtimonium, omni exceptione maius, & quod ſolum ſufficere pro cauſſæ definitione debet. Illud autem eſt BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi feliciter regnantis. Elapſo quippe anno MDCCXLVII. die XVI. Maii, me Romæ præſente, dum in ſacra Congregatione, quæ *Signatura gratiæ* dicitur, cauſſa graviſſima ageretur coram SANCTISSIMO ſuper donatione officiorum vacabilium facta ab Innocentio X. Pontifice ſummo *Olimpiæ Maidalchinæ* die 26. Decembris 1644. poſt Prælatorum audita vota, coram illo ſacro Purpuratorum Patrum Collegio, atque numeroſiſſima auditorum frequentia (publice cauſſa diſputata) doctiſſimus Pon-

Pontifex elata voce hæc lingua vernacula, quæ ſincere latine verto, pro tribunali ſedens pronuntiavit. *Sciant intelligantque omnes, PONTIFICES SUMMOS eſſe dumtaxat adminiſtratores, & diſpenſatores eccleſiaſticorum redituum. Atque adeo INNOCENTIUS X. donare præfatæ Olimpiæ officia vacabilia, de quibus cauſſa agitur, nequaquam potuit. Pii fideles ſancto Petro, non Pontificum nepotibus bona ſua obtulere. Quamobrem quidquam NOS impertiri nepoti noſtro conſtantiſſime ſemper recuſavimus.* Et teſtimonium hoc, factumque, omnibus Pontificibus imitandum, verum eſt. Sententiam autem definitivam, typis Romanis editam, contra Actorem donatarium dixit Pontifex ſummus, eumque obſtrinxit ut tria ſcutorum millia ſacræ Cameræ ſolveret. Quæ idcirco ſcripſi, & ut ſententiæ hactenus propugnatæ maius adiicerem lumen, & ut hæretici intelligant aliquando, quæ ſit Romanæ Sedis doctrina. Ad abuſus quod attinet, nulla umquam hominum Curia, tametſi ſanctiſſima, ab iiſdem immunis prorſus fuit.

§. VI.

De cauſſis quæ ad licitam, validamque diſpenſationem requiruntur.

I. NUlla deſignari certa regula poteſt ſuper cauſſarum qualitate, quæ pro licita, & valida diſpenſatione requiruntur. Cauſſarum quippe æquitas a pluribus circumſtantiis loci, temporis, perſonæ petentis, & ſuperioris diſpenſantis pendet. Pauca generatim delibabo. Et primum, quando certa eſt cauſſa & evidens, quæ ab obſervatione legis excuſet, non eſt neceſſaria diſpenſatio, quia neceſſitas non habet legem. Quid, ſi cauſſa dubia ſit? Dubitatione perſiſtente, neceſſaria eſt diſpenſationis petitio. Probabiliſtæ hanc auferunt dubitationem, media probabilitate. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 73. docent, eum qui *probabiliter* iudicat ſe habere ſufficientem infirmitatem, defatigationem, aliamve cauſſam, quæ excuſet eumdem a recitandis horis canonicis, a ieiunio &c. non indigere diſpenſatione, ſed abſque ea exemptum a lege eſſe. Hanc laxam doctrinam ſupra reiecimus. Cum enim iuxta Probabiliſtas ad probabiliter iudicandum ſat ſit aliquorum iuniorum auctoritas, quiſque facillime probabilitatem ſibi format; atque adeo communiter homines media hac vi probabiliſtica a lege exempti eſſent. Immo tum locus eſt diſpenſationi, quando probabiliter in utramque partem diſputatur.

II. Generalis regula quam communiter tradunt Patres, Concilia, præcipue Tridentinum, & Theologi, eſt, quod ſufficientia cauſſæ pro legitima diſpenſatione, accipienda, penſandaque ſit ex reſpectu ad bonum commune. Huc ſemper ſpecta-

ctare Prælatus, & quiſque diſpenſator debet, num videlicet diſpenſatio conducat bono communi, aut eidem ſaltem non repugnet. Præ oculis ſemper habeant hanc S. Thomæ doctrinam 1. 2. quæſt. xcvii. art. 4. ad 1. *Quando cum aliquo diſpenſatur, ut legem communem non ſervet, non debet fieri in præiudicium boni communis, ſed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat*. Spectanda eſt pietas, qualitas perſonæ petentis, temporum circumſtantiæ. Nam hoc tempore expedit diſpenſationis conceſſio, ſecus alio. Ratio quoque vitandi maioris mali, declinandi rerum turbationem, ſufficiens eſſe cauſſa valet pro diſpenſationis conceſſione.

III. Quæſt. I. *Quid, ſi de cauſſæ ſufficientia dubitetur?* Reſp. Diſtinguunt Probabiliſtæ dubitationem de ſubſtantia, ſeu de exiſtentia cauſſæ, num videlicet detur nec ne cauſſa; & dubitationem de cauſſæ ſufficientia. In primo caſu, inquiunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 75. & 76. diſpenſator ſupremus poterit valide, ſed non licite diſpenſare; inferior vero nec valide, nec licite. Diſtinctio de dubio ſuper ſubſtantia, & ſufficientia cauſſæ futilis eſt, & vana. Nam quando dubito, ſit ne cauſa ſufficiens, dubito, detur nec ne cauſſa pro diſpenſatione. Dubitas, an habeas incommodum; aut certus de incommodo, dubitas, ſatis ne illud ſit pro diſpenſatione. Dubitatio hæc, ad praxim quod attinet, eadem eſt. Immo dubitatio prior ſtultitia non vacat. Nam eſt, aut non eſt incommodum: ſolumque dubitari poteſt de eiuſdem ſufficientia pro diſpenſatione. Quæ dubitatio ſuperioris iudicio ſubiicienda ſincere eſt; & tum petens diſpenſationem tutus in conſcientia erit, diſpenſatione obtenta.

IV. Quæſt. II. *Valida ne eſt diſpenſatio, quando reipſa datur cauſſa ſufficiens pro eadem, ſi diſpenſator illam ignoret, & nihilominus diſpenſationem impertiatur?* Reſp. Certum penes omnes eſt peccare diſpenſatorem, dum iudicat non adeſſe cauſſam, & nihilominus diſpenſationem concedit. Certum etiam eſt non requiri in ſuperiore cognitionem iudicialem cauſſæ, ſed ſat eſſe privatam, qua prudenter, & mature cencedere diſpenſationem valeat; quamvis in iudicium revocari talis diſpenſatio queat. Diſputatur ſolum, valida ne ſit diſpenſatio, quando, vera extante cauſſa, eaque a diſpenſatore ignorata, is nihilominus mala fide diſpenſationem impertiat. Mihi probabilius eſt quod valida ſit, eaque uti tuta conſcientia diſpenſatus poſſit. Quandoquidem cognitio quam requirunt Concilia pro licita diſpenſatione, eo pertinet, ut exploretur, an reipſa cauſſa reperiatur. Porro ſi cauſſa legitima revera exiſtit; quod ſuperior eam ignoret, hæc ignorantia non aufert a ſuperiore poteſtatem diſpenſandi; ſed tantum declarat, pravam eſſe eiuſdem voluntatem, qua diſpenſationem impertit. Cur ergo valida non erit diſpenſatio hæc? Peccabit utique diſpenſator, cauſſa ignorata, diſpenſationem concedens. At quando reipſa vera & legitima cauſſa occurrit, & poteſtas adſit diſpenſandi, ignorantia diſpenſatoris nocere petenti diſpenſationem non poteſt.

Digitized by Google

Accedit: quando poſtulantes diſpenſationem manifeſtam habent cauſſam cur poſſint, & debeant diſpenſari, ſi certi eſſe de diſpenſatorum cognitione deberent, hoc nimium durum, & permoleſtum eſſet; & ſcrupulis atque perplexitatibus omnes diſpenſati torquerentur.

V. Quæſt. III. *Tenetur ne diſpenſator, cauſſa legitima occurrente, diſpenſationem impertiri illam petenti?* Reſp. Triplex diſtinguitur diſpenſatio, prohibita, debita, & permiſſa. Prohibita eſt quæ pugnat cum bono communi; nullaque occurrit cauſſa cur concedatur. Debita, quæ, neceſſitate urgente, concedenda eſt. Permiſſa, quæ, congrua extante cauſſa, negari, aut impertiri valet. Igitur ſuperior negare diſpenſationem poterit etiam tum cum ſufficiens diſpenſandi cauſſa adſit. Quoniam diſpenſatio, indulgentia, miſericordia, gratia communiter appellatur. Immo omnes fatentur, ſobrie, & raro diſpenſationes, etiam cauſſa ſufficiente occurrente, impertiendas eſſe. Diſpenſatio quippe quælibet legis vulneratio eſt. Quare ab infligendo legi hoc vulnere abſtinendum eſt, niſi congruentia ſit valde urgens. Poterit quandoque cum uno, ſecus cum altero diſpenſare; non tamen *pro libito*, ut volunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 80. quia nihil pro libito agere diſpenſator debet in tam gravi materia; ſed quia aut diverſa poſtulantium conditio, aut aliæ congruentiæ pro uno quam pro alio prævalent. Debita, & neceſſaria tum diſpenſatio erit, quoties urgens aut vitandi mali gravis, puta ſcandali, aut boni communis promovendi cauſſa poſtulaverit. Si quiſque impedire proximi malum, cum poſſit, aſtringitur; quanto magis Prælatus, qui vi officii ſui proſpicere ſubditorum bono, eoſque a malis defendere tenetur?

VI. Quæſt. IV. *Utrum impoſitio mulctæ pecuniariæ ſufficiens cauſſa ſit diſpenſationis concedendæ?* Reſp. Adfirmantem opinionem defendunt PP. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* V. *punct.* 4. *ſ.* 2. *num.* 49. ubi hæc habent. *Quando cauſſa iuſta diſpenſandi non adeſt, poteſt imponi illa mulcta pecuniaria: & ex illa reſultat ſufficiens cauſſa diſpenſationis.* Hæretici qui hæc legunt, anſam oblatrandi arripiunt, & infamandi leges noſtras, veluti *burſarias*, quaſi ideo condantur, ut earum diſpenſatione pecuniæ conquirantur. Quare, ut illorum ora obſtruamus, dicimus & Conciliorum, & Theologorum voce, numquam mulctam pecuniariam ſufficientem diſpenſandi cauſſam præbere. Sed, poſita congrua diſpenſandi cauſſa, opus interdum eleemoſynæ imponi merito poteſt. Et reipſa eleemoſynæ omnes quæ pro impedimentorum matrimonii diſpenſatione offeruntur, piis operibus applicantur. Omnis tamen ſuſpicio avaritiæ, & mercimonii auferenda eſt.

ſ. VII.

§. VII.

De diſpenſatione ſubreptitia, obréptitia, & per metum extorta.

I. FAmiliaris eſt diſtinctio diſpenſationis *ſubreptitiæ*, & *obreptitiæ*. Ea diſpenſatio dicitur *ſubreptitia* in qua poſtulator reticet ea quæ exprimenda in petitione ſunt iuxta ius, & conſuetudinem. *Obreptitia* tum eſt, quando in petitione falſitas exponitur. Diſpenſatio, ſive *ſubreptitia*, ſive *obreptitia*, nulla eſt. Siquidem ad diſpenſationis valorem conſenſus requiritur ſuperioris. Quoties reticetur veritas, aut exponitur falſitas, deeſt diſpenſatoris conſenſus. Ergo diſpenſatio nulla. In qualibet enim diſpenſatione hæc includitur conditio, *ſi res ita ſit*. Et hoc patet ex *cap. de fid. & inſtr.* ubi Innocentius III. inquit: *Si tales per ſuppreſſionem veritatis, aut falſitatis expreſſionem litteras noſtras etiam certas conſtiterit impetraſſe, carere volumus impetratis, & eis non obſtantibus, ad voti executionem compelli.*

II. Communia hæc, & obvia. At cuius veritatis reticentia, aut falſitatis expoſitio reddat diſpenſationem invalidam, definiri vix, ac ne vix quidem poteſt. Quæ communiora ſunt, indicabo. Si quidquam reticeatur, etiam ſine dolo, & culpa, eorum quæ ſecundum iura, & ſtilum Cancellariæ declaranda ſunt, ex *cap. 11. de filiis Presbyter.* diſpenſatio nulla eſt. Igitur ſi quidquam aut reticeatur veritatis, aut exponatur falſitatis quod pertineat ad cauſſam finalem, quæ videlicet movet, & inducit Papam, ſeu Principem ad diſpenſandum, diſpenſatio nulla eſt. Quam regulam omnes admittunt. Si autem taceatur veritas, aut exprimatur falſitas, quæ licet non inducat, impellit tamen Principem ad diſpenſandum, aliqui negant invalidam eſſe diſpenſationem. Sed celebris Fagnanus cap. *Super litteris*, num. 67. cum communiori Canoniſtarum conſenſu, etiam tum eam invalidam aſſerit; niſi ſubreptio oriatur ex inculpata ignorantia.

III. Quænam ſint veritates quæ non debent reticeri, aut falſitates quæ non debent exponi ſecundum iura, & conſuetudinem Cancellariæ, dicetur in tractatu de matrimonio. Interim hæc eſto regula generalis. Quando reticetur aliqua veritas, aut producitur aliqua falſitas, qua ſapientum, prudentumque iudicio caſus expoſitus vitiatur, invalida eſt diſpenſatio; etiamſi Pontifex diſpenſaturus fuiſſet, facti veritate narrata: quia ad diſpenſationem neceſſarius eſt conſenſus præſens voluntatis, nec ſufficit futurus. Porro quando caſus revera vitiatur, diverſus eſt a caſu vero. Ergo conſenſus præſens Pontificis non eſt in caſum verum, ſed in alſum. Quoties igitur caſus moraliter diverſus eſt per reticentiam veritatis, aut

expoſitionem falſitatis ; tum diſpenſatio nulla eſt . Heinc colliges , falſam eſſe illorum regulam qui dicunt , veritatis reticentiam , aut falſitatis narrationem tum non vitiare diſpenſationem, quando Pontifex diſpenſationem perinde conceſſiſſet , veritate narrata , & falſitate omiſſa. Quoniam conſenſus futurus , & conditionatus haud ſufficit ad diſpenſationis valorem , ut diximus ; ſed præſens requiritur .

IV. Diſpenſatio per metum extorta abſolute valida eſt : quia metus non tollit ſimpliciter voluntarium, & libertatem, ſed dumtaxat ſecundum quid, ut communiter dicitur. Ceterum, ſi diſpenſator abſolute non præberet conſenſum, licet verbis illum exterius proderet, nulla diſpenſatio foret . Porro an diſpenſator habuerit, nec ne voluntarium , liberumque conſenſum , quando metu coactus diſpenſationem conceſſit, præſumendum eſt, illum habuiſſe, quando verba conſenſum produnt : quia nemo præſumitur alium in verbis , alium in animo ſenſum habere , niſi id ex circumſtantiis conſtet. Si metus iniuſte incuſſus ſit, peccavit poſtulator metum incutiens; at, ſuppoſita vera, & legitima diſpenſationis cauſſa , uti conceſſa diſpenſatione poterit : quia, ſuppoſito conſenſu diſpenſatoris, diſpenſatio valida eſt, &, ſublato peccato metus iniuſte incuſſi , etiam licita . Quod ſit valida, conſtat ex dictis : quia iura excipiunt tantum matrimonium , & abſolutionem ab excommunicatione : quæ duo ex metu facta nulla ſunt ; ceteri autem contractus, & officia valida ſunt : quia exceptio firmat regulam in contrarium . Quod ſit etiam licita , præciſo peccato metus iniuſte illati , conſtat ex legitima cauſſa, quam ſupponimus exiſtere pro diſpenſationis conceſſione. Si vero metus iuſte incuſſus ſit, valida, & licita eſt diſpenſatio tum in petitione , tum in uſu . Poteſt autem ſuperior diſpenſationem ex gravi metu iniuſte ſibi incuſſo revocare in pœnam delicti ; & conveniens eſt ut eamdem revocet . Immo vix conſulerem ſubdito ut diſpenſatione uteretur metu iniuſte incuſſo extorta . Quandoquidem licet verum ſit metum abſolute non auferre libertatem , tamen ſuſpicandi ratio ſubeſt, habuerit nec ne ſuperior hunc liberum conſenſum. Et cum de valore actus agatur , conſultius erit confirmationem diſpenſationis conceſſæ poſtulare .

§. VIII.

§. VIII.

Quibus de cauſſis obtenta diſpenſatio ceſſet.

I. QUæſt. I. *Ceſſante cauſſa finali ob quam conceſſa diſpenſatio eſt, ceſſat ne diſpenſatio?* Reſp. Duo, ut certa, præmittenda ſunt. Si diſpenſatio ſortita ſit ultimum & totum ſuum effectum, revocari haud poteſt. Diſpenſatus quis eſt ad ineundum matrimonium, ad ſuſcipiendos ordines ſacros; poſt contractum matrimonium, poſt ſuſceptos ordines revocari diſpenſatio nequit. Si effectus dividuus ſit, & unum ſortita, ſecus alterum diſpenſatio fuerit; reſpectu huius, non illius, revocationi obnoxia diſpenſatio eſt. Quibus poſitis, dicendum primo eſt, diſpenſationem nullam eſſe, ſi cauſſa finalis, ſeu inducens & movens non conſiſtat tempore quo a Papa, vel eius Pœnitentiario diſpenſatio Impertitur. Quia, nulla exiſtente cauſſa, ſuperiores concedere diſpenſationes nolunt, nec poſſunt. Idem dicendum, dum eiuſmodi cauſſa ceſſat, antequam delegatus a Papa commiſſionem diſpenſandi executus fuerit. Porro hæc cauſſa finalis, niſi ſit individua, ceſſare vel in toto poteſt, vel in parte. Si ceſſet tantum in parte, conſiſtit diſpenſatio. Difficultas itaque tota in hoc vertitur, num, ceſſante omnino cauſſa finali principali, & inducente (de minus principali nec diſputatur) poſt obtentam diſpenſationem, antequam executioni demandetur, eadem perſiſtat, valeatque diſpenſatus illa licite uti. Duplex eſt ſententia. Salmanticenſes *tract.* xi. *cap.* v. *punct.* 8. *num.* 88. utramque de more probabilem aſſerunt, ipſique negantem amplectuntur: quia, inquiunt, ſemel ablata per diſpenſationem lege, hæc non reviviſcit, niſi per novum actum legiſlatoris. Legiſlator, ſeu ſuperior, qui diſpenſationem conceſſit, legem non renovat. Ergo conſiſtit, & durat diſpenſatio. Contra lex ceſſat ceſſante cauſſa finali in totum: quia ad legis ceſſationem non requiritur novus legiſlatoris actus, quemadmodum neceſſarius eſt ad renovandam legem per diſpenſationem ablatam. Pro hac opinione laudant *Caſtropalaum*, *Perez*, *Salas*, *Suarez*.

II. Oppoſita opinio mihi probabilior eſt, immo unice vera, præcipue ſi diſpenſatio eximat ab obſervatione alicuius præcepti, puta audiendi Sacri, ieiunandi, recitandi divinum officium &c. Quis Chriſtianorum, ſincerus ſuæ ſalutis amator & ſtudioſus, a dictis præceptis ſervandis abſtinebit, propterea quod ex iuſta cauſſa diſpenſatus fuit, ſi hæc cauſſa omnino evanuit? Adeo mihi comperta hæc veritas eſt, ut eam efficacius probare nequeam quam ad intimum communemque ſenſum Chriſtianorum eam appellando. Laboras incommodo, quod duraturum per totam Quadrageſimam bona fide exiſtimas: ideo pro tota Quadrageſima im-

petras diſpenſationem a ieiuniis, ab audiendo Sacro, a recitando divino officio Obtenta diſpenſatione, poſt unam aut alteram hebdomadam convaleſcis, ſanus evadis. Hoc in caſu liber eris a ieiunio, ab officii recitandi, ab audiendi Sacri onere? Communi Chriſtianorum ſenſui hoc ego repugnare exiſtimo.

III. Contrariæ opinionis argumentatio ſophiſtica eſt, & cavillatoria. Diſpenſatio non tollit legem, ita ut diſpenſator renovare legem debeat (inane eſt commentum iſtud) ſed eximit ab obſervatione legis, cauſſa exemptionis ſuppoſita, & durante. Dum hæc evaneſcit, lex ſuum effectum habet, obligatque, quin opus ſit novo actu legem inſtaurari, cum numquam ablata lex fuerit.

IV. Ut nimium laxam, & communi ſenſui repugnantem reiicimus ſequentem opinionem Salmanticenſium loc. cit. num. 91. *Si detur infirmitas quæ moraliter iudicabatur perpetuo duratura, & obtineas a Pontifice diſpenſationem comedendi carnes pro tota vita, non recitandi officium divinum, non ieiunandi; etiamſi poſtmodum ſalutem PERFECTAM acquiras, poteris uti tali diſpenſatione, donec a Pontifice revocetur. Idem dicimus, ſi pro hoc anno, pro hac Quadrageſima obtineas diſpenſationem a ſuperiore non ieiunandi, vel abſtinendi a carnibus, quia infirmitas pro tota illa cenſetur duratura; etiamſi per accidens ceſſet, potes uti tali diſpenſatione. Ita Auctores citati, qui licet non omnes ita in particulari loquantur, mens tamen illorum eſt quam diximus.*

V. Non multis opus eſt ut tantam laxitatem refellam. Seipſa enim communi ſenſui horrorem ingerit. Etiamſi *perfectam ſanitatem* recuperes, poteris comedere carnes, non audire Sacrum, non ieiunare, non recitare horas canonicas? Cur hoc? Quia infirmitas *per accidens* ceſſat? Etiam hic locum hæc diſtinctio *per accidens*, & *per ſe* habet? Ut alias dixi, & dicam ſæpius, Salmanticenſes Theologos pluribus nominibus magni facio; at non propterea, ſi quid æquo laxius doceant, cum lectorum detrimento præterire illud debeo. Quin quo ſunt maioris auctoritatis, eo diligentius admonendi lectores ſunt, ne facilius ſe in errorem pertrahi ſinant.

VI. Quæſt. II. *Ceſſat ne diſpenſatio ob mortem diſpenſatoris?* Reſp. Si diſpenſatio abſolute conceſſa ſit, duretque diſpenſationis cauſſa; non ceſſat ob mortem concedentis: quoniam diſpenſatio donationi comparatur, quæ facta, & acceptata durat etiam poſt mortem donatoris. Obtinuiſti diſpenſationem pro integra Quadrageſima; uti eadem vales, etiamſi in media Quadrageſima diſpenſator mortuus fuerit. Contra, ſi conditioni illigata diſpenſatio fuerit, ceſſat morte diſpenſatoris; ut ſi eiuſmodi clauſulis circumſcripta ſit, *donec nobis placuerit*, *ad arbitrium noſtrum* &c. Quid, ſi, antequam diſpenſator decedat, inceptus ſit actus, ſeu iudicium? Poteris inceptum iudicium perſequi. Facultatem obtinuiſti audiendi confeſſio-

ſiones Titii, abſolvendi a cenſuris Sempronium, incepta ante mortem diſpenſatoris iudicia perficere vales.

VII. Quæſt. III. *Poteſt ne diſpenſator ſuam revocare diſpenſationem?* Reſp. Si diſpenſator diſpenſationem abſque legitima cauſſa impertiit, non modo revocare illam valet, ſed tenetur, etiam in opinione illorum qui validam talem diſpenſationem eſſe propugnant. Diſpenſationem vero ob iuſtam cauſſam conceſſam, atque adeo validam, & licitam, ſemper revocare diſpenſator poteſt ob novam occurrentem cauſſam. Abſque cauſſa vero iuſtam, licitamque diſpenſationem revocare nec debet, nec licite poteſt. Quia ſicuti peccaret diſpenſator, ſi abſque cauſſa diſpenſationem concederet; ita peccaret, ſi pro libito eamdem revocaret: quia nihil pro arbitrio agere licitum eſt, ſed rationabilis cauſſa dirigere actionem quamlibet debet. Revocatio tamen, etiam arbitraria, valida eſt; nec uti quis diſpenſatione revocata poteſt.

VIII. Inferior nequit diſpenſationem a ſuperiore conceſſam revocare: contra, ſuperior valet diſpenſationem conceſſam a ſubdito inferiore revocare; ſive diſpenſatio ſit in legibus latis ab ipſo ſuperiore, ſive in legibus eiuſdem inferioris. Quare Pontifex ſummus revocare diſpenſationes impertitas ab Epiſcopis in egibus ſive pontificiis, ſive epiſcopalibus, & diœceſanis valet. Ut tamen licita revocatio ſit, ex rationabili cauſſa eſſe debet. De valore enim non diſputatur; cum ſemper valida ſit revocatio facta a legitimo ſuperiore. Quando tamen inferior diſpenſat in lege ſuperioris ex iuſta cauſſa, datam diſpenſationem illum revocare non poſſe, docent Salmanticenſes *loc. cit. num.* 99. & laudant *Sanchez*, *Bonacinam*, *Salas*, *Martinez*: quia ſicut inferior valide ſine iuſta cauſſa diſpenſare in legibus ſuperioris nequit, ita revocare iuſtam diſpenſationem ſine cauſſa non poteſt. Hæc opinio abſolute mihi non arridet. Nam inferior in legibus ſuperioris denegare diſpenſationem poteſt, etiamſi iuſta occurrat cauſſa diſpenſandi, dummodo neceſſitas manifeſta non urgeat. Quidni ergo & datam diſpenſationem revocare valide poterit, etiam abſque peculiari cauſſa? Diſpenſatio omnis vulneratio legis eſt. Eccur non poterit diſpenſator auferre hoc legis vulnus? Hæc ſola vulneris ablatio iuſta eſſe cauſſa revocationis poteſt. Quod tamen limitandum dico, niſi ex revocatione ſcandalum, aut damnum ſequatur. Quoniam tum diſpenſatio foret neceſſaria; & ideo revocatio nulla tum dici poſſet.

IX. Quæſt. IV. *Quandonam ceſſat diſpenſatio per renuntiationem?* Reſp. Quando renuntiatio eſt ſine damno tertii, & ante ſecutum effectum facta a diſpenſato, tollit diſpenſationem: quia quiſque renuntiare proprio favori valet. Diſpenſationem vero non infringit renuntiatio quæ fit in damnum tertii. Defloraſti conſanguineam: obtines diſpenſationem ducendi eam in matrimonium. Diſpenſa-

ſationi huic renuntiare nequis, quod talis renuntiatio eſſet in præiudicium tertii. Renuntiatio quoque nulla eſt, ſuperiore legitimo uſum diſpenſationis præcipiente.

X. Ut itaque renuntiatio valida ſit, duo requiruntur, voluntas diſpenſati, & voluntas diſpenſatoris. Uſquedum enim diſpenſator non acceptat renuntiationem, diſpenſatio non intelligitur abrogata. Duobus modis diſpenſatus renuntiare diſpenſationi valet, expreſſe, & tacite: illa verbis, hæc ſignis peragi valet. Completa renuntiatione, nullus amplius diſpenſationis uſus. Diſputant Theologi, quando colligendum ſit, diſpenſatum tacite renuntiaſſe diſpenſationi. Aliqui contendunt, non uſum decennalem ſat eſſe ad inferendum, diſpenſatum renuntiare diſpenſationi, quando, oblata occaſione eadem utendi, numquam uſus eadem ille ſit. Sed merito alii hanc impugnant opinionem: quia omiſſio utendi diſpenſatione nullo modo pugnat cum voluntate eamdem retinendi. Omiſſio enim uſus cum ſola uſus poſitione pugnat. Sola ergo taciturnitas, aut omiſſio utendi diſpenſatione ſignum ſufficiens non eſt, diſpenſatum eidem renuntiaſſe. Sed aliæ circumſtantiæ requiruntur, ex quibus ſolis colligi poterit quod diſpenſatus cedere iuri & favori ſuo velit.

XI. Et hæc de diſpenſatione dicta ſufficiant: quoniam plura in aliis tractatibus dicta ſunt; & plura, quando de ſacramento matrimonii ſermo erit, dicturi ſumus. Fuſe quoque diſputavimus de diſpenſatione votorum, ubi communem vulgaremque opinionem illam quæ docet, Regulares privilegio potiri diſpenſandi ab obligatione votorum, reiecimus.

CAPUT VI.

De lege non ſcripta, ſeu de conſuetudine.

NIL frequentius hominibus eſt quam abuſus, & corruptelas conſuetudinis larva obtegere. Peccata ipſa, cum a multitudine perpetrantur, conſuetudinis fuco delinita prodire in publicum non erubeſcunt, & tantum non legis vim ſibi uſurpant. Torrentem rapidiſſimum, ſecum omnia abripientem, vitioſum morem, ſive iniquam conſuetudinem Patres appellant. Acriter omnes in hoc conſuetudinis ſimulacrum invecti ſunt. Salomon ipſe adverſus pravas conſuetudines clamavit., inquiens Sap. v. *Interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt*. S. Auguſtinus *Lib. de fid. ſp. & car. cap.* IV. acriter contra iniquæ conſuetudinis præſtigia invectus eſt. *Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis obiiciunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate. In Evangelio Dominus ait:* Ego ſum veritas. *Non dixit, Ego ſum con-*

conſuetudo . Itaque cedat conſuetudo veritati . Conſenſerunt iura peccatis , & cœpit irritum eſſe quod publicum eſt : clamat Cyprianus . Nobis in præſentia , non de prava, ſed de iuſta conſuetudine ſermo habendus eſt. Et quia ſæpe fucata cum genuina , adultera cum ſponſa , prava cum iuſta conſuetudine confunditur ; idcirco indolem , & prærogativas veræ conſuetudinis ſequentibus paragraphis explicabimus .

§. I.

Quid, & quotuplex ſit conſuetudo.

I. COmmunis conſuetudinis finitio ea eſt quam tradit S. Iſidorus *Lib.V. cap.* III. *etymolog.* videlicet : *Eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, ubi deficit lex* . Dupliciter accipi conſuetudo ſolet , pro iure nempe, & pro facto . Conſuetudo facti non aliud eſt quam actuum repetitio , & uſus , ſeu mos ; eſtque veluti materia ipſius conſuetudinis iuris. Ex repetitione enim actuum humanorum proficiſcitur conſuetudo iuris ; quæ vim legis obtinet . Et hic eſt ſignificatus prioris partis datæ definitionis : *ius quoddam moribus inſtitutum* . Ius iſtud non voce , non ſcripto , ſed moribus , ſeu actuum repetita frequentia paritur. Clarior eſt, & opportunior hæc altera definitio. Conſuetudo eſt *ius rationabile*, *legitimo tempore præſcriptum*, *moribus perfectæ communitatis volentis ſe obligare*, *& Principis conſenſu inductum* . Rationabilis ſit oportet conſuetudo, non ſecus ac lex : quia utraque bonum communitatis publicum ſpectare debet. Quare nulla conſuetudo vim legis aſſequi valet quæ ſit contra bonum commune ſocietatis . Tempus congruum neceſſarium eſt , quod decennii intervallo concludi ſolet . Sed de hoc infra . Non cuiuſque ſocietatis , ſed perfectæ dumtaxat mores conſuetudinem inducunt . Societatem autem perfectam , non domus , non conventus, non collegium , ſed civitas , provincia , regnum conſtituunt. Requiritur præterea quod moribus communitatis volentis ſe obligare , inducatur . Nec ſatis ad conſuetudinem invehendam eſt actuum frequentia aut ex liberalitate , aut ex devotione ; ſed ex intentione ſe ſe obligandi induci debet . Animadvertit tamen Dominicus Soto *Lib. I. de iuſtit. & iur. quæſt.* III. *artic.* 4. interdum contingere quod conſuetudinis initium , ex devotione inceptum , continuari ex obligatione poſſit . Quando vero id contingat , ex circumſtantiis colligi debet.

II. Conſuetudo deſcripta convenit, & differt a ſtilo, & præſcriptione. Cum ſtilo convenit : quia & ſtilus conſuetudo quædam eſt, ſed limitata ad fori iudicia . Hinc Romanæ Curiæ ſtilum facere legem ICti docent , quatenus ex uſu & more

re quo Romæ deciduntur lites, reſolvuntur quæſtiones propoſitæ, expediuntur bullæ, reſcripta, ceteraque diplomata, conſurgit conſuetudo, quæ ſervari in iudiciis, & talium diplomatum expeditione ſolet. Differt autem ab hoc ſtilo abſoluta conſuetudo, quæ omnes actiones comprehendit, & ad omnes ſe ſe extendit materias quæ cedere in bonum communitatis poſſunt. Convenientia conſuetudinis cum præſcriptione in hoc ſita eſt, quod etiam præſcriptio requirit aliquod tempus, & quidem non interruptum; non voce, vel ſcripto, ſed facto, ex quo oritur ius, inducitur. Differt autem a præſcriptione conſuetudo, quod hæc communitatem reſpicit, illa etiam in ſingulari perſona reperitur. Conſuetudo vim legis, præſcriptio dominium parit. Hæc bonam fidem poſtulat, illa etiam ab actibus malis repetere orſa ſua poteſt. Conſuetudo tacitum, aut expreſſum conſenſum ſupremæ poteſtatis poſtulat, ſecus præſcriptio.

III. Conſuetudo triplex. Alia *contra legem*, quæ novam legem non inducit, ſed abrogat veterem. Alia eſt *ſecundum legem*, quæ non tam conſuetudo, quam obſervantia ſeu interpres legis eſt; &, lege abrogata, ceſſat quoque conſuetudo. Tertia tandem conſuetudo eſt *præter legem*: & hæc ex frequentia producitur actuum in materia de qua lex ſcripta nihil decernit. Hæc ſola vim legis, ſeu novum ius inducit, quando ceteræ conditiones adſint.

IV. Rurſus dividi in rationabilem, & in irrationabilem conſuetudo ſolet. Hæc tamen diviſio impropria eſt: quia conſuetudo irrationabilis putida eſt corruptela. Ulterius dividitur ratione materiæ in eccleſiaſticam, & civilem. Illa actibus ad finem ſpiritualem, hæc actionibus ad finem politicum ordinatis invehitur.

§. II.

Quinam conſuetudinem invehere poſſint: & quæ conditiones ad veram conſuetudinem requirantur.

I. Conſuetudinem abrogantem legem introducere illi ſoli valent qui legem ſervare tenentur. Lex quippe abrogatur per actus contrarios. Porro ii dumtaxat qui legis obſervationi ſubiecti ſunt, actus legi contrarios edere queunt. Sola tamen perſona privata, etiamſi Princeps ſit, nequit conſuetudinem inducere: quia quemadmodum lex, ita & conſuetudo communitatem ſpectat: immo nec communitas imperfecta, ut familia, collegium &c. ſed ſolum communitates perfectæ, ut civitates, provinciæ, regna conſuetudinem inducere poſſunt, ut iam dixi. Quamvis civitates, provinciæ, & regna, quæ a ſuprema poteſtate diriguntur, nequeant leges condere, poſſunt tamen conſuetudinem inducere. Sufficit ad invehendam conſuetudinem communitas perfecta capax ut legibus dirigatur: quia tum ex Princi-

pis

pis tacito conſenſu conſuetudinem, quæ vim legis habet, introducit. Neceſſe tamen eſt ut maior communitatis pars in actuum frequentia, vel in eorum omiſſione concurrat, ut conſuetudo introducatur. Pueri, amentes nec legibus dirigi, nec conſuetudinem inducere valent. Hominum cœtus nequit inducere conſuetudinem abrogantem leges feminarum, nec e contrario. Sicut nec homines laici leges Eccleſiaſticorum, nec Eccleſiaſtici laicorum leges poſſunt aliqua conſuetudine abrogare, aut conſuetudinem vim legis habentem inducere. Cœtus mercatorum, ſicut peculiaribus legibus diriguntur, ſic invehere conſuetudines queunt. Denique quælibet communitas quæ ſuas particulares leges habet, poteſt conſuetudinem ſive abrogantem, ſive vim legis obtinentem inducere.

II. Quæſt. I. *Quot ſunt conditiones ad veram conſuetudinem neceſſariæ?* Reſp. Quinque pro vera conſuetudine requiruntur conditiones. I. quod ſit rationabilis. II. quod ſit ex publica frequentatione actuum liberorum. III. quod congruo temporis intervallo duret. IV. quod interveniat Principis conſenſus. V. quod ex animo obligandi inducatur.

III. Ea eſt rationabilis conſuetudo quæ bono communi congrua, & utilis eſt. Si ſit indifferens, bonoque communi inutilis, aut contraria; vim conſuetudinis obtinere nequit ob rationem iam datam, quod conſuetudo naturam legis induit, quæ ſemper eſt propter bonum commune. Heinc contra legem, ſive divinam, ſive naturalem, nulla prævalere conſuetudo poteſt: quia actus contrarii iſtis legibus intrinſecus vitioſi ſunt; ideoque numquam rationi conformes. Ita docet S. Thomas, cui omnes Theologi ſubſcribunt, 1. 2. quæſt. XCVII. art. 3. ad 1. *Lex naturalis, & divina procedit a voluntate divina, ut dictum eſt: unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis; ſed ſolum per auctoritatem divinam mutari poſſet: & inde eſt quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem divinam, vel legem naturalem.*

IV. Contra legem ergo humanam prævalere dumtaxat conſuetudo poteſt. Quia licet omnis lex humana, ut iuſta ſit, rationabilis eſſe debeat; evenire tamen circumſtantiæ poſſunt vi quarum irrationabilis evadat: & ideo rationabilis ſit oppoſita conſuetudo oportet. Mos quippe ipſius populi diu continuatus circumſtantia eſt vi cuius interdum non expediat legem veterem obſervare. Mirabilis eſt doctrina quam tradit Angelicus loc. cit. ad 2. *Poſſibile eſt quandoque præter legem agere, in caſu ſcilicet in quo deficit lex; & tamen actus non erit malus. Et cum tales caſus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis; ſicut etiam manifeſtaretur, ſi lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc manet ratio eadem propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit: niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ,*

triæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis removere. Igitur quando lex ipſa, licet aliunde bona, propter univerſalem multitudinis contrarietatem obſervatu vix poſſibilis eſt, ipſa populi contrarietas circumſtantia eſſe poteſt ob quam lex ſit inutilis, & prævalere conſuetudo oppoſita debeat. *Difficile enim eſt*, inquit Angelicus, *multitudinis conſuetudinem removere*. Advertendum tamen, quod, ſi conſuetudo ſit bono communi ſocietatis adverſa, numquam conſuetudo, ſed corruptela erit. Illæ vero bono communi ſocietatis oppoſitæ ſunt conſuetudines quæ laxitates invehunt, ſubditoſque ſolutiores efficiunt, ut infra fuſius dicetur.

V. Triplicem conſuetudinis ſtatum diſtinguunt Theologi, inceptionis, progreſſus, & præſcriptionis. Qui contra legem conſuetudinem introducunt, peccant toto tempore quo lex prævalet. Quare non ſolum in exordio, ſed etiam in progreſſu iſti legem violant. Salmanticenſes *tract.* XI. *cap.* VI. *punct.* 3. *§.* 1. *num.* 13. docent, non peccare eos qui violant legem in progreſſu conſuetudinis: & citant pro hac opinione *Monteſinos*, *Caietanum*, *Caſtropalaum*, *Laymannum*, *&* *Soto*. Expendere omnes non vacat; nec eſt operæ pretium. Unum examinavi Dominicum Soto *Lib. I. de iuſt. & iur. quæſt.* VII. *art.* 2. *ad* 2. ubi dumtaxat aſſerit, abrogata lege per conſuetudinem, hac utentes non peccare; quod omnes aſſerimus. At uſquedum lex prævalet, non video qua eximi ratione a peccato poſſint illi qui legem violant. Quoniam ſi, antequam lex præſcribat, ſecundi reſiſterent primis, lex vigorem non amitteret.

VI. Quæſt. II. *Quodnam tempus requiritur ad introducendam conſuetudinem?* Reſp. Omnes adfirmant longum tempus requiri ad conſuetudinem inducendam. Sed circa eiuſdem definitionem non una eſt omnium ſententia. Alii volunt definitam deſignari quantitatem non poſſe, ſed arbitrio prudentum relinquendam: nam in aliqua materia brevius, in alia longius tempus neceſſarium eſt. Ut conſuetudo introducatur contra ea quæ ſingulis diebus, aut hebdomadibus occurrunt, brevius tempus exigitur quam ut conſuetudo invehatur adverſus ea quæ ſemel in anno contingunt. Alii decennio tempus iſtud comprehendi ſtatuunt: quoniam, inquiunt, iura longum tempus poſtulant ad introducendam conſuetudinem. Sed decennium longum tempus reputatur. Igitur iſtud intervallum ſufficiet.

VII. Alii diſtinguunt legem civilem a canonica. Pro conſuetudine contra illam decem, contra hanc quadraginta annos poſtulant. *Caſtropalaus*, *Leſſius*, *Azorius*, & alii pro utraque decennium ſufficere defendunt. Nihil certi definiendum mihi occurrit. Sed circumſtantiæ ſpectandæ ſunt, potiſſimum quæ ſit & natura legis abrogandæ, & indoles conſuetudinis invehendæ, & communis prudentum conſenſus.

VIII. Salmanticenſes *loc. cit. §.* 2. *num.* 18. docent, *ſufficere dictum unius eximii* *Do-*

Doctoris aſſerentis, tempus ad conſuetudinem requiſitum præteriiſſe, ut per eam lex abrogata cenſeatur; etiamſi plures alii oppoſitum ſentiant. Germen hoc eſt inquinatæ radicis probabiliſticæ. Declinare ſibi blandiuntur Editores poſteriores qui iſtorum Auctorum opera recuderunt, damnatam ab Alexandro VII. opinionem 27. quia in proſcripta ſententia dicitur: *Si liber ſit alicuius iunioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat reiectam a Sede apoſtolica tamquam improbabilem*. Ut vides, aſſuta eſt lacinia hæc, ad honeſtandam doctrinam præcedentem: quia ſubdunt: Diximus unius eximii & præcellentis Doctoris dictum reddere opinionem probabilem. Opinio damnata hanc auctoritatem conſtituendi opinionem probabilem adſcribebat Doctori non *eximio*, non *præcellenti*, ſed iuniori & moderno. An non Doctores eximii & præcellentes iuniores & moderni? Quis legitimus iudex, num ille Scriptor *eximius* ſit, an non *eximius*? Qua facilitate dicitur, ſufficere unum Doctorem ad efficiendam opinionem probabilem, eadem quoque definitur, hunc iuniorem Doctorem eſſe eximium, præcellentem, illuminatum, emeritumque Præſentatum. Obiter, data occaſione, dico his voculis non eſſe apoſtolica decreta deludenda. Auctoritas unius contra plures nulla eſt iuxta communem ſenſum; niſi rationes iſtius unius prævaleant rationibus a pluribus allegatis. Sed hæc præter inſtitutum, opportune tamen ad profligandam laxitatem.

IX. Tempus conſuetudini invehendæ idoneum, continuatum moraliter ſit neceſſum eſt. Nulla ſuper hoc difficultas. Hoc ipſum in præſcriptione neceſſarium eſt. Quare ſi intra temporis intervallum communitas, aut maior pars communitatis agat contra invectam conſuetudinem, aut ſi Princeps reſiſtat, interruptum tempus eſt, & elapſum amplius non computatur.

X. Quæſt. III. *Quinam actus, & quæ eorumdem frequentia requiritur ad veram conſuetudinem?* Reſp. Communis ſententia eſt quod actus iſti debeant eſſe liberi, publici, & frequentes. De frequentia actuum non una eſt opinio. *Diana*, *Leſſius*, *Martinez*, *Reginaldus* docent ſufficere duos aut tres actus ad inducendam conſuetudinem: quia, inquiunt, quod bis aut ter fit, frequenter fieri dicitur. Hæc opinio communiter reiicitur: quia conſuetudo longo tempore introducitur. Bis vel ter in longo tempore frequentiam non præferunt. Quot porro actus neceſſarii ſint ad hanc frequentiam, nemo definire præciſe valet. Prudentum arbitrio id relinquendum eſſe, res ipſa declarat. Nam in una materia plures requiruntur, in alia pauciores ſufficiunt actus qui patefacere debent firmum, & univerſalem populi conſenſum.

XI. Altera conditio actuum eſt, quod ſint liberi, ſeu humano modo exerciti: quemadmodum enim lex a ratione, ita & conſuetudo proficiſci debet. Quare ſi populus metu coactus quidquam agat, non præſumitur velle conſuetudinem inducere. Heinc ſequitur, ignorantiam quoque impedire ne conſuetudo introducatur,

tur, quia ignorantia aufert libertatem. Igitur quando populus ignorans aliquam legem reapſe extantem, actus frequentat contra eamdem, conſuetudinem non inducit : quia præfati actus non ſunt liberi, & humani ex defectu cognitionis. Similiter quando ex cauſſa falſo iudicata inducitur aliqua conſuetudo, cauſſa cognita, conſuetudo evaneſcit.

XII. Tertia conditio eſt, ut hi actus frequentes, & liberi, ſint publici, & notorii : quandoquidem actus occulti non poſſunt dici facti ex communi ſocietatis, & Principis conſenſu. Præterea ſicut ad legem ſcriptam neceſſaria eſt publica promulgatio, ita ad legem non ſcriptam neceſſaria eſt hæc promulgatio quæ non voce, ſed publica factorum frequentia peragitur.

XIII. Diſputant Auctores, num hæc publica notitia iuris eſſe debeat, an facti. Aliqui contendunt, neceſſariam eſſe iuridicam manifeſtationem, quæ videlicet in iudicio publice prolata ſit. Sed probabilior ſententia eſt quæ defendit, ſat eſſe publicam manifeſtationem facti. Conſuetudo enim vim ſuam obtinet a populi, & Principis conſenſu. Quando facto ipſo notum eſt populum, & Principem ſupremum in eamdem conſenſiſſe ſententiam, ſuperfluit probatio iuridica in tribunali, quæ tum neceſſaria ad ſummum foret, quando veritas facti in diſcrimen adduceretur; at cum de facti veritate nulla ſuboritur dubitatio, non eſt cur notitia iuridica exigatur.

XIV. Quarta conditio conſuetudinis eſt, ut populus animo ſeſe obligandi eamdem inducat, eamque tali animo toto tempore neceſſario pro conſuetudine continuet. Si enim initium ex animo ſeſe obligandi fuerit, progreſsus vero ex ſola devotione fiat; conſuetudo vim legis non obtinet. Plures ſunt conſuetudines, ſola devotione partæ, & fultæ; ut aſperſio aquæ benedictæ in ingreſsu Eccleſiæ ſalutatio angelica ad B.Virginem facta ſero & mane, dum campana ſonat; cinerum aſperſio fer. 4. Quadrageſimæ; acceptio ramorum dominica Palmarum; plures vigiliæ in Sanctorum honorem. Intentio hæc obligationis imponendæ aut ſeverior, aut mitior eſſe valet. Nam poteſt aut ſub levi, aut ſub gravi culpa, aut ſub pœna tantum, omni culpa excluſa, aut ſub culpa tantum veniali introduci.

XV. At undenam colligi poteſt, communitatem aliquam animum habuiſſe ſeſe obligandi ex præcepto, aut ſolum ex devotione, liberalitate, & urbanitate in conſuetudine invecta? Hæc ſolent aſſignari indicia. I. Quando populus in materia ſuapte natura gravi uniformi obſervantia talem conſuetudinem ſervavit. II. Si ſuperiores eiuſmodi conſuetudinis violatores ſevere reprehendant, & puniant. III. Si viri prudentes, optimeque morati culpæ damnarent conſuetudinis tranſgreſſores. Quando hæc tria ſimul concurrant, niſi conſtet ſocietatem ſe noluiſſe ſub culpa obligare, colligendum videtur ſub obligatione invectam fuiſſe conſuetudinem. Regula tamen conſtitui univerſalis nequit. Actus enim quibus conſuetudo

in-

invehitur, indifferentes cum ſint, & liberi, nonniſi ex perſonarum, temporum, materiæ diverſitate, aliiſque circumſtantiis definiri hæc obligatio poteſt. Genius quoque ſocietatis ſpectandus eſt. Nam ſi ſocietas communiter refugiat obligationem inducere ſub culpa; regula hinc erui poteſt pro conſuetudine interpretanda, ne ſub culpa obliget.

XVI. Ultima ad conſuetudinem neceſſaria conditio eſt conſenſus ſupremæ poteſtatis. Qui conſenſus aut tacitus, aut expreſſus eſſe poteſt. Lubet huc tranſcribere doctrinam S. Thomæ 1. 2. quæſt. XCVII. art. 3. ad 3. *Si enim ſit libera multitudo quæ poſſit ſibi legem facere, plus eſt conſenſus totius multitudinis ad aliquid obſervandum, quod conſuetudo manifeſtat, quam auctoritas Principis, qui non habet poteſtatem condendi legem, niſi inquantum gerit perſonam multitudinis. Unde licet ſingulæ perſonæ non poſſint condere legem, tamen totus populus condere legem poteſt. Si vero multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a ſuperiori poteſtate poſitam removendi; tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudinis legem imponere: ex hoc enim ipſo videntur approbare quod conſuetudo introduxit.*

XVII. Porro, ne corruptelæ ſub larva conſuetudinum inſidioſe occultentur, advertendum eſt, tum patientiam, & tolerantiam Principum, & ſuperiorum eſſe argumentum, & ſignum taciti conſenſus, quando Principes, & ſuperiores ſunt vigiles, & experrecti in extirpandis corruptelis, quando zelo Dei, & ſtudio ſervandarum legum ſuccenſi ſunt, & quando nullum grave obeſt impedimentum aut vitandi maioris mali, aut declinandæ rebellionis. Quare admitto, tacitum conſenſum ſatis eſſe ad conſuetudinem invehendam, & aliarum actionum valorem; ſed nego, ſemper tolerantiam, & patientiam ſuperiorum ſignum eſſe validum taciti conſenſus, ut fuſius ſupra explicui. Ex pluribus enim principiis proficiſci hæc patientia, tolerantia, & taciturnitas valet.

XVIII. Plures docent, neceſſarium minime eſſe ut Princeps habeat notitiam præciſam conſuetudinis invehendæ; ſed ſat eſſe illum habere notitiam generalem, generalemque præbere conſenſum. Quam doctrinam abſolute non improbo; dummodo conſuetudo rationabilis ſit, bonoque communi conſentanea. Quando tamen conſuetudo introducenda derogat iuribus Principis, tum non videtur introduci conſuetudinem poſſe abſque notitia eiuſdem Principis. Quia non eſt præſumendus conſenſus Principis in conſuetudinem quam ille ignorat. Si enim conſuetudo fugit Principis notitiam, prohibere eam ille nequit. Quare plures Eccleſiarum conſuetudines Concilium Tridentinum declaravit eſſe corruptelas. Et ſane quod vim legis obtineant abſque expreſſo, aut tacito Pontificis conſenſu conſuetudines quæ ſunt adverſus iura pontificia, non videtur rationi conſentaneum. Ceterum hæc omnia

omnia ex variis circumſtantiis definienda ſunt. Illud magnopere cavendum, ne ſub fuco conſuetudinis corruptela ſerpat. Huc pertinent conſilia noſtra in hac impedita materia.

CAPUT VII.

De triplici conſuetudinis effectu, & de modis quibus conſuetudo ceſſat.

I. TRes iuxta communem doctrinam ſunt conſuetudinis, vim legis habentis effectus. Primus obligatio in conſcientia. Alter abrogatio legis veteris Tertius interpretatio legis.

II. Et ad primum quod attinet, conſuetudo, vim legis obtinens, legis conditiones induit quantum ad obligationis effectum. Quare ſicuti lex, ita poteſt conſuetudo obligare ſub culpa gravi, vel levi; quod ex animo & intentione illam introducentium pendet. Ideo obligat tantum populum illum a quo introducta eſt, ſecus alterum. Quando conſuetudo indiſcriminatim tum a laicis, tum a Clero invehitur in rebus ſacris, ut in obſervatione feſtorum, ieiuniorum, precum, omnes obligat: quia tum unicus populus chriſtianus eſt ſub uno capite conſentiente. Si vero conſuetudines iſtæ ſacræ introducantur aut a ſolis laicis, aut a ſolis Clericis aut a ſolis Regularibus; tum obligatio unius ſocietatis non extenditur ad alteram. Quælibet ex his ſocietatibus peculiaribus legibus dirigitur: idcirco quælibet ſuas invehere conſuetudines valet, quin conſuetudo unius extendatur ad alteram; quemadmodum conſuetudines unius civitatis, provinciæ, aut regni non dilatantur ad alteram civitatem, provinciam, vel regnum. Communia hæc ſunt.

III. Secundus effectus conſuetudinis eſt antiquæ legis abrogatio. Lex enim humana a voluntate hominum pendet: ergo qua voluntate invecta eſt, eadem abrogari poteſt, aut lege ſcripta, aut lege non ſcripta, nempe conſuetudine. Abrogare autem poteſt legem aut quantum ad pœnam, & non quantum ad culpam, vel quantum ad utrumque; etiamſi ſit lex irritans contractus, ſeu actus.

IV. Diſputant Auctores, num, quando legislator vetat conſuetudines contrarias legi ſuæ, ſint eiuſmodi conſuetudines validæ? Duplicem diſtinguunt prohibitionem. Prima prohibendi clauſula indifferens eſt ad præteritam, vel futuram conſuetudinem; qualis eſt iſta, *Non obſtante quacumque conſuetudine*. Secunda expreſſe futuram conſuetudinem vetat; cuiuſmodi hæc eſt, *Nulla deinceps conſuetudo introduci poſſit*. Prima clauſula tantum improbat conſuetudinem iam invectam. De ſecunda diſputant: & *Salmanticenſes* probabilius defendunt, valere conſuetudinem futuram, non obſtante expreſſa illa clauſula prohibente: quia, inquiunt

loc.

loc. cit. §. 2. num. 43. talis clauſula eſt legis humanæ; ſed quælibet lex humana abrogari per conſuetudinem contrariam poteſt: ergo & clauſula præfata, non ſecus ac altera lex humana, abrogari valet. Laudant pro hac opinione *Dianam*, *Bonacinam*, *Tapiam*, *Martinez*, *Suarez*, & alios.

V. Non repugno, poſſibilem eſſe conſuetudinem etiam contra præfatam clauſulam: quia legislator poteſt reipſa mutare ſuam voluntatem. At uſquedum non conſtet legislatorem expreſſe hanc mutaſſe voluntatem, nulla oppoſita invehi conſuetudo valet. Nec ſola taciturnitas ſat eſt ut dicatur Principem tacite conſentire; cum per præfatam clauſulam expreſſe repugnet. Nec eſt quod opponas, etiam per legem expreſſe Principem contradicere; & tamen contra hanc legem introduci conſuetudinem poſſe. Siquidem contra legem introduci conſuetudo poteſt, quia natura ſua lex humana veræ conſuetudini contrariæ ſubiecta eſt. At, quando legislator expreſſe prohibet oppoſitæ conſuetudinis introductionem, tum invehi conſuetudo nequit: quia, perſiſtente prohibitione, conſenſus Principis deeſt, immo expreſſe contrarius eſt. Igitur, ut contra dictam clauſulam introduci conſuetudo poſſet, neceſſaria foret expreſſa voluntas Principis, tali clauſulæ derogantis. Et contraria opinio corruptelis invehendis favet, ut ego quidem arbitror. Quando enim legislator præfatam clauſulam adiicit, ſignum manifeſtum eſt & legem ſummopere neceſſariam eſſe, & contrariam conſuetudinem eſſe pernicioſam corruptelam.

VI. Tertius effectus conſuetudinis eſt legis interpretatio. Si tamen lex clara ſit & perſpicua, conſuetudo eſt obſervantia, & executio legis. Obſcuram ergo, & dubium ſenſum præferentem legem interpretatur conſuetudo. Obſcura enim lex eſſe poteſt aut circa materiam, aut circa eius extenſionem, aut circa eiuſdem obligationem levem, vel gravem. Porro interpretatio hæc duplex eſt, *authentica*, & *doctrinalis*. Ut interpretatio authentica dicatur, eas habeat conditiones oportet quæ pro vera conſuetudine, vim legis obtinente, neceſſariæ ſunt. Conſuetudo quam doctrinalem appellant, coniecturis nititur, plurium Doctorum auctoritate firmata, & nondum præſcripta. Hæc prævalere legi nequit, uſquedum tempus elapſum ſit pro vera conſuetudine neceſſarium, & aliis conditionibus extantibus.

VII. Conſuetudo iiſdem modis ceſſat quibus & lex. Duobus tamen præcipue modis conſuetudo abrogatur, nempe per legem expreſſam, & per conſuetudinem oppoſitam. Tum vero lex conſuetudinem abrogat, cum eidem expreſſe, & manifeſte oppoſita eſt. Quare lex univerſalis abrogat utique conſuetudinem univerſalem directe illi oppoſitam; ſecus conſuetudinem peculiarem, niſi clara eiuſdem in lege facta mentio ſit. Si tamen adeſſet clauſula generalis, abrogans omnes, & ſingulas conſuetudines oppoſitas; tum, licet non fieret peculiaris mentio huius

aut illius conſuetudinis, ſingulæ abrogatæ eſſent. Excipi tamen ſolet conſuetudo immemorabilis, quæ, niſi expreſſe revocata fuerit, conſiſtit. Quandoquidem, dum Princeps abrogatam vult hanc conſuetudinem, exprimere eam ſolet. Ergo in clauſula generali non intelligitur abrogata.

VIII. Conſuetudo alia conſuetudine abrogatur. At quemadmodum lex non abrogatur niſi conſuetudine legitime invecta, & præſcripta; ita neque conſuetudo, vim legis obtinens, infirmari poteſt, niſi conſuetudine contraria præſcripta legitime ſit, omnibuſque neceſſariis conditionibus ornata. Illud tamen advertendum, quod neque lex, neque conſuetudo per ſolum non uſum abrogantur; ſed dumtaxat per poſitivam tranſgreſſionem legis, aut conſuetudinis. Contingere enim poteſt, caſum legis non accidere: qua facta poſitione, violari lex nequit. Quando ergo dicitur, legem deſuetudine abrogari, ſenſus eſt, legem per repetitas tranſgreſſiones eiuſdem auferri; ſecus per non uſum negativum, quia caſus legis non accidit. Si tamen caſus legis accidunt, tum per omiſſiones contrarias lex abrogari valet. Quamobrem, ſi conſuetudo invecta ſit per actus poſitivos, puta audiendi ſacri, ieiunandi, ſervandi feſta, conſuetudo oppoſita introduci per omiſſiones oppoſitas poteſt. Contra, ſi antiqua conſuetudo omiſſionibus parta fuerit, nova conſuetudo introduci actibus contrariis poſitivis debet. Hæc communia penes omnes.

IX. Tractandum hic de privilegiis eſſet; verum argumentum iſtud, cum non ſit pro communi Chriſtianorum directione, formandiſque moribus neceſſarium, in aliud tempus diſpiciendum remittimus. Nunc enim inſtat iuſtitiæ tractatus, omnium utiliſſimus, quem exponendum continuo aggredimur.

FINIS TOMI SEXTI.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

A

ABraham præcepit Deus filii innocentis occiſionem, abſque diſpenſatione in præceptis Decalogi. *p.* 290. *n.* 22.

A Caſtro (Alphonſus) improbat ceu errorem peſtiferum opinionem docentem legem imponentem tributa non obligare in conſcientia. *p.* 420. *n.* 3.

Actus humani, ſeu humana officia inepte exponuntur a Puſendorſio, Thomaſio, Cumberlando, Heinnecio, VVolfio, ceteriſque Proteſtantibus. *p.* 202. *n.* 1. Eorum actuum harmonia, & ordo mirabilis exhibetur, & explicatur. *ibid.* & *p.* 203. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Actuum humanorum moralitas ſita non eſt in libertate, aut denominatione aliqua extrinſeca. *p.* 207. *n.* 2. Sed in ordine, & conformitate ad regulas morum. *ibid. n.* 3. Duæ illæ ſunt; lex æterna, & mentis ratio. *p.* 208. *n.* 4. & *ſeq.* Explicantur. *ibid.*

Actuum humanorum moralitatem male Puſendorſius conſtituit in imputativitate. *ibid.* & *p.* 209. *n.* 6. & *ſeq.* Actus humani, ſeu morales ſpeciem accipiunt ab obiecto. *ibid. n.* 1. Et etiam a circumſtantiis, quæ recenſentur, & explicantur. *p.* 210. & *ſeq. n.* 3. & *ſeqq.* Et ſæpe ex fine operantis. *p.* 211. *n.* 6. Actus ex obiecto bonus relatus in finem pravum totus eſt malus. *p.* 213. *n.* 6. Inanis P. Contenſonii diſtinctio reiicitur. *ibid. n.* 7. Reſpondetur auctoritatibus depromptis ex D.Thoma. *p.* 214. *n.* 8. & *ſeq.* Et iis quæ a poſteriori congerit, & male explicat idem Contenſonius. *p.* 215. *num.* 10. Itemque teſtimonio ex ſacra Scriptura de Iehu petito. *p.* 216. *n.* 11. & *ſeq.*

Dantur actus humani ex obiecto indifferentes, qui nec boni ſunt in ordine morali, nec mali. *p.* 217. *n.* 2. Omnis actus humanus moralis in individuo aut bonus, aut malus eſt, & nullus indifferens. *ibid.* & *p.* 218. & *ſeqq. num.* 3. & *ſeqq.* Teſtimonium evangelicum de reddenda Deo ratione de verbo otioſo laxe explicatur a pluribus Theologis Germaniæ non extendi ad facta. *ibid. num.* 4. Laxe item eorum plures verbum otioſum definiunt. *ibid.* Actiones humanas omnes ordinandas eſſe in finem honeſtum male negant molliores Ethices propugnatores. *p.* 220. *n.* 8. Oſtenditur ex nonnullis ab Eccleſia damnatis propoſitionibus. *ibid. num.* 9. Eas male interpretatur, & extenuat P. Viva. *ibid.* & *p.* 221. & *ſeq. n.* 10. Refellitur. *ibid.* Theologorum plurium Bavariæ, & Germaniæ inepta reſponſa refelluntur. *p.* 223. & *ſeq. n.* 15. & *ſeqq.* Alia obiecta diluuntur. *p.* 225. & *ſeqq. n.* 18. & *ſeqq.*

Perperam doctrina tradita rigoriſmi accuſatur. *p.* 227. & *ſeq. n.* 24. & *ſeq.* Longe a tradita ſententia differt damnatus Ioannis Hus, VViclefi, Lutheri, & Calvini error. *p.* 229. *n.* 26. Actuum directio habitualis in Deum, aut finem honeſtum non ſufficit, ſed requiritur virtualis. *p.* 230. *n.* 29. Opinio de actuum humanorum indifferentia in individuo involvitur in propoſitionibus octava, & nona damnatis ab Innocentio XI. *p.* 231. *n.* 31.

Actus humani omnes non ſunt ex ſe, & ante omnem legem voluntariam in-

indifferentes ad bonitatem, vel turpitudinem. *pag.* 261. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Contrarii errores Hobbeſii, Oſiandri, Seldeni, & Puſendorfii, aliorumque Proteſtantium referuntur, & refelluntur. *ibid.*

AEquum & bonum quid ſit, traditur. *p.* 458. *n.* 1. & *ſeq.* AEquitas pro ipſa iuſtitia in iure ſumitur. *ibid. num.* 3. AEquitas anima legis appellatur. *p.* 459. *n.* 4. AEqui bonique viri pauciſſimi ſunt. *ibid. n.* 5. Huius ratio aſſignatur. *ibid.* Ad æquitatem illuſtrandam P. Comitolus ex Oratione M. Tullii pro Aulo Cecinna colligit nonnulla effata, quæ referuntur. *p.* 460. *n.* 6. Præclara de hoc D. Thomæ doctrina affertur. *ibid.* & *pag.* 461. *n.* 7. & *ſeq.* AEquitatis plures regulæ hauſtæ ex Iure Canonico tranſcribuntur. *p.* 462. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Et aliæ plures ſelectæ ex Iure Civili. *p.* 465. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Et denique plures aliæ ex diverſis M. Tullii libris collectæ. *p.* 467. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

S. Ambroſius a pluribus Barbeyraci impoſturis vindicatur. *V. Barbeyracus.*

S. Auguſtinus hæreticos, & ſchiſmaticos omnes habet ut filios concubinarum. *p.* 3. *n.* 2. Eum iuris naturalis ignorantia laboraſſe audaciſſime docet Barbeyracus. *p.* 11. *n.* 3. & *ſeqq.* Non docuit uxorem conſentiente marito alteri licite commiſceri poſſe. *p.* 13. & *ſeqq. n.* 9. & *ſeqq.* Explicatur eius textus, & Barbeyraci oſcitantia, & fraus detegitur. *ibid.* Infideles iure nulla bona poſſidere non docuit, ut eidem imponit idem Barbeyracus. *p.* 16. & *ſeqq. n.* 15. & *ſeqq.* Explicatur idem S. Doctor. *ibid.* Eidem perperam crimini vertit idem Barbeyracus, quod docuerit iuſtam eſſe hæreticorum punitionem. *p.* 19. *n.* 19. Deſcribit corruptos mores humanæ naturæ. *p.* 71. & *ſeq. num.* 1. Luculenta teſtimonia recenſet pro libero arbitrio. *p.* 142. & *ſeq. n.* 10. & *ſeq.* Eum ipſis patrocinari temere prædicant Lutherus, & Calvinus. *p.* 144. *n.* 13. Sicut etiam Ianſenius. *p.* 156. & *ſeq. n.* 7. & *ſeq.*

B

Baius (Michael) propoſitiones docuit a S. Pio V. damnatas. *p.* 159. & *ſeq. n.* 12. & *ſeq.* Mala fide eaſdem interpretatur Ianſenius. *ibid.*

Barbeyracus (Ioannes) audaciſſime SS. Patribus exprobrat ignorantiam iuris naturalis. *p.* 10. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Falſo contendit S. Auguſtinum docuiſſe, uxorem conſentiente marito alteri licite commiſceri poſſe. *p.* 11. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Itemque docuiſſe quod fideles omnia bona iure poſſideant, nulla vero infideles. *p.* 16. & *ſeqq. n.* 15. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Temere improperat eidem S. Auguſtino doctrinam de iuſta hæreticorum punitione. *p.* 19. *n.* 19. Et S. Ambroſio quod plus iuſto laudet virginitatem, ac ſi ſacras nuptias contemnat. *pag.* 20. *n.* 20. & *ſeq.* Et quod uſuram abſolute damnaverit. *p.* 21. *n.* 22. Audaciſſime eidem S. Ambroſio Ciceronem præfert in formandis moribus. *ibid.* & *p.* 23. *n.* 23. & *ſeq.* Eidemque perperam improperat doctrinam de non occidendo aggreſſore. *ibid. n.* 25. & *ſeq.* Perperam contendit Lactantium verare cuiquam arma deferre, & mercatoriam artem exercere. *ibid. n.* 27. Eumdemque uſuram omnem iniuria damnaſſe. *p.* 24. *n.* 28. Temere Scholaſticos carpit. *p.* 38. *n.* 16. Perperam docet abſtrahendum eſſe a revelatione divina in tradenda ſcientia iuris naturalis. *p.* 68. *num.* 8. Impugnatur una cum ceteris ſuis aſſeclis. *pag.* 82. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Bechmannus (Nicolaus) acerbo ſtylo excipitur a Puſendorfio, in quem ſubinde edidit libellum famoſum. *p.* 48. *n.* 13.

BENEDICTUS XIV. Pont. Max. publice in ſacra Congregatione, quæ dicitur *Signatura Gratiæ*, notatu digniſſimam ſententiam pronuntiavit contra donationem ab Innocentio X. factam Olimpiæ Maidalchinæ. *p.* 495. & *ſeq. n.* 13.

Billuart (P. Carolus Renatus) laudatur. *p.* 182. *n.* 1.

Budæus (Franciſcus) Patribus & Theolo-

logis ignorantiam præcipue iuris naturalis temere exprobrat. *p. 31. & ſeqq. n.4. & ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Eius de Grotio iudicium. *p. 39. n. 2.* Iudicium de eodem Budæo. *p. 50. n. 27.* Male excuſat Puſendorfium ius naturale tradentem ſolum ſecundum rationem. *p. 85. n. 7.* Modo propugnavit, modo de medio ſuſtulit libertatem. *p. 151. n. 4.*

C

Calvinus impudenter poſt Lutherum negat Chriſtum eſſe legislatorem. *pag. 313. n. 1.* Refellitur. *p. 314. & ſeq. n. 2. & ſeqq. V. Libertas indifferentiæ.*

Caramuel (Ioannes) laxas & erroneas de legibus propoſitiones docet. *p. 250. n. 4. & p. 252. n. 11.* Laxe negat Eccleſiam poſſe præcipere actus externos propter actus mere internos. *p. 399. n. 21.*

Cellier Theologiam Moralem SS. Patrum Apologia adverſus Barbeyracum defendit. *p. 11. n. 3.*

Cicero (M. Tullius) depravatos humanæ naturæ mores deſcribit. *p. 75. n. 6.* Ex eius diverſis libris plures æquitatis regulæ a P. Comitolo collectæ tranſcribuntur. *p. 467. & ſeqq. n. 1. & ſeqq.*

Clericus (Ioannes) ſub nomine Phereponi audaciſſimam criticen in S. Auguſtini Opera exercuit. *p. 19. n. 19.* Eum Cl. V. Muratorius doctiſſime confutavit. *ibid.*

Comitolus (P. Paulus) ex Oratione M. Tullii pro Aulo Cecinna nonnulla ad æquitatem illuſtrandam exempla collegit, quæ referuntur. *p. 460. num. 6.* Sicut tum ex Iure Pontificio, tum ex Civili, pluresque alias ex eodem M. Tullio collegit æquitatis regulas. *p. 461. n. 10.* Recenſentur omnes ſingillatim *p. 462. & ſeqq. n. 1. & ſeqq.*

Congregatio Novemviralis ſub Paulo III. plus iuſto exaggeratam facultatem Pontificiam ſuo ſcripto improbat, & refellit. *p. 485. & ſeq. n. 3. & ſeqq.*

Conſuetudo frequenter ſub abuſus, & corruptelæ larva obtegitur. *p. 504. n. 1.* Conſuetudinis finitio traditur, & explicatur. *p. 505. n. 1.* Conſuetudo differt a ſtilo, & præſcriptione. *ibid. n. 2.* Alia eſt contra legem, alia ſecundum legem, alia præter legem. *p. 506. n. 3.* Conſuetudinem abrogantem legem introducere illi ſoli valent, qui legem ſervare tenentur. *ibid. n. 1.* Quinque conditiones ad veram conſuetudinem neceſſariæ referuntur. *p. 507. n. 2.* Conſuetudo prævalere ſolum poteſt contra legem humanam. *ibid. n. 4.* Conſuetudinis triplex ſtatus eſt, inceptionis, progreſſus, & præſcriptionis. *p. 508. n. 5.*

Opiniones recenſentur de tempore requiſito ad introducendam conſuetudinem. *ibid. n. 6. & ſeq.* Dictum unius eximii Doctoris, aſſerentis tempus ad conſuetudinem requiſitum præteriiſſe, non ſufficit, ut lex abrogata cenſeatur. *ibid. & p. 509. n. 8.* Laxa Salmanticenſium doctrina refertur, & refellitur. *ibid. n. 9.* Ad veram conſuetudinem actus debent eſſe liberi, publici, & frequentes. Explicatur. *ibid. & n. 11. & ſeq.* Ut actus hi dicantur publici, ſatis eſt publica manifeſtatio facti. *p. 510. n. 13.* Ad conſuetudinem requiritur etiam ut populus animo ſe obligandi eamdem inducat. *ibid. n. 14.* Animus iſte colligitur ex pluribus indiciis, quæ recenſentur. *ibid. n. 15.* Ad conſuetudinem demum requiritur conſenſus ſuprema poteſtatis. *p. 511. n. 16.*

Tolerantia, & patientia ſuperiorum, non eſt ſemper ſignum validum taciti eorum conſenſus. *ibid. n. 17.* Conſuetudinis triplex eſt effectus: alter eſt obligatio in conſcientia; alter, abrogatio legis veteris; alter interpretatio legis. *p. 512. n. 1.* Explicatur primus illius effectus, ſcilicet obligatio in conſcientia. *ibid. n. 2.* Et ſecundus, ſcilicet antiquæ legis abrogatio. *ibid. n. 3.* Et tertius, ſcilicet legis interpretatio. *p. 513. n. 6.* Conſuetudo iiſdem modis ceſſat quibus & lex; duobus tamen præcipue modis abrogatur. *ibid. n. 7.* Quomodo ceſſet primo modo, nempe per legem expreſſam. *ibid.* Quomodo ſecundo modo, ſcilicet per conſuetudinem oppoſitam. *p. 514. n. 8.*

Contarenus (Cardinalis) plus iuſto exagge-

geratam poteſtatem Pontificiam in conceſſione diſpenſationum, ſua ad Pontificem allocutione refellit. *p.* 485. & *ſeq. n.* 3. & *ſeq.*

Cumberlandus (Richardus) male explicandum aſſumit ius naturæ ſola ratione, & experientia, excluſis ſacris Scripturis. *p.66. n.3.* De eo iudicium, *p.* 101. *n.* 1. Omnes leges naturales ridicularie revocat ad benevolentiam ſingulorum hominum erga alios homines, ad propenſionem propagandæ ſtirpis, ad cerebri humani magnitudinem, ad hominum inclinationem ad venerem non limitatam tempori, & ad ampliora vaſa ſpermatica. *ibid.* & *p.* 102. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Hi, & alii errores profligantur. *ibid.*

D

Deus, primum eſt iuris naturæ principium. *p.* 94. *n.* 1. Eſt verus finis ultimus hominum. *p.* 16. & *ſeqq. n.* 1. In eo ſolo ſita eſt beatitudo, quæ eſt verus ultimus hominum finis. *p.* 17. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeq.* VVolfii de ſummo bono propoſitiones nihil evincunt. *p.* 118. & *ſeq. n.* 5.

Delectatio victrix, non infert Ianſeniſtas eſſe eam admittentes, ut male contendit Turnelly. *p.* 175. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeq.* Maſſouliè eam cum Auguſtinianis admittens, toto cælo diſtat a Ianſenianis. *ibid. V. Maſſouliè. Turnelly.*

Diſpenſatio a lege quid ſit, traditur. *p.* 471. *n.* 1. Eius diviſio in partialem, & integram. *p.* 472. *n.* 2. Ad diſpenſationem ſatis non eſt præſumere Prælatum te diſpenſaturum fore, ſi ſciret indigentiam tuam. *ibid. n.* 3. Solvitur obiectio. *p.* 473. *n.* 5. Cenſetur reipſa Prælatum diſpenſare, ſi actum præcipiat, qui exerceri ſine diſpenſatione non poſſit. *ibid.* Sola taciturnitas Prælati ſignum non eſt eum velle diſpenſare. *ibid.* & *p.* 474. & *ſeq. n.* 8. & *ſeqq.* Romanis Pontificibus conceſſum non eſt a Deo privilegium diſpenſandi in iis quæ ſunt iuris divini. *p.* 476. *n.* 3.

Superior, qui legem fert, poteſt ab ea diſpenſare. *p.* 477. *n.* 4. Et etiam inferior ex conceſſione Superioris. *pag.* 478. *num.* 5. Epiſcopis Pontifex hanc facultatem diſpenſandi conceſſit in pluribus, quæ recenſentur. *ibid. n.* 6. Inferior non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare hoc ipſo quod diſpenſatio reſervata Superiori non ſit, niſi ex aliis capitibus id conſtet. *p.* 479. *n.* 8. In dubio, an inferior poſſit diſpenſare, ſecluſa neceſſitate, ſervanda lex eſt, aut recurrendum ad Superiorem, etſi dubium ſit poſitivum. *ibid. n.* 9. Legislator ſupremus poteſt cum diſpenſatione commutationem coniungere. *ibid. n.* 10. Debet tamen commutatio eſſe proportionata perſonæ, & fini legis. *ibid. n.* 11.

Poteſtas delegata diſpenſandi ſtricte eſt interpretanda. *ibid. n.* 12. Facultas diſpenſandi extenditur tantum reſpectu propriorum ſubditorum *p.* 480. *n.* 13. Legislator poteſt ſecum diſpenſare non ſolum indirecte, ſed etiam immediate. *ibid. n.* 14. Diſpenſationum uſus ſemper obtinuit in Eccleſia. *p.* 481. *n.* 1. & *ſeq.* Graviter peccant Superiores diſpenſantes ſubditum in ſuis legibus graviter obligantibus, abſque cauſa. *p.* 482. & *ſeq. n.* 5. & *ſeq.* Laxa Salmanticenſium oppoſita ſententia refellitur. *ibid.* Reſpondetur obiectis eorumdem, & aliorum Probabiliſtarum. *p.* 484. & *ſeq. n.* 8. & *ſeq.*

Diſpenſatio conceſſa ſine iuſta cauſa, invalida, & nulla eſt. *p.* 485. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Oſtenditur auctoritate, & ratione. *ibid.* Iuniorum oppoſita ſententia refellitur. *p.* 489. & *ſeqq. n.* 13. & *ſeqq.* Diſpenſationes a ſacris Canonibus in quibus aliquid iuris divini, aut naturalis includitur (ut diſpenſationes recipiendi plures præbendas, non reſidendi, & his ſimiles) omnium Theologorum etiam iuniorum conſenſu nullæ ſunt. *p.* 491. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur rationibus, & auctoritatibus. *ibid.* Et præſertim probatur auctoritate notata digniſſima Benedicti XIV. *p.* 495. & *ſeq. n.* 13. Ad licitam, validamque

dif-

diſpenſationem ſufficientia cauſæ penſanda eſt ex reſpectu ad bonum commune. *p.* 496. *n.* 2.

Diſpenſatio locum non habet, cum de cauſſæ ſufficientia dubitatur. *p.* 497. *n.* 3. Diſpenſatio valet, quando reipſa datur cauſsa ſufficiens pro eadem, etiamſi diſpenſator illam ignorans diſpenſet. *ibid. n.* 4. Diſpenſator legitima cauſſa occurrente diſpenſationem debitam impertiri tenetur, non autem permiſſam. *p.* 498. *n.* 5. Cauſſa ſufficiens diſpenſationis concedendæ non eſt impoſitio mulctæ pecuniariæ, ut laxe docent Salmanticenſes. *ibid. n.* 6.

Diſpenſatio alia eſt ſubreptitia, alia obreptitia, alia per metum extorta, *p.* 499. *n.* 1. Explicatur. *ibid.* Declaratur cuius veritatis reticentia, aut falſitatis expoſitio reddat diſpenſationem invalidam. *ibid. n.* 2. Quæ ſint veritates quæ non debent reticeri, aut falſitates quæ non debent exponi, indicatur regula generali. *ibid. n.* 3. Diſpenſatio per metum extorta, abſolute valida eſt, *p.* 500. *n.* 4. Secus, ſi diſpenſator non præbeat conſenſum. *ibid.* Et ſuppoſita legitima cauſſa, eſt etiam licita. *ibid.* Diſpenſatio nulla eſt, ſi cauſſa finalis non conſiſtat tempore quo diſpenſatio impartitur. *p.* 502. *n.* 1. Si cauſſa finalis ceſſet, antequam diſpenſatio executioni demandetur, diſpenſatus illa uti non poteſt. *ibid. n.* 2. Refertur & improbatur laxa Salmanticenſium opinio. *ibid. n.* 4. *& ſeq.*

Diſpenſatio præciſe ob mortem diſpenſatoris non ceſſat. *ibid. n.* 6. Revocari poteſt a diſpenſatore ob novam occurrentem cauſſam. *p.* 503. *n.* 7. Inferior nequit ſuperioris diſpenſationem revocare; ſecus ſuperior eam inferioris. *ibid. n.* 8. Diſpenſatio quandoque ceſſat per renuntiationem. *ibid. n.* 9. Explicatur. *ibid.* Ut renuntiatio huiuſmodi valida ſit, requiritur voluntas diſpenſati, & voluntas diſpenſatoris. *p.* 504. *n.* 10.

E

Epiikia quid ſit, explicatur. *p.* 294. *n.* 31. *& p.* 454. *n.* 13. In iis caſibus locum habet in quibus ſi lex ſervetur, peccatum committitur. *ibid.* P. Viva perperam contendit eam habere locum etiam quando ceſſat finis legis negative in particulari. *ibid.* Idemque laxe docet non ſolum probabilitatem, ſed etiam minorem probabilitatem ſatis eſſe ut illa locum habeat. *pag.* 454. *n.* 14. Male ab eodem laxa hæc ſua opinio adſcribitur P. Suarez. *p.* 455. *& ſeq. n.* 15. *& ſeqq.* Oſtenditur. *ibid.* Immo idem Suarez oppoſita principia expreſſe ponit. *p.* 457. *n.* 19.

Eraſmus liberum arbitrium propugnans adverſus Lutherum in Semipelagianiſmum declinavit. *p.* 137. *n.* 4.

F

Finis, eſt principium extrinſecum humanarum actionum. *p.* 110. *n.* 3. Eius notio, & partitio. *ibid. V. Homo.*

G

Gentiles ſua omnia de moribus ſcripta undique erroribus inquinaſſe falſo docet Budæus. *p.* 6. *n.* 2. Immo eorum lectionem Origenes, & S. Gregorius Neocæſarienſis utilem agnoverunt, *p.* 9. *n.* 6.

Gonet (P. Ioannes Baptiſta) ab iniuſtis cenſuris D. Honorati Turnelly vindicatur. *p.* 182. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq.* Iure temeritatis notam adverſus S. Auguſtinum P. Molinæ aſſeruit. *ibid.* Eiuſdem ſinceritas adverſus eumdem Molinam luculenter oſtenditur. *p.* 184. *& ſeqq. n.* 3. *& ſeqq.*

Grotius (Hugo) laudatur ob eius Opus de Iure belli, ac pacis. *p.* 40. *& ſeq. n.* 3. *&* 5. Proteſtantium de eo iudicium. *ibid.* Eius religio in diſcrimen adducitur. *p.* 41. *& ſeqq. n.* 5. *&* 7. In explicando iure naturæ ceteris novatoribus præſtat. *p.* 64. *& ſeq. n.* 4.

n. 4. Falſo docet, Evangelium nil aliud præcipere quam ea ad quæ ius naturæ per ſe obligat. *p.* 88. *n.* 2.

H

Heinneccius (Ioannes) iuris naturæ, & gentium elementa tradit. *p.* 50. *n.* 18. De eo iudicium. *ibid.* Male contendit ſola ratione naturali explicandum eſſe ius naturæ. *p.* 68. *& ſeq. n.* 9. Quod minime diſtingui a iure gentium perperam docet. *p.* 295. *n.* 2.

Hobbes (Thomas) plus impietate quam ſcientia celebris fuit. *p.* 43. *& ſeq. n.* 9. Et divinarum Scripturarum contemptor. *ibid.* Ex eo Iudicem viſibilem earumdem Scripturarum contra Lutheranos, & Calviniſtas admittendum eſſe oſtenditur. *p.* 44. *& ſeqq. n.* 10. Male contendit omnia ante legem voluntariam eſſe indifferentia; & ex ſolo beneplacito libero bona, aut mala evadere. *p.* 261. *& ſeq. n.* 2. Refellitur auctoritate Ciceronis. *p.* 265. *n.* 7. Et inviċtiſſime ex S. Thoma. *p.* 267. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq.* Male docet ius gentium minime a naturali diſtingui. *p.* 295. *n.* 1.

Homo, alterum eſt iuris naturæ principium. *p.* 94. *n.* 1. Eius exacta idea traditur ex D. Thoma. *p.* 95. *& ſeqq. n.* 3. *& ſeqq.* Ei convenit agere propter finem. *p.* 111. *n.* 4. Non illius ſolius, ſed & omnium agentium eſt agere propter finem. *ibid. n.* 5. Illius officia, ut moralia, ſuam a fine ſpeciem recipiunt. *p.* 112. *n.* 9. Unius hominis eſſe non poſſunt plures fines ultimi. *p.* 114. *n.* 12. Homo, quæ appetit, omnia vult propter ultimum finem. *p.* 115. *n.* 13. Hominis cuiuſcumque unus eſt finis ultimus, ſi finis ſumatur ſecundum generalem eiuſdem rationem, non vero ſi ſpectetur ut res quædam particularis. *ibid. n.* 14. Declaratur. *ibid.*

Hornius cum Machiavello male Regis iura deſcribit. *p.* 327. *n.* 1. Vera illius iura aſſignantur. *ibid.*

I

Ianſenius ad merendum, & demerendum ſolam libertatem requirit a coactione. *p.* 152. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq.* Eius ſyſtema contra libertatem indifferentiæ oſtenditur eſſe Lutherano, & Calviniano ſimile. *ibid.* Temere iactat ſuam ſententiam eamdem eſſe ac S. Auguſtini. *p.* 156. *& ſeqq.* Eius artificium, quo tegit ſuam hæreſim, detegitur. *p.* 158. *n.* 10. *& ſeq.* Pravæ eius interpretationes damnatarum a Pio V. adverſus Baium propoſitionum, referuntur, & improbantur. *p.* 159. *& ſeq. n.* 12. *& ſeq.* In eumdem animadverſiones. *p.* 161. *& ſeqq. n.* 15. *& ſeqq.* Effugia, & technæ, quibus occultare ſtudet ſuam hæreſim, deteguntur. *p.* 163. *n.* 19.

Iſraelitæ licite ſurripuere AEgyptiis vaſa aurea, & argentea. *p.* 291. *n.* 23.

Iuriſpubliciſtæ. *V. Barbeyracus. Beckmannus. Budæus. Cumberlandus. Heinneccius. Hobbes. Grotius. Leibnitius. Puſendorfius. Sekendorfius. Seldenus. Vitriarius.*

Ius accipitur, atque uſurpatur varie. *p.* 233. *& ſeq. n.* 1. *& ſeqq.* Eius variæ acceptiones referuntur. *ibid.* Uſurpatur communiter pro lege. *V. Lex. Ius naturæ, & gentium.*

Ius Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum quid ſit, explicatur; breviterque de eiuſdem Collectionibus, & illarum auctoritate diſſeritur. *p.* 366. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq. V. Lex.*

Ius Civile privatum deſcribitur; eiuſdemque notio, & partitio traditur. *p.* 361. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq.*

Ius naturæ & gentium male ſibi examinandum ſumpſit Puſendorfius ſolo lumine naturali. *p.* 2. *n.* 1. Illud ut ediſcant, perperam Itali ad Tranſalpinorum hæreticorum libros recurrunt. *ibid. & p.* 3. *n.* 2. *& ſeq.* Iuris naturalis finitio ex Ulpiano refertur, & explicatur. *p.* 4. *& ſeq. n.* 1. *& ſeqq.* Iuris eiuſdem hiſtorica ſynopſis. *p.* 6. *& ſeqq. n.* 1. *& ſeqq.* De eo plura præclara etiam Gentiles ſcripſiſſe oſten-

ſtenditur contra Budæum. *ibid.* Et maxime Hebræi. *pag.*7. & *ſeq. n.*4. Iuris naturalis ignorantia non laboraſſe SS. Patres oſtenditur contra Barbeyracum, Thomaſium alioſque hæreticos. *p.* 10. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Illud Scholaſtici etiam tertiæ claſſis felicius cunctis Novatoribus explicarunt. *p.* 62. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* In hoc ceteris Novatoribus Grotius præſtat. *pag.* 64. & *ſeq. n.* 4.

Ius naturale explicari nequit ſola naturali ratione, abſtrahendo a doctrina revelata. *pag.* 76. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Heterodoxi oppoſitum contendentes cæciores ſunt Ethnicis. *ibid.* Eorum ſophiſmata profligantur. *p.*82. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Ius naturæ traditum ab Heterodoxis abſque Scripturarum uſu, erroribus graviſſimis implicatur. *p.* 87. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Recenſentur errores iſti. *ibid.* Arguitur ad hominem adverſus eoſdem Heterodoxos, eorumque ſequaces. *p.* 89. & *ſeqq. n.* 6. Ius naturæ ex illis addiſcentes Itali, longe a recta via aberrant. *p.*92. & *ſeq. n.* 10.

Iuris naturæ principia ſunt Deus ut primum, homo ut ſecundum. *p.* 94. *n.* 1. Exacta hominis idea, S. Thomæ doctrina refertur. *p.* 95. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Iuris naturæ fundamentum, velut alter Epicurus, perperam Thomaſius ponit in iis faciendis quæ vitam reddunt diuturnam, & feliciſſimam, & evitandis bono huic oppoſitis. *pag.* 257. *n.* 2. Iuris naturæ principia non inſita, ſed hauſta a nobis ſtatuit Puſendorfius ex populari informatione, ex uſu, & aſſuetudine, *pag.* 258. *n.* 3. Refellitur. *ibid.* Itemque iuris naturalis fundamentum potiſſimum in amore collocat propriæ utilitatis, & commodi. *pag.* 259. *num.* 4. Refellitur. *ibid.*

Iuris naturalis pictura delineatur doctrina D. Thomæ. *pag.* 273. *n.* 1. Vera illius notio ex doctrina eiuſdem S. Thomæ traditur, & explicatur. *pag.* 274. & *ſeq. n.* 4. & *ſeqq.* Ius naturale dividitur in præcepta prima per ſe nota, & in alia, quæ ſunt concluſiones ex iiſdem deductæ, *pag.*283. *num.* 4. Item in præceptivum, approbativum, conceſſivum, ſeu permiſſivum. *ibid.*

Ius naturæ quantum ad principia primaria abſolute immutabile eſt, ſemperque obligat. *p.* 284. *n.* 7. Quantum vero ad ſecundaria, quandoque mutabile eſt ſolum materialiter, non vero formaliter. *p.* 285. *n.* 10. Explicatur. *ibid.*

Ius gentium medium quodammodo eſt inter ius naturale & poſitivum. *p.* 295. *n.* 3. Reipſa diſtinguitur a naturali. *pag.* 296. *n.* 5. & *ſeq.* Ius gentium proprie acceptum plura comprehendit, quæ recenſentur. *p.* 296. *n.* 7. Iuris gentium minus proprie talis exempla afferuntur. *ibid.* Ius iſtud obligat in conſcientia. *pag.* 297. *n.* 8. Eo iure comprehenſa mutationi obnoxia ſunt. *ibid. n.* 9. *V. Lex.*

L

La Croix [P. Claudius] omnino laxe docet non teneri ieiunio diſcedentem e loco ubi ſpeciale ieiunium eſt, etſi tale ieiunium ſit etiam in loco ad quem accedit. *p.* 385. & *ſeq. n.* 25. & *ſeqq.* Laxas opiniones plurimas congerit in variis dubiis circa leges, eaſque arbitrio lectorum permittit. *pag.* 428. & *ſeqq. n.* 6. & *ſeqq.* Eius methodus in exponenda Theologia improbatur. *p.* 430. *n.* 18.

Lactantius minime vetat cuipiam arma deferre, neque mercatoriam artem agere. *p.* 23. *n.* 27. Reſpondetur Barbeyraci impoſturæ. *ibid.* Iure uſuram omnem abſolute damnat. *p.* 24. *n.* 28. Reſpondetur Barbeyraco. *ibid.*

Lecchius falſo in ſenſu S. Auguſtini textum obtrudit, ut probet ignorantiam invincibilem. *p.* 13. *n.* 6.

Leibnitius [Guillelmus] laudatur. *p.* 41. & *ſeq. n.* 6. & *ſeq.* Eius religio in diſcrimen adducitur. *ibid.*

Lex varias habet acceptiones. *pag.* 235. *n.* 1. Referuntur. *ibid.* Proprie ſumpta, eſt ordinatio rationis ob bonum com

commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. *ibid. n.* 2. Explicatur. *ibid.* Eam D. Thomas conſtituit in ratione, ſeu intellectu. *pag.* 236. *n.* 3. Solvitur obiectio ex S. Scriptura, *ibid. num.* 4. Dividitur in æternam, & temporalem; & hæc in naturalem, & poſitivam; quæ aut divina eſt, aut humana. *pag.* 237. *n.* 5. Quatuor ex D. Thoma rationes aſſignantur, cur Deus præter legem naturalem, & humanam, condiderit poſitivam, quæ divina appellatur. *ibid. n.* 6.

Lex proprie communitatem ſpectat. *p.* 239. *n.* 1. Et a præcepto diſtinguitur. *ibid. n.* 3. & *ſeq.* Nec ſolum communitatem ſpectat, ſed etiam eius bonum. *p.* 240. *n.* 5. Lex neceſſaria fuit, poſita hominis creatione. *ibid. num.* 6. Iuſta eſſe debet tum ex parte materiæ illi ſubiectæ, tum ex forma qua rogatur. *ibid. num.* 7. & *ſeq.* Laborare iniuſtitia poteſt triplici ex capite. *ibid. num.* 9. & *ſeq.* Debet eſſe perpetua. *p.* 242. *n.* 11. Explicatur, & ſolvitur obiectio. *ibid.* & *n.* 12. Lex, ut obliget, promulgari debet. *pag.* 243. *n.* 1. & *ſeq.* Idque aliquo ſigno exteriori, *ibid. n.* 3. Eius promulgatio eſt conditio neceſſaria, ut illa obliget in actu ſecundo. *ibid. n.* 4.

Lex civilis imperialis non obligat, niſi poſt illius promulgationem factam in ſingulis provinciis. *pag.* 245. *n.* 10. Praxis habet, quod etiam leges Conciliorum, & Pontificum promulgentur in ſingulis diœceſibus. *ibid. n.* 11.

Lex eccleſiaſtica ſolemni promulgatione Romæ facta, etſi ob aliquod impedimentum nequeat in ſingulis provinciis promulgari, obligat fideles ſtatim ac ſciunt latam eſſe, & Romæ promulgatam, *ibid.* & *p.* 246. & *ſeq. n.* 12. & *ſeqq.* Lex eccleſiaſtica, ſive civilis ſtatim ac promulgata eſt obligat. *p.* 249. *n.* 22.

Lege ſua iuſta, & legitime promulgata valet Princeps invitos ſubditos cogere ad eam ſervandam. *pag.* 250. *num.* 2. & *ſeq.* Solvitur obiectio Caramuelis. *ibid. num.* 4. Leges peculiari ratione ſummus Pontifex, & Epiſcopi ferre poſſunt, non expectato ſubditorum conſenſu, *p.* 251. *n.* 5. Solvuntur obiecta. *ibid. n.* 6. & *ſeqq.*

Legem iuſtam non acceptando ſubditi peccant. *pag.* 252. *n.* 10. Lex reiecta a populo, non fit invalida. *ibid. n.* 11. Ad legiſlatorem ſupremum ſubditi appellare non poſſunt, ut legem ab ipſo iuſte latam abroget. *ibid. n.* 12. Legem tenentur ſervare ſubditi tempore interpoſitæ ſupplicationis. *p.* 253. *n.* 13.

Lex æterna admittenda eſt in Deo. *p.* 254. *n.* 3. Legis æternæ notio traditur ex S. Thoma. *ibid. n.* 4. Lex naturalis promiſcua admitti debet. *pag.* 255. *n.* 1. & *ſeq.* Illa homini, animantibus, ceteriſque omnibus naturis communis eſt. *ibid. num.* 3. Oſtenditur ex doctrina S. Thomæ. *pag.* 256. *n.* 4. Simulque aberrationes Grotii, Puſendorfii, & aliorum indicantur. *ibid. n.* 5.

Legis naturalis rationis, homini propriæ, fundamenta perperam ſtatuuntur a Thomaſio, & Puſendorfio. *p.* 257. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Impugnantur. *ibid.* Homo exlex natura ſua repugnat. *p.* 261. *n.* 1. Ante omnem legem bonitas, & turpitudo inſunt actionibus. *ibid.* Contrarii errores Hobbeſii, Oſiandri, Seldeni, Puſendorfii, aliorumque Proteſtantium referuntur, & auctoritate Ciceronis refelluntur. *ibid. n.* 2. & *pag.* 262. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Legis naturalis pictura exhibetur doctrina S. Thomæ. *pag.* 273. *n.* 1. Vera illius notio ex doctrina eiuſdem S. Thomæ traditur, & explicatur. *p.* 274. & *ſeq. n.* 4. & *ſeqq.* Lex naturalis plura præcepta includit, quæ ab uno tamquam prima radice proficiſcuntur. *p.* 278. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Declaratur. *ibid.*

Ex lege ipſius naturæ promanare oſtenditur decem Decalogi præcepta. *pag.* 280. *n.* 4. & *ſeqq.* Itemque omnia humana officia, quatenus exercenda ſunt iuxta rationis regulas. *pag.* 281. *n.* 7. & *ſeq.* Reſpondetur obiecto. *pag.* 282.

282. *n.* 9. & *ſeqq.* Legis naturæ præcepta aliqua ita ſunt immutabilia, ut ſemper, & in quocumque eventu obligent. *pag.* 284. *n.* 7. Secundaria illius præcepta ſolum mutabilia dici poſſunt, quatenus ſub hac, vel illa circumſtantia non obligant. *ibid. n.* 8. Lex naturalis quantum ad principia naturalia eſt in ſe ipſa immutabilis tam in communi, quam in particulari. *pag.* 285. *n.* 9. Quantum vero ad principia ſecundaria, quandoque mutabilis eſt ſolum materialiter, ſecus formaliter. *ibid. n.* 10. Solvuntur difficultates de invecta diviſione bonorum, hominum ſervitute, & præſcriptione. *p.* 286. *n.* 11. & *ſeq.*

Legis naturæ quæ ſunt, nulla poteſtate humana proprie diſpenſari poſſunt. *pag.* 287. *n.* 14. Solvitur obiectio de nonnullis Pontificum diſpenſationibus. *ibid. n.* 15. Nulla legis naturæ præcepta diſpenſari poſſunt a Deo. *pag.* 288. & *ſeq. n.* 17. & *ſeq.* Solvuntur obiecta ex ratione, & ſacra Scriptura petita. *p.* 289. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Lex Moſaica bona, utiliſque fuit. *p.* 299. *n.* 3. Et a Deo lata. *ibid. n.* 4. Et quidem univerſa. *p.* 300. *n.* 5. Refertur modus quo laxa fuit. *ibid. n.* 6. Soli Iudæorum populo fuit intimata. *ibid. n.* 7. Solvitur obiectio. *p.* 301. *n.* 9. Legis Moſaicæ præcepta alia moralia, alia cæremonialia, alia iudicialia fuerunt. *ibid. n.* 11. Explicantur ſingillatim. *pag.* 302. & *ſeqq. n.* 12. & *ſeqq.* Lex Moſaica abrogata fuit. *p.* 307. *n.* 24. Non tamen ceſſavit ante Chriſti mortem. *ibid. n.* 25. Nec illico poſt Chriſti mortem noxia fuit illius obſervatio. *p.* 308. & *ſeqq. n.* 26. & *ſeqq.* Legalia præcepta mortifera facta ſunt, templo deſtructo. *p.* 311. & *ſeq. n.* 31. & *ſeq.* Iudicialia tamen licet vim amiſerint obligandi, non evaſerunt mortifera, niſi quis ea ſervaſſet ex affectu ad legem Moſaicam. *p.* 312. *n.* 38.

Lex nova a Chriſto inſtituta eſt. *p.* 313. & *ſeq. num.* 1. Impudenter id negant Lutherus, Calvinus, & Hobbes. *ibid.* Refelluntur. *p.* 314. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Lex nova a veteri differt pluribus rationibus, quæ recenſentur. *p.* 317. & *ſeq. n.* 8. Adverſus illius durationem hæreſes indicantur. *p.* 318. *n.* 9.

Legum humanarum fundamentum eſt hominum ſocietas, quæ in coniugalem, paternam, herilem, domeſticam, & civicam dividitur. *p.* 320. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Legum neceſſitatem inſtitutio civitatum infert. *p.* 321. & *ſeq. n.* 7. & *ſeq.* Male docent Puſendorfius, & Thomaſius eas naturali libertati repugnare. *p.* 322. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.*

Legum condendarum facultate pollent ſupremæ poteſtates. *p.* 371. *n.* 2. Solvuntur obiecta. *ibid.* Illas etiam Regina poteſt condere. *ibid. n.* 6. Et ſummus Pontifex pro univerſali Eccleſia. *p.* 373. *n.* 7. & *ſeq.* Et Epiſcopi pro ſua diœceſi. *p.* 374. *n.* 10. Sicut etiam pro tota Eccleſia Concilia generalia. *p.* 375. *n.* 12. Et nationalia pro tota natione; ſicut & provincialia pro univerſa provincia. *ibid. num.* 13. Legis vim habent Declarationes ſacræ Congregationis Cardinalium, ſi ſint a Pontifice approbatæ. *p.* 376. *n.* 14. Leges mortuo Epiſcopo condere poteſt Capitulum Eccleſiæ Cathedralis. *ibid. num.* 16. Et Ordines Regulares. *ibid. n.* 17. Eæ tamen a Pontifice approbari debent, ut legum vim habeant. *ibid.*

Principes ſupremi vi directiva, non coactiva tenentur ſervare leges a ſe latas. *p.* 377. *n.* 2. Huiuſmodi obligatio a recta ratione dimanat. *p.* 378. *n.* 5. Pueri ſeptennes legibus obligantur; & etiam ante ſeptennium, ſi habeant uſum rationis. *p.* 379. *n.* 7. Infideles legibus eccleſiaſticis non ſubiiciuntur: ſecus amentes, ebrii, & infirmi, licet ab illis excuſentur. *ibid. n.* 8.

Clerici, ſalvo privilegio exemptionis, ſubiecti ſunt legibus civilibus. *pag.* 380. *n.* 11. Peregrini, advenæ, & forenſes tenentur ſervare leges loci per quem tranſeunt ſine animo ibi-

dem commorandi, ſi maneant unum aut alterum diem. p.381. n.13. & ſeq. Solvitur Salmanticenſium obiectio. ibid. n.15. Non tamen tenentur ſervare leges proprii territorii, a quo abſque fraude abſunt. p.382. num.17. Peccant, ſi deliberato animo ab eo diſcedant, ne legibus pareant. p.383. n.19. Refellitur laxa opinio oppoſita P. Viva ibid. n.20. Qui diſcedit die feſto a proprio loco, tenetur ante diſceſſum audire ſacrum. p.384. n.21. Laxa Salmanticenſium doctrina refellitur. ibid. & n.22. & ſeq. Qui diſcedit a proprio loco, ubi ieiunium eſt, iturus ad locum, ubi non eſt, non poteſt ientaculum ſumere. ibid. n.24. Effugium Salmanticenſium ad circumveniendas, eludendaſque leges detegitur, & improbatur. ibid. Si ſit ſpeciale ieiunium; & in loco unde diſcedis, & in alio ad quem accedis, teneris ieiunio. p.385. & ſeq. n.25. & ſeqq. Omnino laxe oppoſitum docet P. La Croix. ibid. Qui animo declinandi reſervationem incurſam in ſua diœceſi, in aliam peregrinatur, ubi non eſt reſervatio, abſolvi non poteſt. p.386. n.28. Laxe oppoſitum docet P. Viva. ibid. & n.29. Superior non poteſt punire ſubditum extra territorium, niſi ratione delicti in territorio patrati. p.387. n.30.

Legis humanæ materia ſunt actus humani. p.393. n.5. Explicatur. ibid. & num.6. Lege humana vetari, aut præcipi nequeunt actus indifferentes. p.394. n.7. Neque directe & per ſe actus mere interni lege coactiva, coactione externa. p.394. & ſeq. n.1. & ſeqq. Lege eccleſiaſtica directiva præcipi poſſunt actus mere interni, quando id opportunum iudicetur ad ſalutem æternam. p.396. & ſeq. n.14. & ſeqq. Solvuntur obiecta. p.398. n.20. Poteſt Eccleſia actus internos præcipere connexos cum exterioribus. p.399. n.21. Itemque actus externos occultos. p.400. n.22.

Lex humana, dummodo iuſta ſit, obligat, & quidem in conſcientia. ibid. n.1. Immo dari nequit vera lex quæ non obliget in conſcientia. pag. 401. n.2. Conſtitutiones plurium Regularium non obligant natura ſua ad culpam. ibid. n.3. Leges iniuſtæ nullam pariunt obligationem. p.402. n.4. & ſeqq. Quandoque tamen ſunt obſervandæ ad vitandum ſcandalum. ibid. n.5. Leges illius, qui regimine tyrannus eſt, ſervandæ ſunt; non vero qui uſurpatione, antequam pacifice regnum poſſideat. p.403. n.6.

Traduntur regulæ, ex quibus colligenda eſt gravis legis obligatio. ibid. n.7. & p.404. n.8. Legislator materiam levem ſub gravi culpa præcipere nequit per ſe loquendo. ibid. n.9. Explicatur. ibid. Legis obligationem pro arbitrio legislator augere nequit, aut minuere. p.405. n.11. Aſſignantur regulæ, unde materiæ gravitas colligi debeat. ibid. n.12. Et unde materia levis per continuationem fiat gravis. p.407. n.13. Et quando interruptæ reputari debeant materiæ parvitates. ibid. n.14. Salmanticenſium doctrina refellitur. p.408. n.15. Violatio legis in materia parva, quandoque ex contemptu mortalis evadit. p.409. n.16. & ſeq.

Lex alia eſt pure pœnalis, alia pœnalis mixta. p.410. n.1. Aſſignatur regula, unde argui poſſit legem pœnalem mixtam obligare ſub gravi. ibid. & p.411. n.3. & ſeqq. Legis pœnalis obligatio ſumenda eſt ex verbis legislatoris, ex materiæ gravitate, & pœnarum atrocitate. p.412. & ſeq. n.7. & ſeq. Vix Principes condunt leges, quæ ſint pure pœnales. p.413. n.9. Declaratur, quandonam violatores legum pœnalium teneantur taxatas pœnas luere ante iudicis ſententiam. p.414. & ſeq. n.10. & ſeqq. Pars, quæ culpa ſua a contractu inito recedit, probabilius conſtitutam pœnam luere debet ante iudicis ſententiam. p.416. n.17. Legum pœnalium violatores quandoque ſeipſis pœnam exequi tenentur prolata iudicis ſententia, non expectata iuſtitiæ executione. p.417. n.18.

Princeps ſupremus ob rationabile motivum

tivum pœnam a lege taxatam minuere, aut augere poteſt; non vero iudex inferior. *ibid. n.* 19. Si iudex pœnam a lege taxatam cum præiudicio partis læſæ, aut pauperum, remittat, tenetur ad reſtitutionem. *ibid. n.* 20. Lex in præſumptione fundata, contra legem divinam, veritate deficiente non obligat. *p.*418. & *ſeq.n.*21. & *ſeq.*

Lex, quæ tributum imponit, obligat in conſcientia. *p.*420. & *ſeq. n.*3. & *ſeq.* Satisfit fundamentis oppoſitis. *p.*422. *n.*7. & *ſeq.*

Lex irritans, non ſolum actus prohibet, ſed etiam nullos efficit. *p.*424. *n.* 1. Leges plures definiunt nullos actus, ſed non ante ſententiam iudicis. *p.*425. *n.*4. Lex irritans obligat in conſcientia. *ibid. n.* 5. Aſſignantur regulæ, ex quibus colligendum eſt conditiones a lege præſcriptas pertinere ad ipſam contractus ſubſtantiam, vel ad accidentia. *ibid. n.* 6.

Lex dubia quæ ſit, explicatur. *p.* 426. *n.* 1. Qui dubitat exiſtatne lex, an ſecus, non eſt liber a lege. *ibid. n.* 2. Principium illud: *Melior eſt conditio poſſidentis* in Probabiliſtas & Salmanticenſium doctrinam intorquetur. *p.*427. *n.* 3. Qui certus de lege, dubitat an in hoc caſu particulari ſubiectus ſit legis obſervantiæ, probabilius non eſt exemptus a lege. *p.* 428. *n.* 5. Varia de hoc dubia ex P. La Croix decerpta, & perperam lectorum arbitrio ab eo de more permiſſa, recenſentur. *ibid.* & *p.*429. & *ſeq. n.* 6. & *ſeqq.*

Lex humana, ſeu eccleſiaſtica, ſeu civilis, abſolute non obligat cum vitæ, aut infamiæ, aut bonorum amiſſionis periculo. *p.*431. *n.* 3. Excipiuntur circumſtantiæ nonnullæ. *ibid.* Solvuntur duo obiecta. *p.*433. *n.* 6. & *ſeq.* Non requiritur intentio expreſſa adimplendæ legis. *p.*434. *n.*4. Immo probabiliter impletur etiamſi adſit intentio oppoſita. *ibid. n.* 5. Dilucide id explicatur pro praxi. *p.*435. *n.* 6. Legi ut quis ſatisfaciat intendat oportet finem intrinſecum præcepti. *ibid. n.*7. Legem audiendæ Miſſæ non implet qui eam audit animo videndi mulierem. *p.*436. *n.*8. & *ſeq.* Doctrina notabilis traditur adverſus Salmanticenſes. *ibid. n.* 9. Satisfieri poteſt eodem tempore pluribus præceptis, quando illa eodem recidunt. *p.* 437. *n.* 3. Si Confeſſarius pro pœnitentia tres Miſſas præſcriberet, non ſatisfacit audiens eas ſimul. *ibid.* Nec ſatisfacit præcepto qui plures Miſſæ partes ſimul audit a diverſis Sacerdotibus. *p.* 438. *n.* 4. Oppoſita opinio Bauny, Eſcobarii, Bonacinæ, & Leandri damnata eſt. *ibid.*

Qui impedimentum apponit, ut a lege implenda ſit liber, peccat. *ibid. n.* 5. & *ſeq.* Oppoſita nonnullorum Caſuiſtarum opinio lædit ſenſum communem. *ibid.* Peccat item contra præceptum qui impedimenta non removet, ſi poſſit ſine gravi damno. *pag.* 439. *n.* 7. Qui non poteſt totum opus præceptum implere, adſtringitur ad partem. *ibid. n.* 8. Si duo occurrant præcepta, quæ ſimul ſervari nequeant, quod gravius eſt, & præſtantius, impleri debet. *ibid. n.* 9.

Ceſſante negative fine adæquato legis in particulari, non ceſſat legis obligatio. *p.*443. & *ſeqq. n.* 7. & *ſeqq.* Abſurda, quæ oppoſitam opinionem conſequuntur, eam improbabilem reddunt. *p.*445. *n.* 12. Eamdem tamen ſaltem per cuniculos inſinuat P. Viva. *p.*446. & *ſeq. n.* 13. & *ſeqq.*

Legis abrogatio alia eſt negativa, alia poſitiva. *p.*447. *n.* 1. Leges etiam iuſtæ abſolute revocari queunt. *ibid. n.* 2. Explicatur. *ibid.* & *p.*448. *n.* 3. Lex antiqua abrogata cenſetur nova ſuperveniente, quæ ſimul cum ea obſervari nequeat. *p.* 449. *n.* 4. Superior ſuam, & inferioris legem abrogare poteſt, non contra. *ibid. n.* 5. Inferior legem a ſe latam, etſi a ſuperiore confirmatam, abrogare poteſt, modo id ſuperior eam confirmando non prohibuerit. *ibid. n.* 6. Quando legiſlator prohibet legis interpretationem, non eſt licitum Doctoribus eam interpretari. *p.*450. *n.* 3. Diſtinctiuncula P. Caſtropalai ridicula refellitur. *ibid.*

Plu-

Plures regulæ in interpretatione legis ſervandæ aſſignantur. *ibid.* & *p.* 551. *n.* 4. & *ſeqq.* Lex non extenditur ad caſus non comprehenſos ob rationum ſimilitudinem. *p.* 452. *n.* 9. Si eadem tamen ſit adæquata ratio, extendenda eſt ad caſum non comprehenſum, niſi oppoſitum urgeat. *ibid. n.* 10. Quando legiſlator decidit aliquem caſum, deciſio ad alium ſimilem caſum extenditur. *ibid. n.* 11. Explicatur. *ibid.* Lex pœnalis non extenditur ad caſus non comprehenſos ob rationis ſimilitudinem; potiſſimum quantum ad pœnam. *p.* 453. *n.* 12. *V. Conſuetudo. Diſpenſatio a lege. Ius naturæ, & gentium.*

Libertas indifferentiæ, alia contrarietatis eſt, alia contradictionis. *p.* 133. *n.* 2. Illius principium eſt intellectus proponens voluntati bonum amandum cum indifferentia iudicii. *ibid. n.* 3. Gratia ſufficiens Thomiſtica conſtituit liberam potentiam; hoc eſt proxime expeditam ad operandum. *p.* 134. *n.* 5. Ad libertatis intelligentiam præ oculis habenda ſenſus compoſiti, & diviſi diſtinctio. *ibid. n.* 6. Explicatur. *ibid.*

Libertatem negarunt Stoici, & Manichæi. *ibid. n.* 7. Contra Pelagiani nimis extollebant. *ibid.* Eam Lutherus, & Calvinus tolli non dicunt gratia natura ſua efficaci, ſed extinctam eſſe docent ad operandum in genere moris per peccatum originale. *p.* 136. & *ſeqq.* Propterea docent gratiam neceſſario hominem applicare ad operandum. *ibid.*

Eraſmus ut liberum propugnaret arbitrium, in Semipelagianiſmum declinavit. *p.* 137. *n.* 4. Ab eo producta pro libertate teſtimonia fatue deludit Lutherus. *p.* 138. *n.* 5. Adverſus libertatem referuntur teſtimonia Calvini. *p.* 139. & *ſeqq. n.* 8. & *ſeq.* Libertatem evincunt plurima S. Auguſtini teſtimonia, quæ referuntur. *pag.* 142. & *ſeq. n.* 10. & *ſeq.* Male, & inſigni fraude reſpondet Calvinus allatis ab Auguſtino teſtimoniis. *p.* 143. *n.* 12. Sibi ipſis patrocinari eumdem S. Auguſtinum temere prædicant Lutherus, & Calvinus. *p.* 144. *num.* 13. Calvini dementiæ aliud argumentum exhibetur. *p.* 145. *n.* 14. Liberum arbitrium negantes Lutherus, & Calvinus urgentur ad hominem. *ibid. n.* 15. Lutheri, & Calvini de libertate ſyſtema a Concilio Tridentino proſcribitur. *p.* 146. & *ſeq. n.* 16. Eius inſaniæ in Patres Tridentinos. *p.* 147. & *ſeq. n.* 17. Eiuſdem, non ſecus ac Lutheri, doctrinæ horror, & feritas oſtenditur. *p.* 148. & *ſeq. num.* 18. Aliorum Lutheranorum de libertate opiniones recenſentur. *pag.* 150. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.*

Syſtema Ianſenii, ſolam requirentis ad merendum, & demerendum libertatem a coactione, exponitur, & expenditur. *p.* 152. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Libertas indifferentiæ ad merendum & demerendum, oppoſita neceſſitati, ſeu determinationi ad unum, evincitur ex ſacra Scriptura. *pag.* 186. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Et ex auctoritate S. Auguſtini. *p.* 188. & *ſeqq. n.* 7. & *ſeqq.* Libertatis vera idea aſſertur ex S. Thoma. *p.* 190. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Simulque Calvini, & Ianſenii ſophiſmata in anteceſſum præſocata fuiſſe ab eodem D. Thoma oſtenditur. *ibid.*

Ad libertatis eſſentiam pertinet ſola indifferentia contradictionis. *p.* 194. *n.* 1. Libertatem amittere nequit voluntas, niſi auferatur indifferentia iudicii. *p.* 195. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Explicatur huiuſmodi indifferentia. *ibid.* Libertati præiudicium non inferre divinum auxilium; quo Deus efficaciter voluntatem determinat, oſtenditur ex D. Thoma. *p.* 200. & *ſeq. n.* 5. & *ſeq. V. Ianſenius.*

Lutherus impudenter negat Chriſtum fuiſſe legiſlatorem. *p.* 313. *n.* 1. Refellitur. *p.* 314. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq. V. Libertas indifferentiæ.*

M

Maieſtas, ſeu ſumma poteſtas civilis. *V. Poteſtas ſumma civilis.*

Maſſoulie (P. Antoninus) vindicatur ab impoſtura labis Ianſenianæ, iniurioſe illi impacta ab Honorato Turnelly. *p.* 168. & *ſeqq. num.* 1. & *ſeqq.* Eius laudes. *ibid. n.* 2. Delectationem victricem, quam admittit, toto cælo diſtare ab errore Ianſenii evidenter oſtenditur adverſus eumdem Turnelly, *ibid.* Gratiam etiam relative ſufficientem admittit. *p.* 171. & *ſeqq. n.* 6. & *ſeqq.* Refelluntur Turnelly in eumdem ea de re falſæ iniuſtiſſimæque criminationes. *ibid.* Maſſoulie ad merum figmentum & phantaſma revocare Ianſenianum ſyſtema, figmentum eſt apertiſſimum D. Honorati Turnelly. *p.* 175. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur ad hominem contra eumdem. *p.* 176. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.*

Molina (P. Ludovicus) temeritatis notam in iis, quæ adverſus S. Auguſtinum ſcripſit, effugere non poſſe, clare oſtenditur. *p.* 182. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Infelici propterea conatu eiuſdem Molinæ cauſſam oraſſe D. Honoratum Turnelly adverſus Gonet demonſtratur. *ibid.*

Moya (P. Matthæus) laxe more ſuo ſcripſit pro opinione de actuum indifferentia in individuo. *p.* 231. *n.* 31. Eumque nonnullis SS. Patribus falſo tribuit. *ibid.*

Muratorius (Ludovicus Antonius) doctiſſime evincit contra Phereponum, hoc eſt Ioannem Clericum, iuſtam & neceſſariam eſſe hæreticorum punitionem. *p.* 19. *n.* 19.

N

Natalis Alexander, defendens poteſtatem regiam immediate a Deo, non valde ſibi conſtat. *pag.* 326. & *ſeq. n.* 9.

Natura humana infirmitatibus repletur. *p.* 70. & *ſeq. n.* 2. Recenſentur ex Oſorio. *ibid.* Naturæ eiuſdem corrupti mores deſcribuntur ex S. Auguſtino. *p.* 72. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Inter eam, & ſpiritum ardet bellum inteſtinum. *p.* 73. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Ideo vita hominis myſterium eſt formidandum. *pag.* 74. & *ſeq. num.* 5. & *ſeq.*

Neceſſitas multiplex eſt; præcipue alia antecedens, alia conſequens, alia phyſica, alia moralis. *p.* 134. *n.* 4. Neceſſario gratiam hominem applicare ad operandum ob liberum arbitrium per Adæ peccatum extinctum docent Lutherus, & Calvinus. *p.* 136. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Neceſſitas voluntatis proficiſcitur ex parte ſolius obiecti. *p.* 197. *n.* 1. Neceſſitatem voluntati imprimere ſi velit Deus, auferat oportet indifferentiam iudicii. *pag.* 198. *n.* 2. *V. Libertas indifferentiæ.*

O

Oſeas licite aſſumpſit ſibi uxorem fornicariam. *p.* 292. *n.* 27. Explicatur. *ibid.*

Oſorius (Hieronymus) naturæ humanæ infirmitates eleganter deſcribit. *p.* 70. & *ſeq. n.* 2.

P

S. Paulus reprehendit S. Petrum, quod legalia ſervaret. *p.* 310. & *ſeq. n.* 30. Explicatur huiuſmodi factum. *ibid.*

SS. Patres iuris naturalis ignorantia non laborarunt, ut audaciſſime effutiunt Barbeyracus, Thomaſius, pluresque alii hæretici. *p.* 10. & *ſeqq. n.* 1. Oſtenditur. *ibid. V. S. Ambroſius. S. Auguſtinus. Lactantius.*

Poteſtas ſumma civilis, forma eſt civitatum. *p.* 324. *n.* 1. Dividitur in abſolutam, & limitatam. *p.* 325. *n.* 2. Illius origo a Deo eſt. *ibid. n.* 3. Sed ab eo immediate Regi non confertur, ſed mediate, accedente ſcilicet populi conſenſu. *ibid. n.* 2. & *ſeq.* In hoc non ſibi valde conſtat Natalis Alexander. *p.* 326. & *ſeq. n.* 9. Eius poteſtatis prærogativæ aliæ intrinſecæ ſunt, aliæ extrinſecæ. *p.* 327. *n.* 10. Illius iura male deſcribuntur a Machiavello, Hornio, & Vitriario. *ibid. n.* 11. Vera illius iura aſſignantur. *ibid.* & *p.* 328. *n.* 12. Legibus naturalibus, divinisque eſt coercita. *ibid. n.* 13.

13. Non ſe extendit ad ſacra. *p.* 338. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Traditur notio poteſtatis in ſacra. *p.* 339. *num.* 2. & *ſeq.* Prava Noodt, Puſendorfii, & ſequacium ratiocinia refelluntur. *p.* 340. & *ſeq. n.* 7. & *ſeqq.* Oſtenditur turpiter cum ſuis errare Puſendorfium contendentem ex divino antiqui fœderis iure ſupremis poteſtatibus convenire ius in ſacra. *p.* 342. & *ſeqq.* Et craſſius, dum id probat ex iure civili, & canonico. *pag.* 354. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Probabiliſmus non docetur a P. Franciſco Suarez. *p.* 456. *n.* 18. Immo id ille docet, quod ipſa Probabiliſmi principia convellit. *p.* 457. *n.* 19. Probabiliſmi eiuſdem diverſa pondera improbantur. *ibid.*

Probabiliſtæ male pro ſe ipſis exponunt principium illud, *Melior eſt conditio poſſidentis*; quod in eoſdem, & Salmanticenſes intorquetur. *p.* 427. *n.* 3. *V. Propoſitiones laxæ.*

Propoſitiones damnatæ 8. & 9. ab Innocentio XI. male & laxe explicantur a P. Viva. *p.* 220. & *ſeqq. n.* 9. & *ſeqq.* Alia propoſitio damnata de populo legem a Principe latam non acceptante. *p.* 389.

Propoſitiones laxæ referuntur plurium Theologorum Univerſitatis Germaniæ de evangelico teſtimonio: *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* *p.* 218. & *ſeq. n.* 4. & *ſeq.* Refelluntur. *p.* 223. & *ſeq. num.* 25. & *ſeqq.* Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum de legibus. *p.* 389. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq. V. Caramuel. La Croix. Moya. Salmanticenſes. Torrecilla. Viva.*

Puſendorfius (Samuel) male ſibi examinandum ſumpſit ſolo lumine naturæ ius naturæ, & gentium. *p.* 2. *n.* 1. Eius in Catholicos iniuriæ. *ibid.* Nec non in æmulos maledicta, & improperia. *p.* 47. & *ſeqq. n.* 12. & *ſeqq.* Lumen rationis a lumine revelationis ſeparat. *p.* 67. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeq.* Eius methodus impugnatur a Seckendorfio. *ibid.* Eiuſdem, ſuorumque aſſeclarum ſyſtema refellitur. *p.* 82. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Sub examen inducuntur quæ perperam ſcribit de origine entium moralium. *p.* 98. & *ſeqq. n.* 7. & *ſeqq.* Moralitatem actuum humanorum craſſo errore conſtituit in imputativitate. *p.* 208. & *ſeq. n.* 6. & *ſeqq.*

Fundamenta legis naturalis, homini propriæ, perperam ab eo ſtatuuntur. *p.* 258. & *ſeq. n.* 3. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Secum ipſo deinde pugnat. *p.* 260. *n.* 5. Actiones omnes humanas male docet indifferentes eſſe ad honeſtatem, & turpitudinem. *p.* 263. & *ſeq. n.* 4. & *ſeq.* Refellitur Ciceronis auctoritate. *p.* 265. & *ſeq. n.* 7. & *ſeq.* Et inviĉtiſſime ex S. Thoma. *p.* 267. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Male docet, ius gentium minime a naturali diſtingui. *p.* 295. *n.* 2. Male pariter docet, leges quibus civitates reguntur, naturali libertati repugnare. *p.* 322. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.* Refellitur. *ibid.*

Ius ſacrum, ſicut ceteri Lutherani; cum civili permiſcet, funditusque Eccleſiæ regimen tollit. *p.* 332. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Turpiter eum cum ſuis errare oſtenditur, dum ex divino antiqui fœderis iure infert ſupremis poteſtatibus convenire ius in ſacra. *p.* 342. & *ſeqq. num.* 1. & *ſeqq.* Et craſſius, dum probat idipſum vi novi teſtamenti. *p.* 346. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Eius inſanæ politicæ ſemina, & fraudes deteguntur, quibus illudit Principibus. *pag.* 357. & *ſeqq. num.* 1. & *ſeqq.*

R

Regulares plures non obligantur ſub culpa a ſuis conſtitutionibus. *p.* 401. *n.* 3.

S

Salmanticenſes laxe docent diſcedentem hora tertia e proprio loco, ubi eſt feſtum, celebranturque Miſſæ toto mane, non teneri ſacrum audire, antequam exeat. *p.* 384. *n.* 22. Improbatur

tur hæc opinio. *ibid. num.* 23. Eorum alia doctrina, qua circumveniunt, eluduntque ieiunii legem, improbatur. *pag.* 383. *num.* 24. Aliæ eorumdem de legibus laxæ propoſitiones. *pag.* 391. & *ſeq. num.* 16. & 18. Laxe docent, audientem Miſſam animo pravo ſatisfacere præcepto. *pag.* 436. *num.* 8. Refelluntur. *ibid. num.* 9. Laxe docent, ſuperiores pro libito diſpenſantes ſubditum in ſuis gravibus legibus abſque cauſſa, non peccare mortaliter. *pag.* 482. & *ſeq. num.* 4. & *ſeqq.* Laxe pariter docent, cauſſam ſufficientem diſpenſationis concedendæ eſſe impoſitionem mulctæ pecuniariæ. *pag.* 498. *num.* 6. Laxe etiam docent ſufficere dictum unius eximii Doctoris aſſerentis tempus ad conſuetudinem requiſitum præteriiſſe, ut lex abrogata cenſeatur. *pag.* 508. & *ſeq. num.* 8. Improbatur hæc opinio. *ibid.*

Scholaſtici Theologi. *V. Theologia Scholaſtica.*

Sekendorfius (Ludovicus) iure Pufendorfium erroris poſtulat, quod ſcripſerit de iure naturæ, abſtrahendo a revelatis. *pag.* 67. *num.* 4.

Seldenus (Ioannes) ius naturæ, & gentium iuxta Hebræorum diſciplinam nimia eruditione recondit magis quam detegit. *pag.* 42. & *ſeq. n.* 8.

Suarez (P. Franciſcus) minime docuit ſufficere non ſolum probabilitatem, ſed etiam minorem probabilitatem, ut epiikia locum habeat, quemadmodum P. Viva ei imponit. *pag.* 454. & *ſeqq. num.* 14. & *ſeqq.* Oſtenditur. *ibid.* Neque docuit Probabiliſmum. *pag.* 456. *num.* 18. Immo principia ponit, quæ eumdem Probabiliſmum convellunt. *ibid.*

T

Theologia ſcholaſtica iniurioſe ab hæreticis contemnitur. *pag.* 29. & *ſeq. num.* 1. Si qui ſint in ea abuſus, hominum ſunt, non illius. *ibid.* De ea tractantes, & maxime de moribus agentes iuris naturæ, & moralis Philoſophiæ ignorantia laboraſſe temere docent Thomaſius, Budæus, & Barbeyracus. *pag.* 30. & *ſeqq. num.* 2. & *ſeqq.* Refelluntur. *ibid.* Tres claſſes aſſignantur Scholaſticorum. *pag.* 62. *num.* 1. Horum poſtrema ius naturæ, & gentium felicius præ cunctis Novatoribus exponit. *ibid.* & *pag.* 63. & *ſeqq. num.* 2. & *ſeqq.*

S. Thomas exactam hominis ideam tradit. *pag.* 95. & *ſeqq. num.* 3. & *ſeqq.* Eius de homine propter finem operante doctrina. *pag.* 110. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Eiuſdem doctrina de finibus tum habentibus, tum non habentibus ordinem per ſe, ſeu eſſentialem inter ſe. *pag.* 113. *num.* 10.

Thomaſius (Chriſtianus) Lutheranus SS. Patres audaciſſime excipit. *pag.* 24. & *ſeqq. num.* 29. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.* Sicut etiam Theologos, ceu iuris naturalis, & moralis Philoſophiæ ignaros. *pag.* 30. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Eiuſdem in Theologos criminationes referuntur, & refelluntur. *pag.* 34. & *ſeqq. num.* 9. & *ſeqq.* Eius de Grotio iudicium. *pag.* 39. & *ſeq. num.* 1. & 3. Dicacitate, maledicendique arte ſuis ſociis præſtat. *pag.* 49. *num.* 15.

De eo virorum doctorum cenſura ex Bruckero. *pag.* 49. & *ſeq. num.* 15. & *ſeq.* Fundamenta iuris naturæ ex ſenſu communi ducit, excluſis ſacris Scripturis. *pag.* 68. *num.* 6. & *ſeq.* Impugnatur una cum ceteris ſuis affeclis. *pag.* 82. & *ſeqq. num.* 1. & *ſeqq.* Eius error de polygamia, & ſpeciebus libidinis refertur, & improbatur. *pag.* 88. & *ſeq. num.* 4. & *ſeqq.* Perperam negat voluntatem non poſſe cogi. *pag.* 131. & *ſeq. num.* 27.

Libertatem abſolute negat. *pag.* 150. & *ſeq. num.* 1. & *ſeqq.* Quæ contra eam apponit, vaniſſima ſunt. *pag.* 151. & *ſeq. num.* 4. Eius audacia in Catholicos, qui ante Lutherum de conſcientia ſcripſerunt. *pag.* 257. *num.* 1. Pro fundamento iuris naturæ, & gentium regulam ponit hauſtam ab Epicuri doctrina. *ibid. num.* 2. Male docet leges, quibus civitates reguntur, naturali libertati repugnare. *pag.*

p. 322. & *ſeq.* *n.* 9. & *ſeq.* Refellitur. *ibid.*

Thomiſtæ Calviniſmum, & Ianſeniſmum docere ineptiſſime a nonnullis dicuntur. *p.* 164. & *ſeqq.* Oſtenditur eorum ſyſtema de auxiliis nonniſi ex Lutheranæ, Calvinianæ, & Ianſenianæ doctrinæ ignorantia cum iſtorum ſyſtemate comparari poſſe. *ibid.* D. Honoratum Turnelly ſumma iniuria impoſturam labis Ianſenianæ imponere P. Antonio Maſſoulie luculenter oſtenditur. *p.* 168. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Thomiſtarum vocibus, quibus Dei motionem vocare ſolent, invidiam conflant adverſarii. *p.* 198. *n.* 4. Voces huiuſmodi luculenter explicantur. *ibid.*

Torrecilla (P. Martinus) plures laxas de legibus propoſitiones docet. *p.* 389. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.*

Tributa a lege, ſeu Principe impoſita, ſolvenda ſunt in conſcientia. *p.* 420. & *ſeqq.* *n.* 2. & *ſeqq.* Contrariam opinionem, ceu errorem peſtiferum, improbat Alphonſus a Caſtro. *ibid.* *n.* 3.

Turnelly (D. Honoratus) impoſturam labis Ianſenianæ impingit P. Maſſoulie. *p.* 168. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Delectationem victricem ab eodem Maſſoulie recte defenſam perperam confundit cum errore Ianſenii. *ibid.* Refellitur. *ibid.* Gratiam etiam relative ſufficientem male negari contendit ab eodem Maſſoulie. *p.* 171. & *ſeqq.* *n.* 6. & *ſeqq.* Oſtenditur luculenter. *ibid.* Fallitur, & fallit, inquiens Maſſoulie ad merum figmentum, & phantaſma revocare Ianſenii ſyſtema. *p.* 175. & *ſeqq.* *n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur ad hominem contra eumdem Turnelly. *ibid.* Eiuſdem cenſuræ, nonniſi turbandæ Eccleſiæ paci idoneæ ſunt. *p.* 179. *n.* 11. Eius de Romanis Cenſoribus præpoſterum iudicium caſtigatur. *p.* 180. & *ſeq.* *n.* 12.

V

Vaſquez (P. Gabriel) nimis libere recedit a ſententia negante indifferentiam actuum humanorum in individuo, quam fatetur eſſe SS. Patrum. *p.* 219. *num.* 6.

Vectigalia. *V. Tributa.*

Victriarius ius regium perperam deſumit ex ſacra Scriptura. *pag.* 327. *n.* 1. Verum ius regium ex eadem affertur. *ibid.*

Viva (P. Dominicus) falſo in ſenſu S. Auguſtini textum obtrudit, ut probet ignorantiam invincibilem. *p.* 13. *n.* 6. Octavam, & nonam propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. laxe explicat, earumque vim enervat. *pag.* 220. & *ſeqq.* *n.* 9. & *ſeqq.* Refelluntur eiuſdem explicationes. *ibid.* Cur in eiuſdem commentarios ſit ſevere inquirendum, iuſta ratio aſſignatur. *pag.* 122. *n.* 11. Laxe docet cum nonnullis aliis aliquem a proprio territorio, ubi ieiunium eſt, diſcedere poſſe deliberato animo ne ieiunet. *p.* 382. *n.* 18. Refelluntur eius cavillationes & nugæ. *p.* 383. *n.* 20. Alia eius laxitas refellitur, qua eludit Conſtitutionem *Superna* Clementis Papæ X. *p.* 386. *n.* 28. & *ſeq.* Refertur alia eius laxa de legibus propoſitio. *p.* 391. *n.* 17.

Detegitur, & improbatur eius dexteritas, qua per cuniculos laxam falſamque opinionem inſinuat, docentem, ceſſante negative fine adæquato legis in particulari, eiuſdem obligationem ceſſare. *p.* 446. & *ſeqq.* *n.* 13. & *ſeq.* Laxe docet ſatis eſſe probabilitatem, etiam minorem, ut epiikia locum habeat. *p.* 454. *n.* 14. Male laxam hanc ſuam opinionem adſcribit P. Suarez. *p.* 455. & *ſeq.* *n.* 15. & *ſeqq.* Oſtenditur. *ibid.* Alia eiuſdem de hoc laxitas detegitur, & refellitur. *ibid.*

Voluntarium eſt id quod procedit a principio intrinſeco cum cognitione finis. *pag.* 120. *n.* 3. Voluntariæ proprie non ſunt actiones brutorum. *pag.* 121. *n.* 5. Voluntaria omiſſio non eſt, ſublato omni voluntatis actu. *p.* 122. & *ſeq.* *num.* 7. & *ſeq.* Voluntaria eſſe poteſt omiſſio, abſque præcepto. *p.* 124. *n.* 10. Involuntarii cauſæ aſſignantur. *ibid.* *num.* 11. Voluntas vim pati non poteſt in actibus a ſe elicitis, ſecus

in

in imperatis, & ab aliis potentiis producendis. *p.* 125. *n.* 13. Voluntati vim Deus inferre nequit. *ibid. n.* 14.

Voluntaria ſunt ſimpliciter, quæ fiunt ex metu, & ſolum ſecundum quid involuntaria. *pag.* 126. & *ſeq. n.* 17. & *ſeq.* Solvitur obiectio. *p.* 128. *n.* 19. & *ſeq.* Peccant proinde patrantes inhoneſta ex metu. *ibid. n.* 21. Validique ſunt iure naturæ contractus ex metu initi. *pag.* 129. *n.* 22. Excipiuntur matrimonium, promiſſio, & ſolutio dotis; iuriſdictio ex metu data, electio Prælatorum, abſolutio ab excommunicatione, & vota ſolemnia. *ibid.* Valet vero in foro conſcientiæ iuramentum metu extortum. *ibid. num.* 23. & *ſeq.*

Voluntarium non tollit concupiſcentia. *ibid.* & *pag.* 130. *n.* 25. Involuntarium cauſat ignorantia antecedens; non vero concomitans, & conſequens. *ibid. n.* 26. Voluntatem non poſſe cogi perperam negat Thomaſius. *pag.* 131. & *ſeq. n.* 27.

VVolfius (Chriſtianus) Lutheranus laudatur ob ſuam in ſcribendo moderationem. *pag.* 51. *n.* 1. Eius methodum pravam eſſe, adeoque omnino improbandam oſtenditur. *ibid. n.* 2. & *ſeq.* & *p.* 52. & *ſeqq. n.* 4. & *ſeqq.* Id clare confirmant nonnullæ eius propoſitiones, quæ referuntur. *p.* 55. & *ſeq. n.* 1. Oſtenditur luculentius nonnullis animadverſionibus in eaſdem propoſitiones. *pag.* 59. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Mendacium ſub falſiloquii nomine tegit, atque defendit. *ibid.* Suis de ſummo bono propoſitionibus nihil evincit. *p.* 128. & *ſeq. n.* 5.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

F I N I S.

99971834

Digitized by Google